

JUS PUBLICUM ECCLESIASTICUM

METHODICE EXPOSITUM.

JUS PUBLICUM
ECCLESIASTICUM

METHODICE EXPOSITUM

ET NOTIONIBUS

JURIS PUBLICI INTERNATIONALIS

LOCUPLETATUM IN USUM SEMINARIORUM

A

Pre. D. Emmanuele de la Peña et Fernandez, Pbro.,

LINGUÆ HEBRAICÆ,
ARCHÆOLOGIÆ CHRISTIANÆ ET JURIS CANONICI INSTITUTIONUM IN GENERALI
PONTIFICIO SEMINARIO HISPALENSI PROFESSORE.

VOLUMEN II.

CUM ECCLESIASTICA APPROBATIONE.

HISPALI
TYPIS IZQUIERDO ET SOC.
Via dicta Francos 54.
MCM

JUS PUBLICUM ECCLESIASTICUM

METHODICE EXPOSITUM.

ORDO TRACTATIONIS.

Pro mensuranda ac definienda potestate cujuslibet societatis spectari debent quatuor tituli seu characteres omni societati communes, ex quibus sumitur et pendet summa atque extensio auctoritatis socialis, nimirum: *status juridicus*, *specificatio* seu indoles societatis, *interna constitutio* et *ordo* seu categoria.

Hi omnes tituli derivantur a fine societatis et cum eodem intime ac necessario connectuntur, quippe finis est elementum praecipuum et essentiale, cui omnia subsunt atque subordinantur in qualibet societate. Hinc ex *natura* finis

proprii societatis pendet *status juridicus*, hoc est, ut sit perfecta vel imperfecta, subalternata vel independens, etc.; ex *genere* finis proximi et adaequati pendet *specificatio* seu classis aut indoles, nempe, ut spiritualis vel temporalis habeatur, etc.; ex *libertate* vel *necessitate* finis pendet *interna constitutio* societatis, id est, ut existat inaequalis vel aequalis, etc.; demum ex *superioritate* vel *inferioritate* finis pendet *ordo*, categoria aut praestantia societatis, videlicet, ut exstet supernaturalis vel naturalis, suprema vel subordinata, major vel minor, etc.

His praejactis et ad societatis religiosae seu Ecclesiae notionem applicatis, quatuor potestates, vel rectius loquendo, unica potestas quatuor praerogativis insignita Ecclesiae Catholicae competit; et unaquaeque potestas, vel melius singula praerogativa unius et ejusdem potestatis sua peculiaria jura complectitur, hac forma et sequenti distinctione.

Ratione *status juridici* ex *natura* finis proprii pendentis, Ecclesia est societas *perfecta* et *completa*, ipsique competit potestas *suprema* et *independens*, uti demonstratum est in Parte Prima hujus Operis, capp. I et II de *Perfectione* Ecclesiae et *Suprematia* Potestatis Ecclesiasticae: sub hoc conceptu quatuor juribus gaudet, quorum expositio Caput I constituet.

Ratione *specificationis* ex *genere* finis proximi et adaequati pendentis, Ecclesia est societas *spiritualis*, ideoque a Statu *distincta*, eique

competit potestas *directa* ad finem spiritualem mediis *internis* et proportionatis obtinendum, sicut in Parte Prima, capp. I et II de *Distinctione* Ecclesiae et Potestate *Clericali* et *Hierarchica* in prima hujus vocis acceptione, nempe, tamquam *sacra* usurpata, dictum est: sub hoc respectu septem jura habet, quae in Capite II exponentur.

Ratione *internae constitutionis* ex *necessitate* finis pendentis, Ecclesia est societas *inaequalis*, *visibilis* atque *externa*, cui competit potestas *plena* et *absoluta* ad adhibenda omnia media *externa* fini suo proportionata, veluti probatum est in Parte Prima, capp. I et II de *Distinctione* Ecclesiae et Potestate *Plena* et *Hierarchica* juxta secundam hujus vocabuli acceptionem, id est, in sensu *ordinatae:* ita sumpta Potestas Ecclesiae aliis septem juribus potitur, quorum recensio et explicatio Caput III determinabit.

Denique ratione *ordinis* ex *superioritate* finis ultimi et supremi pendentis, Ecclesia est societas *major*, *nobilior* atque *superior* Statu civili, eidemque eo ipso competit potestas *indirecta,* uti videre est in Parte Prima, capp. I et II, cum de *Superioritate* Ecclesiae et Potestate *Electiva* atque *Monarchica* actum est; quia solus ille qui potestatem jurisdictionis per legitimam missionem adquisierit, communionemque fidei et charitatis cum Supremo Hierarcha ac Visibili Ecclesiae Capite servaverit, ad finem ul-

timum seu vitam aeternam perducere poterit; reliqui omnes, sive intrusi aut usurpatores, sive haeretici, sive schismatici, animas a consecutione finis supremi avertent, illasque in abyssum perditionis detrudent: sub hoc aspectu Potestas Ecclesiae octo jura adhuc retinet, quae olim exercuit, et hodiedum vix aut ne vix quidem exercere posset; tamen haec potestatis indirectae jura in Capite IV explanabimus.

PARS SECUNDA.

QUAESTIONES SPECIALES

DE POTESTATE ECCLESIÆ
SEU EXAMEN JURIUM PRAECIPUORUM ECCLESIAE.

CAPUT I.

QUAESTIONES SPECIALES DE POTESTATE INDEPENDENTE ECCLESIAE.

ARTICULUS I.

SUMMARIUM.

1. Ecclesiastica Potestas.—2. Potestas independens Ecclesiae.—3. Jura quae ipsi competunt ratione finis *proprii*. 4. Abusus potestatis civilis recenseantur.—5. Primus abusus: *Retentio Bullarum* seu *Placitum Regium*.—6. Probetur Principes saeculares minime posse in suis statibus promulgationem atque exsecutionem Constitutionum Pontificiarum impedire.—7. Regalistarum objectiones solvantur.

1. Ecclesiastica Potestas, generatim et juxta principia Juris Naturalis spectata, definiri potest: *Summa et collectio omnium jurium seu facultatum, quae Ecclesiae, tamquam societati juridice perfectae, competunt.*

Ecclesiae autem competunt ea omnia jura, quae

essentialiter inhaerent potestati ***independenti, directae, plenae*** atque ***indirectae*** ejusmodi quatuor privativae notae seu characteres proprii et peculiares Ecclesiasticae Potestatis legitime ac necessario oriuntur ex ***statu juridico, specificatione, constitutione interna*** atque ***ordine*** societatis religiosae a Christo Domino conditae, uti nuper declaratum est, cum ordinem tractationis in hac Secunda Parte sequendum leviter adumbravimus.

2. Potestas ***independens*** Ecclesiae recte dicitur: *Complexus jurium quae, ratione* "statuſ juridici" *ex* "natura" *finis* "proprii" *pendentis, Ecclesiae competunt tamquam societati perfectae atque supremae.*

3. Ecclesia vi potestatis ***independentis***, quae ratione finis ***proprii*** ipsi respondet, quatuor potissimis juribus gaudet novissima aetate fere ignotis vel prorsus vulneratis, scilicet: 1.° jure libere agendi, cum suis adsociatis libere communicandi, suasque decreta vel constitutiones libere promulgandi absque ulla sanctione aut approbatione legis civilis; 2.° jure nominandi atque instituendi proprios magistratus, dignatarios, officiales ac ministros sine Regum vel Principum interventione; 3.° jure voluntariam vel contentiosam jurisdictionem exercendi, quin ejusdem gubernativi actus vel sententiae judiciales per auctoritatem civilem vel judices saeculares corrigantur, reponantur aut reformentur; 4.° jure habendi ac declarandi immunia, tamquam sacra et religiosa, sua loca, res ac personas.

4. Adversus haec sacratissima jura, quae Ecclesiae insunt, veluti societati perfectae atque inaequali, potestate suprema et independenti juridice instructae, recentiori tempore patrati sunt quatuor magni et exitiales abusus, quos totis viribus denunciare, execrare atque corrigere cogimur, causam Ecclesiae Catholicae ab ipso hujus Secundae Partis exordio iterum agentes, ejusque essentialem libertatem in hoc primo capite ultro ac strenue vindicantes.

Contra jus liberae actionis, communicationis et promulgationis cernimus latissime et undequaque perpetratum perniciosum abusum *Placiti Regii*; contra jus liberae electionis et institutionis Rectorum ac sacrorum Ministrorum intuemur interdum et nonnullis in locis inductum abusum *Regiae Nominationis* pro designandis jure *regaliae* ecclesiasticis Magistratibus, praesertim vero Episcopis; contra jus liberae competentiae ad causas proprias tum in ordine voluntario, tum in ordine contentioso cognoscendas videmus undique et civilis potestatis jussu vel assensu irrepsisse intolerabilem et nunquam sat reprobatum abusum, quem vocant *Appellationes ab abusu* (vulgo *Recursos de fuerza*); contra jus sacrae immunitatis et ecclesiasticae exemptionis perfacile videre est apud cunctas nationes catholicas adhuc nuncupatas frequentissimum et valde sceleratum abusum *Violationis* cujuscumque immunitatis ecclesiasticae, sive localis, sive realis, sive personalis.

5. Cum de juribus, quae Ecclesiae vi suae potestatis *independentis* competunt, agendum sit, ante omnia operis pretium erit rejicere atque impetere execrabile et perniciosissimum Regalistarum placitum contendentium licitam esse Regibus et Supremis Statuum Magistratibus ratione civilis principatus vel summi imperii retentionem Bullarum vel etiam examen Constitutionum Pontificiarum, quod quidem commentum et iniqua praetensio, in praxim a regibus eorumque aulicis deducta, ansam dedit et originem praebuit ingenti ac detestabili abusui multoties ab Ecclesia reprobato atque damnato, nempe, exercitio regiae praerogativae seu regaliae *Placitum Regium* aut *Regium Exsequatur (Pase)* nuncupatae.

6. Adversus igitur Caesaristas, Gallicanos, Regalistas, omnesque aulicos ecclesiasticae libertatis hostes sequentem thesim dogmatico-juridicam statuimus: *Nequeunt Reges eorumque Gubernia in Statibus politicis im-*

pedire aut prohibere publicationem vel exsecutionem legum ecclesiasticarum seu constitutionum pontificiarum; ideoque retentio Bullarum seu exercitium suppositi juris PLACET REGIUM *appellati doctrinae catholicae adversatur, Ecclesiae independentiam laedit, et Sedis Apostolicae dignitati detrahit.*

Veritatem hujus thesis, quae tamquam principium tum theologicum, tum juridicum praestabilienda est, cum de tuenda Ecclesiae libertate agitur, satis sit in praesens (1) duplici argumento demonstrare, scilicet, *ratione* et *auctoritate.*

Ratione: Praefata retentio vel prohibitio Principum aut Summorum Imperantium, ne evulgentur, recipiantur vel exsequantur Pontificiae Litterae, rem disciplinarem respicit *per se* seu *essentialiter*, prout ajunt canonistae, cum dogmate conjunctam, siquidem agitur de libera Romani Pontificis cum Episcopis et fidelibus totius orbis christiani communicatione; atqui hujusmodi commercium Capitis visibilis Ecclesiae cum omnibus et singulis Corporis membris est jus, et quidem necessario, inalienabiliter et inseparabiliter Primatui Pontificio inhaerens ac Sedi Apostolicae divinitus vinculatum; igitur cohiberi, interdici, disrumpi et vetari nequit, quin gravissimum detrimentum patiatur suprema auctoritas Christi in terris Vicarii, magnaque injuria Beati Petri Successori inferatur.

Auctoritate: Theoria regalistarum, Regibus ac Principibus saecularibus adjudicans jus interdicendi promulgationem vel impediendi exsecutionem sacrarum legum et constitutionum in suis ditionibus, explicite

---

(1) Diximus sufficere *in praesens* nonnullas probationes adducere, quia de hac re late disseruimus in nostra *Introductione in Jus Ecclesiasticum* cap. II, art. IV, ubi Placitum Regium sub aspectu *historico, critico, juridico* atque *dogmatico* accurata disquisitione perp· ndere curavimus. Qui pleniorem hujus controversiae notitiam haurire velit, opus et locum citatum consulat.

damnata est ab egregio Pontifice Pio IX in propositionibus XX, XLI et XLIX Syllabi ita conceptis: XX—"Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet, absque civilis gubernii venia et assensu„; XLI—"Civili potestati... competit nedum jus quod vocant *exsequatur*, sed etiam jus *appellationis*, quam nuncupant *ab abusu*„; XLIX—"Civilis auctoritas potest impedire, quominus sacrorum antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent„.

Denique Vaticana Synodus in Constitutione de Ecclesia Christi *Pastor aeternus* centies citata et nunquam satis laudata memoratum errorem rursus anathematizavit: "Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi Capitis cum Pastoribus et gregibus communicationem licite impedire posse dicunt, ita ut contendant quae ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur„ (1).

Objectiones.

7. Regalistae pro *placito regio* tria praecipua argumenta afferre solent, quae in trutinam revocare oportet, ut quodcumque fundamentum vel potius inutilis praetextus hujus damnabilis abusus prorsus evellatur; praerogativa regia Bullas Pontificias retenendi, easque examini vel revisioni subjiciendi, priusquam evulgentur, asserunt aulici, nititur triplici juri inconcusso atque firmissimo Principum, nimirum, juri *tuendi*, juri *cavendi*, atque juri *regendi*.

Object. 1.ª Status civilis atque Principes vel Supremi ejus Moderatores absque dubio jure pollent tuendi jura societatis, et seipsos eamque a quacumque in-

(1) Cap. III.

vasione vel incursu defendendi; igitur ipsis competit ecclesiasticas leges perpendere et approbare, ne societati vel civibus noxiae sint.

Resp. 1.° Defensio fit post aggressionem et non ante impetum, ideoque *placet regium*, cum sit praeventivum, irrationale evadit, quia supponit existentem offensionem nondum illatam: 2.° tuitio fieri debet hic et nunc, praesenti momento, cum adest invasio, quia supponit actualem aggressionem; hinc defensio habitualis et permanens, quam *regium exsequatur* importat, est simul ridicula atque injusta, quippe inducit aut admittit statum vel rerum conditionem vere commentitiam, Ecclesiae tribuens continuam offensionem vel saltem constantem adoriendi conatum: 3.° ejusmodi praevia defensio ex *placito* deducta Ecclesiae summopere injuriosa exsurgit; quandoquidem agnoscit tamquam causam aut ansam apparentem timorem frequentis aggressionis ex parte Ecclesiae, cum exploratum sit eam inculcare obedientiam Principibus, et seipsam incompetentem fateri in iis quae ad ordinem temporalem tantum referuntur, quod quidem removet quodlibet probabile periculum usurpationis seu invasionis a Statibus politicis vel Summis Imperantibus timendum.

Object. 2.ª Regibus ac Principibus, addunt Regalistae, inest perfectum atque indubitatum jus a quacumque Ecclesiae extralimitatione sese cavendi in bonum et securitatem societatis civilis, cui regendae ac tutandae praeficiuntur; sicut individuis, utpote membris corporis socialis, licitum semper et integrum erit, jure naturae omnes praecautiones adhibere, quae ad propriae existentiae et necessariae conservationis tutelam ducunt; sed nequeunt Principes saeculares et Supremi Magistratus recte et tuto cavere, nisi praeventive inspiciant atque examinent Constitutiones Romanorum Pontificum, gratia approbandi vel reprobandi actus seu dispositiones ecclesiasticae auctoritatis, prout bono et

tranquillitati societatis expediverit, necne: ergo ipsis competit jus nativum *regium exsequatur* exercendi.

Resp. 1.° Si propter tutelam et conservationem societatis civilis, necnon ob metum vel conjecturam extralimitationis Statibus et Regibus liceret prius videre et in examen vocare Pontificia Decreta, simile jus multo magis Ecclesiae competeret erga leges civiles, maxime cum experientia passim ostendat easdem saepius leges divinas offendisse aut aperte fuisse transgressas; tamen Ecclesia, etsi aliquando post factum leges civiles irritaverit, nunquam veluti principium statuit vel requisivit praeventivam approbationem: nunc vero, nemo qui sit catholicus contendet minorem esse auctoritatem Ecclesiae quam Status, vel minus periculum intrusionis, cum illa sit societas superior ordine et pro se habeat divinas promissiones, iste vero exstet societas inferior et ratione finis subordinata, atque saepenumero gravissimas in res ecclesiasticas invasiones perpetraverit: 2.° quamvis Principes vel Imperantes jus habeant invigilandi et cavendi ne jura Status violentur, tenentur simul officio servandi subordinationem ordini superiori, ita ut, dum sibi et societati ipsis commissae caveant, jura majora et altiorem potestatem minime offendant; age jam, cum Status ratione finis sublimioris atque supremi Ecclesiae sit subordinatus, uti pluries demonstravimus, ejusdem Moderatores nullo pacto sacram Ecclesiae independentiam laedere possunt praetextu sibi cavendi appositione *placet* vel exercitio *exsequatur*: 3.° demum, praetensum jus cavendi ab Ecclesia, quod sibi arrogant Principes *regio exsequatur* utentes, praeter injuriosum prorsus inutile evadit; etenim leges generales Ecclesiae semper justae et rectae sunt; sin vero aliquando in casu particulari vel determinata regione ob specialia adjuncta detrimentum sequi posset, habetur recursus ad ipsam auctoritatem Ecclesiae, quae, duce prudentia, et omnibus rite perpensis, decernet quid in casu conflictus, dubii

vel damni sit praeferendum. Non loquimur autem de lege noxia vel actu injusto auctoritatis ecclesiasticae inferioris, quoniam, si hoc per accidens eveniret, semper adest verum remedium ad superiorem auctoritatem apellandi, quin Princeps vel Status debitam Ecclesiae competentiam inficietur sibi vindicans facultatem leges ecclesiasticas videndi et suo judicio subjiciendi, licet per magnam contradictionem ab Ecclesia abjudicans quodlibet jus *placiti* in legibus civilibus, quia sunt competentiae civilis.

Object. 3.ª Reges, ajunt rursus Regalistae, vi civilis principatus sunt Summi Imperantes Status (*Soberanos*), ideoque supremi nationis legislatores; nemo igitur, neque etiam Ecclesia, leges ferre potest sine cognitione, inspectione atque Principum approbatione.

Resp. 1.° Si Status politici suprematia fruuntur et Principes saeculares summo imperio in ordine temporali gaudent, Ecclesia quoque in rebus spiritualibus ita suprema, plena et absoluta independentia pollet, ut nullis limitibus locorum circumscribatur, neque humanae auctoritatis imperio subsit: 2.° si ratione principatus Monarchis competeret jus *placiti*, profecto etiam eodem potirentur Reges haeretici, schismatici, necnon infideles, quod equidem a recta ratione et fundamentali Ecclesiae constitutione prorsus abhorret: 3.° praeventivo *placet* ob suprematiam Status semel constituto et agnito, Ecclesia fieret pejoris conditionis ipsis collegiis seu adsociationibus imperfectis Statui subalternatis; siquidem apud omnes juristas communiter receptum est Statum ejusque Moderatorem super caetera collegia exercere tantum vigilantiam, ne contra ipsorum statutum aliquid decernatur, non autem arbitrio suo judicare et irritare posse eorumdem actus; secus enim nulla societas ne quidem mercantilis aut industrialis consistere valeret.

ARTICULUS II.

SUMMARIUM.

8. Secundus abusus potestatis saecularis: *Nominatio regia* jure *regaliae.* — 9. Ostendatur Principibus nullum esse jus proprium vel repraesentativum pro instituendis aut designandis Ecclesiae Ministris. — 10. An Status ab Episcopis exigere possit speciale juramentum fidelitatis.—11. Adversariorum objectiones refellantur.

8. Inter abusus Ecclesiae independentiam laedentes recenseri meretur nominatio sacrorum Ministrorum, quam Janseniani et Regalistae Principibus adjudicant veluti jus proprium ac nativum coronae vinculatum; tamen praemonere oportet non omnes eodem modo atque pari deformitate aberrasse hac in re, licet consentiant in agnoscenda et asserenda tamquam necessaria aliqua participatione potestatis regiae vel auctoritatis civilis pro instituendis ecclesiasticis ministris; sed juxta majorem vel minorem regalismi gradum plus minusve competentiae aut interventionis potestati saeculari tribuisse in personarum constitutione seu designatione.

Regalistae, qui rigidiores audiunt, contendunt (vel potius contendebant, quia hodie ejusmodi placita plene obsoleta sunt, et si rursus tuerentur, profecto magnis cachinnis reciperentur) potestatem Ordinis etsi valide acceptam non posse licite exerceri absque beneplacito regio ideoque puniri posse a civili auctoritate presbyteros Sacrum facientes, quin debitam facultatem a Statu impetraverint; potestatem vero Jurisdictionis invalide etiam exerceri saltem in foro externo.

Regalistae mitiores nuncupati asserunt Statum civilem ratione suprematiae *(Soberania)* et Principes saeculares vi principatus *(Regalia)* jus habere designandi aut nominandi Ministros qui ab Ecclesia sint ordinandi, et ecclesiastica jurisdictione donandi.

9. Ad Ecclesiae libertatem in re tam magni mo-

menti vindicandam adversus hanc perniciosam et febronianam doctrinam, tum veteres, tum recentiores regalistas confutabimus, sequentem thesim brevissime evincentes: *Potestas sacra, sive Ordinis, sive Jurisdictionis valide adquiritur et licite exercetur absque ulla participatione auctoritatis civilis; ideoque Principibus nullum jus proprium aut repraesentativum competit instituendi vel designandi ecclesiasticos Ministros.*

Duabus partibus constat enunciata propositio, quarum altera veritatem fidei explicite et solemniter declaratam adstruit, nempe, potestatem Ordinis atque Jurisdictionis validam et licitam esse, quin pro recta ejusdem acquisitione vel legitimo exercitio opus sit concursu, consensu vel designatione Summorum Imperantium; altera vero doctrinam dogmatico-juridicam hac super re omnino profitendam exprimit, scilicet, Reges et Magistratus saeculares neque nomine proprio, neque populi repraesentatione posse sibi arrogare jus interveniendi in electione aut constitutione sacrorum ministrorum.

Quoad primam thesis partem de fide est sacras ordinationes validas et legitimas esse sine ullo populi christiani aut laicae potestatis placito, interventu vel vocatione; etenim Tridentina Synodus valorem et legitimitatem utriusque potestatis tum Ordinis, tum Jurisdictionis, seclusa quacumque consentione vel interventione saeculari, canonicà sanctione definivit.

Validitatem et liceitatem potestatis Ordinis sequenti canone tradidit: *Si quis dixerit... Ordines ab ipsis* (Episcopis) *collatos sine populi, vel potestatis saecularis consensu, aut vocatione* IRRITOS *esse; aut eos, qui nec ab Ecclesiastica, et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt,* LEGITIMOS *esse verbi, et Sacramentorum Ministros, anathema sit* (1).

---

(1) Sess. XXIII. can. VII.

Validitatem atque liceitatem potestatis Jurisdictionis aperte etiam declaravit hoc notissimo canone: *Si quis dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse* LEGITIMOS, *et* VEROS *Episcopos, sed figmentum humanum; anathema sit* (1). Ex hac Tridentini definitione plane infertur Episcopos et jurisdictionem obtinere sola Romani Pontificis assumptione, atque etiam suam potestatem licite exercere absque ulla nominatione, consensu vel permissione laicae auctoritatis, quippe explicite vocantur in canone *veri* et *legitimi*.

Quoad secundam propositionis partem, nimirum, Principes Supremosque Moderatores civilis societatis nullo jure pollere, neque per se, nec populi nomine ad instituendos vel praesentandos Religionis Ministros res omnino comperta apud catholicos est, et principium penes juristas prorsus ineluctabile habetur.

Enimvero agitur de assertione certissima et fundamentali veritate, immediate ac perspicue ex natura Ecclesiae, laudato canone et explicita Tridentini doctrina deducta. Ex *natura* Ecclesiae, quia, cum sit divina institutione societas vere inaequalis, suprema atque independens, evidentissime liquet nullum jus competere Principibus constituendi vel nominandi sacros ministros; neque proprium, nisi dicatur et defendatur Ecclesiam in suo externo regimine potestati saeculari subordinatam, immo vero subalternatam esse; neque repraesentativum aut populi nomine, enim tunc Ecclesiae gubernatio obnoxia redderetur plebi christianae aut coetui fidelium, quod essentiali constitutioni societatis a Christo conditae plane refragatur, ac veluti execrabilis haeresis saepenumero damnatum est.

Colligitur quoque ex *canone* supra relato, nam si Ecclesia sua suprema atque infallibili auctoritate definierit validas esse ordinationes, legitimumque sacrum

(1) Ead. Sess. can. VIII.

ministerium, quin intercedat populi christiani vel civilis auctoritatis consensus aut vocatio, integrum et logicum erit inferre ad fidem catholicam pertinere Reges vel Summos Imperantes nec proprio nomine nec populi delegatione gaudere jure suum concursum praestandi pro ecclesiasticis ministris instituendis vel quomodolibet in sacris electionibus sese immiscendi.

Eadem veritas denique ex conciliari *doctrina* apertissime eruitur, siquidem memorata Sessione Tridentini Patres ita luculenter edixere: "Docet insuper sacrosancta Synodus, in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, et caeterorum Ordinum, nec populi, nec cujusvis saecularis potestatis, et magistratus consensum, sive vocationem, sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio: quin potius decernit, eos, qui tantummodo a populo, aut saeculari potestate ac magistratu vocati, et instituti, ad haec ministeria exercenda ascendunt, et qui ea propria temeritate sibi sumunt; omnes non Ecclesiae Ministros, sed fures, et latrones, per ostium non ingressos, habendos esse" (1).

10. Inquirendum superest utrum princeps vel potestas saecularis saltem fruatur jure speciale juramentum fidelitalis ab Episcopis exigendi. Nunc vero, sicut a Regibus et Summis Imperantibus quamcumque facultatem abjudicamus Ecclesiae Ministros instituendi vel nominandi, ita etiam Principibus eorumque Guberniis penitus inficiamur jus proprium et nativam potestatem ejusmodi obligationem Episcopis injungendi, tamquam conditionem necessario adimplendam pro munere episcopali obeundo sive ante sive post consecrationem. Ratio nostrae assertionis vel potius negationis obvia est: hujusmodi conditio, impositio vel exactio nomine et imperio proprio a Supremis Magistratibus facta aequi-

---

(1) Sess. XXIII, cap. IV.

tati repugnat, dignitatem Episcoporum laedit, sacramque Pastorum gregis christiani libertatem imminuit.

Aequitati repugnat; etenim Episcopi, utpote Ecclesiae Principes, jure divino Regibus vel Magistratibus saecularibus neutiquam subduntur, qui propterea nullam in eos potestatem habent; age jam juramentum civile ab illis exigitur, quatenus sunt Episcopi et sacratissimo munere pastorali funguntur.

Dignitatem Episcoporum laedit; quia positio hujus injuriosae conditionis haud obscure sed fere explicite includit atque ostendit quamdam praeventionem, diffidentiam vel dubium in Episcopos, quasi ipsi in exercitio suae altissimae potestatis debitam obedientiam et sinceram submissionem saeculari Principum auctoritati detrectarent, vel legitima jura seu leges justas Status violare, infringere aut contemnere intenderent.

Sacram Pastorum libertatem imminuit; nam praescriptio ejusmodi odiosi requisiti videtur Episcopos in publicos functionarios convertere, eosque in obeundo officio adeo spirituali et gravissimo, veluti est munus pastorale regimenque animarum, civili potestati subjicere; ex quo enim obstringuntur speciale fidelitatis juramentum Statui praestare, officialibus laicis aequiparantur, atque in perfunctoriam servilemque conditionem revocantur.

Objectiones.

11. Object. 1.ª Magni interest Reipublicae Ministros Ecclesiae idoneitate ac qualitatibus moralibus esse praeditos, ut sacrum eorum ministerium in ordine externo et temporali pro publica felicitate promovenda et pace sociali tutanda salutares effectus producat et copiosos fructus afferat; ergo Status ejusque Rectores participationem habere debent in constituendis ac designandis ecclesiasticis ministris, qui aptitudine donentur et sanctitate praefulgeant.

Resp. *Dist.* antecedens: Interest Status idoneos ac exemplares esse Ecclesiae Ministros, ut eorum ministerium bono temporali procurando *directe* incumbant, *nego;* ut sacrum ministerium in bonum publicum et socialem felicitatem *indirecte* conferat propter necessariam relationem et rectam felicitatis temporalis subordinationem ad vitam aeternam seu finem supremum, *conc.*

Et quidem cuique patet officium indirectum vel efficacia indirecta, spirituali ministerio vinculata ob connexionem ordinis inferioris cum alio ordine superiore ac nobilissimo, non sufficit Statui vel Principi tribuere jus proprium sese immiscendi in ipsum sacrum ministerium, in eumdem ordinem superiorem, atque in juridicam nominationem eorum, qui hoc spirituale officium in Ecclesia praestare tenentur.

Object. 2.ª Civiles Status, eorumque Moderatores legitimo jure gaudent curandi, ut instituantur et rebus ecclesiasticis praeficiantur Ministri, qui benevolentiam, obsequium atque concordiam erga saecularem potestatem ostendant, minime vero jurgiis, hostilitate vel animadversione civilem auctoritatem prosequantur; igitur iisdem competit pro mutua concordia utriusque potestatis asservanda et bono sociali tuendo seligere et designare eos, qui sacra investitura in Ecclesia insigniri debent.

Resp. Status Summique Imperantes jure pollent expetendi sacros ministros benevisos et obsequentes, *dist.* antecedens: judicio Ecclesiae tamquam auctoritatis ordinis superioris atque in iis quae religioni non adversantur, *conc.;* judicio proprio ipsius Status vel Principum etiamque in illis rebus, quae conscientiam laedunt ac Ecclesiae jura vulnerant, *nego.*

Object. 3.ª Apud catholicas nationes Clerici ad Episcopatum promovendi vel ante consecrationem vel etiam interdum in ipso consecrationis actu solemnem

promissionem emittere tenentur se religiose ac fideliter servaturos jura Status, Coronae regalias atque Regni consuetudines; ergo inficiari nequit saltem Statui competere jus proprium, aliquando etiam in Concordatis recognitum et sancitum, postulandi ab iis qui ad dignitatem episcopalem evehendi sunt, civilis juramenti praestationem.

Resp. *Dist.* ant.: nonnullis in locis praecipiente, consentiente vel permittente Ecclesia inducta est consuetudo Episcopos juramentum fidelitatis praestare, *conc.*; apud omnia regna atque civili potestate nomine proprio exigente viget praefatus mos, *nego*.

Enimvero Ecclesiae sapientia et prudentia ducta pro determinatis regionibus vel peculiaribus rerum adjunctis praescribere aut tolerare potest Episcopos jurare, sive ad quascumque suspiciones declinandas, ut ita probet se paratam reddere Statui atque Principibus quae sua sunt, necnon Episcopos publicos ejus magistratus spiritu informatos pastorali officio fungendi, quin levissime juribus civilibus attentent; sive ad praebendum populis reverentiae et obsequii erga auctoritatem saecularem exemplum hac praesertim novissima aetate, in qua sociales conditiones id suadent; sive demum ad concordiam utriusque potestatis ostendendam (1).

---

(1) In Hispania a tempore Catholicorum Regum Ferdinandi et Elisabeth jurabant Episcopi se non capturos vectigalia caeteraque jura Regum, uti videre est apud Novissimam Recopilationem (Lib. I, tit. 8, leg. 1.ª); postea Philippus IV Episcopis Indiarum eamdem juramenti obligationem injunxit cum clausula explicita *de non usurpando Regio patronatu*; denique exeunte saeculo XVIII inductum est aliud juramentum erga leges regni, regalia jura et legitimas consuetudines in ipsa solemni consecratione praestandum: sed ejusmodi intempestiva additio caerimoniae consecrationis facta aegre semper recepta fuit, unde diu incassum contra eam reclamatum est, donec recentiori tempore sub Elisabeth II Gubernium indulsit, ut juramentum fieret ante vel post consecrationem, coram publico notario, ac sequenti formula communi utriusque potestatis consensu sancita: *Haec omnia et singula eo inviolabilius observabo, quod certior sum nihil in illis contineri quod juramento fidelitatis meae erga catholicum nostrum Hispaniarum regem N. ejusque*

ARTICULUS III.

Summarium.

12. Tertius abusus auctoritatis civilis: *Appellationes ab abusu* (*Recursos de fuerza*).—13. Origo *historica* hujusmodi abusus in Hispania.—14. Judicium *criticum* de diversa Recursuum specie.—15. Aspectus *juridicus* hujusce quaestionis.—16. Errores Gallicanorum ac Regalistarum hac super re.—17. Ostendatur Principibus et saecularibus magistratibus minime competere jus recipiendi appellationes *ab abusu.*

12. Inter abusus Ecclesiae libertatem laedentes, ejusque sacratissima jura conculcantes singulari animadversione et acri censura notandus est ille, qui sub nomine Recursus per vim seu Appellationis ab abusu (*Recurso de fuerza)* venit.

Recursus passim et communiter in triplex genus distingui solet, nimirum, *per vim (de fuerza), protectionis* et *querellae (de queja)*: recursus *per vim* nuncupatur actus judicialis qui ante auctoritatem civilem superiorem interponitur contra judicem ecclesiasticum de re contentiosa *indebite,* prout fertur, cognoscentem.

Recursus protectionis vocatur actus extrajudicialis qui ante auctoritatem civilem administrativam interponitur a clerico vel laico contra judicem ecclesiasticum, gubernativa dispositione iniquam oppressionem exercentem, donec superior hierarchicus, re cognita, judicium tulerit.

Discriminantur igitur ejusmodi processus ratione *naturae*, *materiae*, et *superioris* seu auctoritatis ad quam confugitur: ratione *naturae*, recursus per vim est *judicialis*, recursus protectionis mere *gubernativus;* ratione

---

ad thronum Successores debitae, simulque legibus regni, regaliis, legitimis consuetudinibus, concordiis et aliis quibuscumque juribus ipsi legitime quaesitis adversari possit. Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

materiae, in recursu per vim de lite semper agitur, hoc est, de exercitio jurisdictionis contentiosae, in recursu protectionis autem disseritur tum de exsecutione sententiae, tum de actu, mandato vel poena mere gubernativa, ideoque etiam circa exercitium jurisdictionis voluntariae versari potest; ratione *superioris*, in recursu per vim actus interponitur ante auctoritatem civilem judicialem (Curiam territorialem vel Tribunal Supremum), in recursu protectionis aditur ad auctoritatem civilem gubernativam (Praesidem provinciae, Consiliarium coronae aut ipsum Principem).

Recursus demum *querellae* denominatur reclamatio judicialis quae a judice ecclesiastico ante Curiam civilem interponitur contra judicem saecularem sacram jurisdictionem invadentem (1).

Ex praefatis recursibus primus tantum specialem disquisitionem meretur propter crebras vexationes, magnas saevitias et gravissimos conflictus occasione hujus iniqui processus per vim *(de fuerza)* injuriose appellati obortos.

13. In Hispania nulla notitia habetur, neque explicita mentio de recursibus per vim seu appellationibus ab abusu invenitur usque ad saeculum XVII; hinc vetus nostra legislatio processalis de hujusmodi odiosis atque violentis judiciis prorsus silet: quamvis enim Concilium Toletanum XIII de recursibus ad Principem loquatur (2), necnon varii Theologi Hispani saeculo XVI

(1) Praeter hos recursus memorantur in Hispania alii duo minoris momenti ab antiquis regalistis inducti, scilicet, recursus *Protectionis Concilii Tridentini* et recursus *Regularium*: ille versabatur in facultate, quam politici et imperantes sibi arrogabant cognoscendi de rebus disciplinaribus sub ementito praetextu infractionum legum Tridentinae Synodi; hic autem situs erat in potestate auctoritati civili tributa suscipiendi querellas Regularium contra suos Superiores religiosos.

(2) Canon XII hujus Concilii loquens de casu in quo clericus vel monachus excommunicetur ab Episcopo contra quem litem pendentem habet, ita inquit: «Si praegravatus quis a Metropolitano proprio ad alterius provinciae Metropolitanum *molestiam praessurae agnoscendam detulerit*, aut si inauditus a duobus Metropolitanis *ad regios auditus negotia sua perlaturus accesserit*, etc.

atque etiam aliqui Tridentini Patres hosce processus probare videantur (1), tamen, juxta sententiam apud criticos optimae notae communiter receptam, tum canon XII Synodi Toletanae XIII, tum verba Theologorum ac testimonia Patrum interpretanda sunt de recursu protectionis, in quo violentia vel factum inhumanum retunditur, non vero de recursu judiciali, qui dicitur ab abusu et Hispanice *de fuerza*: quapropter haec nova forma judicialis, necnon inurbana atque injuriosa denominatio a nostris regalistis saeculo XVII desumi coepit ex Richerianis, praesertim autem ex juristis, scriptoribusque gallicanis.

Apud nostrates antea juxta veterem Codicem processalem tres erant recursus per vim seu *de fuerza*, nempe: 1.° *in cognoscendo*, quando judex ecclesiasticus de re ad suam jurisdictionem non attinente (ex regalistarum placito) intelligebat; 2.° *in procedendo*, quando, etsi de causa ipsi competente cognosceret, solemnitates juris seu formam legalem haud servabat; 3.° *in negando appellationem*, quoties hanc non recipiebat, cum de jure procederet: hodiedum ex lege vigenti non datur recursus nisi in cognoscendo (2).

Tribunal Supremum, uti explicite et taxative praescribit actualis legislatio (3), cognoscit de recursibus contra Nuntiaturam et tribunalia superiora ecclesiasti-

---

(1) Ita innuit Henricus Henriquez in *Summa*, lib. XIV, cap. 12, ubi legitur: «Et consulti Cuesta Episcopus Legionensis, uterque Sotus, Canus, Mancius, et noster Deza, multique Theologi, jurisperitique, quia vim vi repellere pertinet ad bonum status et gubernationem totius regni, etc.»

(2) Consulatur nova lex processalis (*Ley de Enjuiciamiento civil*) anni 1881 ab articulo 125 usque ad 152 inclusive.

(3) En textus articuli 126: «El Tribunal Supremo conocerá de los recursos de fuerza que se interpongan contra la Nunciatura y los tribunales superiores eclesiásticos de la corte: y las audiencias del territorio respectivo de los que se interpongan contra los demás jueces ó tribunales eclesiásticos de sus respectivos distritos.»

«Contra las resoluciones que sobre ellos pronunciaren el Tribunal Supremo ó las Audiencias no se dará ulterior recurso.»

ca, quae Matriti sunt: de caeteris vero Curiae territoriales; attamen, juxta regium decretum die 23 Augusti anni 1861 editum, Fiscalis territorialis Curiae tenetur ex officio ecclesiasticam jurisdictionem tueri, si ipsa indefensa sit et tuenda videatur (1).

14. Nunc vero, breviter exponemus quid, juxta rectas critices regulas, de hisce recursibus censendum sit.

Quod attinet ad recursum *protectionis*, quidam canonistae optimae notae autumant hunc procedendi modum aliquando licitum devenire posse (2), dummodo non excludatur necessaria atque legitima ecclesiastici superioris interventio; etenim Princeps, ajunt, ordinem publicum servare tenetur, et subditorum vitam, bona libertatem, legitimaque jura tueri; unde, si qua auctoritas ecclesiastica, jurisdictionis cujuslibet sit, aliquem sive clericum, sive laicum, in his violenter vexare contendat, Princeps hujusmodi violentiam impedire cogitur; nam injuste oppressus, etsi christianus vel etiam clericus fuerit, eo quod sit christianus aut clericus, non

---

(1) Ita se habet laudatum decretum: «Para evitar que la jurisdicción eclesiástica quede sin la debida representación oficial, y sin la conveniente defensa en los recursos de fuerza... que los fiscales de las Audiencias sean parte indispensable en todos los juicios de esta clase y sostengan la defensa de la jurisdicción eclesiástica cuando crean que los tribunales de este fuero no se han extralimitado de las atribuciones que les competen.»

(2) Inter alios doctissimus Card. Soglia ad argumentum Regalistarum respondens, qui Principibus jus tribuunt recipiendi appellationes tamquam *ab abusu*, ut subditos suos a vi et oppressione defendere possint, ita ait: «qui vim passus est, poterit a sententia judicis inferioris ad superiorem judicem ecclesiasticum appellare»; statim vero subjungit: «Sed ajunt, si judex superior aut nolit, aut quod facilius evenire potest, injuriam ab inferiori judice illatam comprimere nequeat, nonne licebit Magistratus laici praesidium quaerere? Id quidem *necessariae defensionis jure aliquando licebit*; qua de re legendae sunt animadversiones ejusdem Roncaglia in cap. 2 Synopsis Hist. Eccl. IV saec. Natalis Alexandri §. 3».

Quod autem de sententia judiciali dicitur, pari ratione asseri potest de decreto aut dispositione gubernativa, ideoque in utroque casu interponi valet recursus protectionis, sive pro impedienda exsecutione sententiae injustae, sive pro vitanda iniqua vexatione.

desinit esse Hispanus, Italus, Gallus seu verus civis alicujus nationis, ac proinde in casu apertae violentiae jura civitatis vindicare et exercere poterit.

Ita videmus Apostolum Paulum loris ligatum jura municipalia sibi vindicasse velut Tarsensem civem hisce verbis ad Centurionem alloquentem: *Si hominem Romanum et indemnatum licet vobis flagellare?* (1): ita etiam cernimus sanctissimos et strenuos Episcopos Athanasium et Joannem Chrysostomum injuste damnatos ad Imperatores Orientis apellasse: ita demum scimus Sanctam Theresiam Domini jussu ad Philippum II confugisse pro magno Reformationis opere tuendo, cum S. Joannes a Cruce, notissimus Pater Gracian, alique piissimi viri inauditi et torti in vinculis detinerentur, non equidem a Tribunali Inquisitionis, ut vulgo creditur, sed ab ipsis praelatis regularibus.

Quod vero ad recursum *querellae* spectat, licitus quoque putatur, quia actor seu demandans libellum *(demanda)* offerre aut praesentare debet ante tribunal demandati, quin hoc in censuras cap. II *De foro competenti* in 6.° latas incurrat, etenim in desuetudinem abierunt.

Denique recursus per vim *(de fuerza)* omnino illiciti habendi sunt, et nullo pacto catholicis fas est illos admittere vel interponere, utpote sacrae Ecclesiae libertati plane injuriosos, ejus potestatis judicialis aperte laesivos, aequitati naturali contrarios et catholicae doctrinae refragantes.

Sacrae Ecclesiae libertati plane injuriosi sunt, tam in *re,* quam in *nomine;* in *re,* quia proclamatur tamquam processus juridicus et vere legalis appellatio ab Ecclesia ad Statum, ut civilis auctoritas, violentia adhibita, extralimitationes, ut plurimum suppositas atque confi-

---

(1) Act. Ap. cap. XX, v. 25.

ctas, potestatis ecclesiasticae impediat vel corrigat; in *nomine*, etenim ipsa denominatio *(de fuerza)* ab aulicis et regalistis usurpata certe indecora apparet, et ab Ecclesiae natura atque mansuetudine prorsus absona evadit, quae tantum ratione, doctrina, persuasione, mediisque suavissimis utitur, ac, si opus fuerit, censuris et moderatis poenis pro fine suo assequendo procedit, quin societas civilis vel saecularis auctoritas adhibere obstringatur violentam atque durissimam agendi rationem, si quando judices inferiores coercitione digni forent, ejusque sententiae repositionem mererentur.

Potestatem Ecclesiae judicialem aperte laedunt; quoniam judices civiles in ecclesiasticam jurisdictionem sese ingerunt, verum judicium instituentes de rebus religiosis et causis spiritualibus, veluti si non essent in Ecclesia legitimae auctoritates superiores, jure praeditae quemlibet abusum moderandi, aut indebitam judicum in negotia mere saecularia intrusionem corrigendi puniendique.

Aequitati naturali contradicunt; siquidem deest omnis paritatis, justitiae ac debitae proportionis ratio; cum enim judex saecularis in causas spirituales falcem mittit, contra illum interponitur merus *querellae* recursus *(recurso de queja):* sin vero judex ecclesiasticus nonnunquam jurisdictionem civilem invadat, contra ipsum interponitur recursus *per vim (recurso de fuerza).*

Postremo *catholicae doctrinae adversantur;* quippe Ecclesia non modo improbavit hujusmodi processus, ipsa inconsulta et inaudita inductos, ejusque suprema judiciali potestate spreta in praxim redactos, verum etiam explicite damnavit, uti constat ex propositione XLI Syllabi, in qua falso asseritur: "Civili potestati *vel ab infideli imperante exercitae* competit... nedum jus quod vocant *exsequatur,* sed etiam jus *appellationis,* quod nuncupant *ab abusu.*

15. Ad quaestionem circa recursus per vim ver-

santem juridice pertractandam aliquid praemittere debemus de notione atque divisione *appellationis.*

Appellatio definiri assolet: *provocatio ab inferiori ad superiorem judicem facta ab eo qui aliqua sententia gravatur vel gravari potest.*

Distinguitur praesertim: 1.° in scriptam et oralem; 2.° in judicialem et extrajudicialem; 3.° in rationalem et frivolam; 4.° a sententia definitiva et ab interlocutoria; 5.° in proprie vel improprie dictam; 6.° in simplicem seu a sententia iniqua et tamquam ab abusu seu a sententia injusta. *Scripta* dicitur quae in libellum redigitur, in quo breviter exponuntur gravamina illata vel inferenda; *oralis* seu *in voce* quae fit in actu notificationis sententiae per verba *appello* vel *provoco,* a notario consignata et cum ipso reo vel actore subscripta; *judicialis* quae fit ab actibus judicialibus; *extrajudicialis* quae ab actibus gubernativis interponitur et in jure potius vocatur *provocatio ad causam* (1); utilis seu *rationalis* quae solidis juris fundamentis innixa irritationem sententiae vel actus sortiri potest; *frivola* quae rationibus juridicis destituta effectum obtinere vel producere nequit; *a sententia definitiva* quae interponitur a sententia decisiva judicis, principalem controversiam aeque et absolute definiente; *a sententia interlocutoria* quae fit a decisione judicis, quaestionem incidentalem seu rem merae substantiationis definiente; *proprie dicta* quae interponitur ante judicem superiorem ejusdem ordinis ratione gravaminis illati vel inferendi; *improprie dicta* quando a sententia judiciali vel extrajudiciali provocatur ad judicem diversi ordinis; *simplex* nominatur actus *judicialis* quo a sententia iniqua provocatur; sub nomine vero sententiae *iniquae* venit ea quae lata est a com-

---

(1) Ita legimus in Decretalibus: «Quoniam sacri canones etiam extra judicium passim appellare permittunt, nec solent hujusmodi dici appellationes, sed *provocationes ad causam* (Lib. II, tit. XXVIII, cap. V.)

petente auctoritate et servatis juris solemnitatibus, quamvis juxta aestimationem appellantis non censeatur justitiae vel legi consona; *tamquam ab abusu* nuncupatur appellatio *judicialis* quae fit a sententia injusta; sententia autem *injusta* dicitur quae fertur vel ab auctoritate incompetente, vel spretis solemnitatibus juris, vel etiam contra apertam legis dispositionem, ita ut manifeste iniqua evadat, cujusmodi esset sententia judicis ecclesiastici beneficiatum non residentem post primum annum statim beneficio privans contra explicitum Tridentini decretum, in quo praecipitur ut primo anno media parte fructuum privetur, secundo anno omnibus fructibus, et tantum post tres annos et trinam monitionem ipso beneficio.

16. Richeriani, Febroniani, Gallicani, Regalistae, omnesque aulici atque pseudo-politici, qui recentiori aetate civilem potestatem amplificare magno cum Ecclesiae detrimento et aperto ejus jurium contemptu nisi sunt, Principibus et saecularibus magistratibus adscribere haud dubitarunt jus recipiendi appellationes *ab abusu* seu a sententiis injustis; sed facultatem appellationes simplices aut a sententiis iniquis accipiendi ipsis explicite tribuere ausi non sunt, quia nimis absurdum fuisset asserere atque propugnare auctoritatem laicam judicare posse in materia ecclesiastica super meritum causae, hoc est, quoad *essentiam* rei spiritualis et ipsam *naturam* controversiae judicialis mere canonicae; attamen saepius etiam ejusmodi potestatem judicibus laicis implicite contulere, competentiam Ecclesiae limitibus circumscribentes, et inter causas civiles pro suo lubitu recensentes ecclesiastica judicia et processus vere canonicos.

Hinc asseclae Febronianismi, Gallicanismi ac Regalismi contendunt (vel potius contendebant, quia hodiedum libertate conscientiae fere ubique proclamata, foro ecclesiastico abolito vel ignoto, et jure moderno

undequaque vigente, ejusmodi placita et quaestiones ferme obsoleta sunt et in ordinem mere historicum devenerunt) magistratus saeculares cognoscere posse in appellatione de legalitate causae duplici modo: 1.° judicando de *incompetentia* quando judex ecclesiasticus sibi vindicet jus videndi causas quae non sunt ejus fori, sed ad tribunalia civilia pertinent; 2.° judicando de *forma*, quoties judex ecclesiasticus solemnitates juris non servaverit etiam in causa ecclesiastica; quia hoc in casu de facto externo agitur, veluti contingere potest in jure civili; jam vero, cum quaestio est de factis externis quae jura civium violare queunt, etiamsi ab auctoritate ecclesiastica posita aut patrata sint, ad Statum politicum ejusque magistratus attinet subditos protegere, eosque a quacumque tyrannide et oppressione vindicare.

17. Adversus veterem Gallicanorum, Febronianorum ac Regalistarum errorem,qui magna cum Ecclesiae injuria apud nonnullas nationes in publico legum codice adhuc retinetur (1), sequentem statuimus thesim: *Auctoritati civili, per se et absolute loquendo, nullatenus competit jus recipiendi appellationes* "tamquam ab abusu".

Priusquam veritatem enuntiatae propositionis evincamus, operis pretium ducimus nonnulla praenotare, quae sensum assertionis juridico-catholicae recte definiant.

In primis enim praemonendum est thesim, quam pro tuenda libertate et competentia ecclesiasticae jurisdictionis formulavimus, tantum referri ad appellationes, quae *impropriae* et *ab abusu* dicuntur, minime vero complecti appellationes in acceptione *propria* sumptas,

---

(1) Ad Hispaniam quod attinet, adhuc perdurant et vigent ejusmodi odiosi processus, qui hostiliter et indecore denominantur *recursos de fuerza*, ut videre est in Lege organica Tribunalium die 15 Septembris anni 1870 edita, necnon in nova Lege Processali (Ley de Enjuiciamiento civil) die 3 Februarii anni 1881 evulgata.

neque eas quae *simplices* vocantur. Quoad primas absurdum et contradictorium esset tribuere Statui vel magistratibus laicis jus recipiendi has appellationes, cum ipsi nullo pacto haberi possunt velut superiores judicibus ecclesiasticis, quippe qui ad ordinem civilem pertinent prorsus heterogeneum ordini religioso; age jam, appellatio vere et proprie dicta ex allata definitione est provocatio ab inferiori ad superiorem judicem super gravamine illato vel inferendo. Quoad alteras, nempe, appellationes *simplices* et *improprie* dictas, omnes, velint nolint, fateri tenentur eas ad forum ecclesiasticum esse deferendas, tum quia agitur de materia religiosa, hoc est, de causis per se et essentialiter spiritualibus, quae jure divino Ecclesiae jurisdictioni dumtaxat subsunt, tum etiam quia, ut nuper innuimus, ordo civilis, ac proinde judex laicus est inferior ordine et judice ecclesiastico, a quo indirecte seu logica subordinatione dependet. Equidem ad Statum ejusque magistratus spectat defendere subditorum jura, quae ex hypothesi a judice ecclesiastico laederentur; sed Statui et civili auctoritati solummodo incumbit defensio jurium civilium seu temporalium, quatenus talia sunt, minime vero jurium spiritualium contra ipsam potestatem spiritualem, vel temporalium quae necessario derivantur a spiritualibus et cum iisdem intime connectuntur, uti evenit in casu privationis beneficii per sententiam judicialem clerico impositae, in quo amissio reddituum seu justitia causae temporalis arctissimo nexu vinculata est amissioni praebendae seu justitiae causae spiritualis ob quam privatus est beneficio; qui igitur competentia gaudet judicandi de causa spirituali, eo ipso judicare debet de causa temporali cum illa inseparabiliter conjuncta. Certum est etiam ad civilem societatem ejusdemque rectores pertinere tutelam honoris civium; at nullo modo fas est hinc deducere potestati saeculari esse tribuendum jus recipiendi appellationes

a judiciis mere spiritualibus, atque improbandi ipsas Ecclesiae sententias honorem auferentes, veluti quae excommunicationem et alias poenas infligunt; nam praefatae sententiae utique honore privant in ordine religioso et juxta principia catholica, non autem in ordine civili et juxta principia moderna, quae ubique tradunt ac conclamant quemque liberum esse sequendi religionem quae magis ei libuerit, quin idcirco tamquam indecorum et ignominiosum habeatur a praeceptis, doctrina et catholica communione discedere.

Deinde animadvertendum est in thesi memorata a saecularibus judicibus hoc jus abjudicari *per se et absolute loquendo*, non vero *per accidens*, relative, singulariter aut pro determinatis adjunctis; etenim dantur nonnullae exceptiones, et communi calculo tres praecipue casus recensentur, in quibus licitum prorsus est ad potestatem civilem recurrere, simulque haec absque ulla ecclesiasticae jurisdictionis usurpatione, neque in res spirituales invasione, recursum interpositum acceptare potest illumque prosequi ac concludere, scilicet: 1.° cum, juxta canones antiquos, praesertim vero secundum explicitam permissionem canonis *Placuit* Concilio Carthaginensi VIII tributi atque in Decretum Gratianeum tamquam genuini relati, a laica potestate impetratur judicium ecclesiasticum competens, hoc est, a Principe vel Summo Imperante petitur, ut sua civili ac suprema auctoritate judicium Episcoporum in causis spiritualibus, religiosisque negotiis sanciat (1): 2.° quando ad supremam potestatem saecularem appellatur pro impedienda exsecutione civili decreti abusivi aut sententiae injustae judicis ecclesiastici; tunc enim appellans tantum postulat, ut exsecutioni non mandetur sententia,

(1) En laudatus canon: «Placuit, ut quicumque ab Imperatore cognitionem publicorum judiciorum petierit, honore proprio privetur. Si autem Episcopale judicium ab Imperatore postulaverit, nihil ei obsit» (can. XI, caus. XI, quaest. I).

saltem usque dum viderit tribunal ecclesiasticum superius, si ad illud provocet tribunal ecclesiasticum inferius; ita ex Historia Ecclesiastica scimus S. Athanasium ab arianis episcopis damnatum ad Imperatorem appellase, ut a saeculari brachio non adimpleretur sententia injusta exilii, itemque S. Joannem Chrysostomum a Theophilo Patriarcha Alexandrino injuste etiam condemnatum ad orientalem Imperatorem provocasse, ne a Sede sua Constantinopolitana expelleretur: 3.° si ad civilem potestatem recurratur ad interponendam vel prosequendam ante tribunal ecclesiasticum superius appellationem, quae a judice inferiori, vi adhibita vel brachio saeculari invocato, materialiter praepeditur; siquidem hoc in casu civilis auctoritas suum auxilium praebet ad urgendam sacrorum canonum observantiam contra iniquam agendi rationem judicis ecclesiastici inferioris.

His praehabitis, ad thesim in sensu exposito comprobandam deveniamus. Appellatio *ab abusu* et *improprie* dicta, uti supra animadvertimus, vocatur quae fit ante judicem laicum a sententia *injusta* judicis ecclesiastici, vel quia reputatur incompetens ad judicandum, vel quia formam juridicam in judicio contempsit, vel quia legem canonicam in ferenda sententia aperte violavit; jam vero quocumque ex fonte oriatur *injustitia* sententiae, perfacile evincitur magistratibus saecularibus minime competere jus praefatas appellationes recipiendi.

1.° Si injustitia sententiae ex *incompetentia* proveniat, vel agitur de judicanda competentia inter Statum et Ecclesiam, hoc est, inter duas supremas potestates vel de competentia judicis ecclesiastici inferioris definienda juxta ipsas leges Ecclesiae: in primo casu cuique patet, licet aliud effutire audeant Gallicani et Regalistae, judicium competentiae ad illam auctoritatem esse deferendum, quae major, nobilior atque prae-

stantior sit, quandoquidem ipsa ratio naturalis persuadet ordinem inferiorem superiori deservire debere, eique subordinari; age jam, opportuno loco (1) fuse demonstravimus Ecclesiam ratione finis altissimi ac supremi majoritate et primatu prae societate civili gaudere. In secundo casu, nempe, cum quaestio versatur non circa Ecclesiam et Statum, sed circa auctoritatem saecularem aut civem privatum et judicem ecclesiasticum particularem, tum rursus vel sermo est de re dubia vel de re obvia et manifesta: si res dubia sit, ad tribunal ecclesiasticum superius recurrendum est, quia judicium verum seu auctoritativum non fit nisi a superiore; si vero res obvia et aperta fuerit, quia incompetentia secundum ipsos Ecclesiae canones manifeste apparet, tum suppetunt sive privato sive tribunali laico diversa media ad sententiam injustam nullam habendam, ejusque exsecutionem declinandam, quin judices saeculares judicium de causis ecclesiasticis proferant; etenim tamquam axioma juridicum et inconcussum principium habendum est hoc effatum: "judicium auctoritativum in religiosis causis judicibus ecclesiasticis tantum competit."

Hinc, cum de manifesta incompetentia judicis ecclesiastici agitur, poterit tribunal laicum: [a]) si accessus non pateat ad tribunal ecclesiasticum superius, sententiam declarare irritam procedendo ex evidentia rei, more privatorum; [b]) si insistat in exsequenda sententia tribunal inferius ecclesiasticum, appellare ad tribunal superius ecclesiasticum; [c]) si brachium saeculare invocetur aut vis publica imploretur pro exsecutione injustae sententiae, uti ad exulandum Episcopum ab haereticis damnatum, pro nihilo habere sententiam judicis ecclesiastici, illamque, quatenus ad forum civile refertur, minime exsequi.

---

(1) Vid. Vol. I, cap. I, art. IV.

2.° Quando vero injustitia sententiae ex omissione solemnitatum, id est, ex violatione formae legaliter praescriptae procedit, ad superiora tribunalia ecclesiastica adeundum est, quae facultate juridica pollent judices inferiores corrigendi, eorumque sententias reformandi vel invalidandi, nisi agatur de ipso Principe judicante, qui omnium consensu potest sciens et prudens a cunctis solemnitatibus dispensare, servatis tamen essentialibus de jure naturae.

3.° Demum, cum sententia injusta evadat, eo quod lata sit contra explicitas legis canonicae dispositiones, licet a competente auctoritate et juridicis solemnitatibus servatis, tum nec procedit appellatio ab hoc abusu, nec adest civilibus magistratibus non inquam juridicum fundamentum, sed ne quidem levis praetextus recipiendi ejusmodi appellationes vere futiles et prorsus innecessarias; etenim tam Jus Civile (1) quam Jus Canonicum (2) velut generale principium aperte statuunt et tradunt sententiam evidenter injustam vel manifeste iniquam esse nullam etiam sine appellatione; ac proinde, elapso quovis tempore, semper potest et debet haberi ut irrita, atque impune sperni sive a privatis, sive a tribunalibus laicis, quia nunquam in rem judicatam transibit, sicut sententia simpliciter iniqua, si ab ea tempore opportuno non fuerit appellatum.

---

(1) Vid. *D.* Lib. XLIX, *Quae sententiae sine appellatione rescindantur*, leg. I, § 2 *Item quum.*

(2) Ita legimus in Lib. II. Decret. cap. I *De sententia et re judicata:* «Sententia contra leges canonesve prolata, licet non sit appellatione suspensa, non potest tamen subsistere ipso jure». Idem etiam docet Regula LXIV Juris in Sexto: «Quae contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi».

ARTICULUS IV.

SUMMARIUM.

18. Appellationes de sententiis *ex informata conscientia*.—19. Modus procedendi ex jure Decretalium contra clericos criminales ordinari vel promoveri petentes.—20. Decretum Tridentinum.—21. An facultas *extrajudicialis* Jure Novissimo Episcopis concessa valida sit.—22. Utrum legitima existat —23. Quomodo interpretanda sit. —24. Conclusio practica.

18. De sententiis *ex informata conscientia* latis specialem sermonem instituimus tum ad fraudem regalistarum detegendam atque jansenianam audaciam compescendam, tum ob practicam praestantiam et frequentem ejusmodi recursus applicationem, hisce praesertim temporibus, in quibus magni interest pro debita morum reformatione obtinenda novisque recentioris aetatis necessitatibus consulendis potestatem Episcoporum mediis efficacioribus et adaequatis munire.

Sententiae *ex informata conscientia* passim nuncupantur: *quae ab Episcopis in foro externo feruntur vi facultatis a Tridentina Synodo ipsis concessae, absque informatione juridica, neque processu ordinario.*

Omnes Ecclesiae hostes qui vel labe janseniana inficiuntur, vel gallicanis erroribus imbuuntur, vel regalistarum placitis indulgent, facultatem extrajudicialem a Tridentino Episcopis collatam totis viribus impugnant, suspensiones *ex informata conscientia* utpote nullas prorsus rejicientes, ac uno ore communique consensu laicae potestati et civilibus magistratibus jus tribuentes recipiendi appellationes ab his sententiis semper *injustis*, prout ajunt, quippe quae solemnitatibus juris omnino spretis eduntur.

19. Ex jure Decretalium susceptio sacrorum ordinum negari et suspensio ab ordine jam suscepto imponi non poterat nisi causa canonica in foro externo demonstranda; si quando vero clerici saeculares propter ali-

quod delictum indigni haberentur ut ad sacram ordinationem ascenderent vel ordines exercerent, spectata criminis natura diversa ratio procedendi vigebat pro ipsis arcendis ab ascensu ad sacros ordines, a promotione ad superiores ordines vel ab exercitio ordinis, gradus aut ecclesiasticae dignitatis. Si de crimine publico ageretur, exclusio vel suspensio indigni fieri debebat praevio processu et juridica informatione; cum autem delictum esset occultum, Episcopis tantum fas erat media reconventionis, suasionis, consilii aut poenitentiae adhibere, et tandem delinquentem supremo Dei judicio remittere, prout hodie adhuc fit cum peccatoribus occultis Sacramenta publice petentibus.

Haec distincta agendi ratio juxta delicti indolem aperte colligitur ex cap. IV, tit. XI, lib. I Decretalium, qui ita se habet: "Ex tenore tuarum litterarum accepimus quod N. clericus adeo deliquit, quod si peccatum ejus esset publicum, degradaretur ab ordine quem suscepit, et amplius non posset ad superiores ordines promoveri. Verum quoniam peccatum ipsius fore occultum dixisti, mandamus quatenus poenitentiam ei condignam imponas, et suadeas ut parte poenitentiae peracta, ordine suscepto utatur: quo contentus existens, ad superiores amplius non ascendat. Verumtamen quia peccatum occultum est, si promoveri voluerit, eum non debes aliqua ratione prohibere".

Aliter res erat, cum de Regularibus agebatur, quibus promotio ad superiores ordines a suis praelatis judicio secreto seu ex informata conscientia ex tunc temporis interdici poterat, quoniam eorum superiores vi voti obedientiae ipsis a subditis praestiti jure pollebant libere praecipiendi quaecumque justa existimassent, uti constat ex cap. *Ad aures* ejusdem libri ac tituli (1).

(1) «Ad aures nostras pervenit, quod religiosi quidam ad superiores desiderant ordines promoveri; sed Praelati eorum desideriis contra-

20. Tridentina Synodus Cleri reformationi intendere cupiens atque Episcopis media tuta pro salute animarum conferre volens veterem disciplinam aliquatenus immutavit, sequenti decreto edito, in quo partialiter revocantur Juris Communis praescriptiones: "Cum honestius ac tutius sit subjecto debitam praepositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deservire, quam cum praepositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem, ei, cui ascensus ad sacros ordines a suo Praelato, *ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, extrajudicialiter,* fuerit interdictus, aut qui a suis ordinibus seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Praelati voluntatem expressa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus, dignitates sive honores restitutio suffragetur„ (1).

Praelaudatum Decretum, ut cuique patet, duas praestantissimas dispositiones complectitur, videlicet, *exclusionem* a sacris ordinibus suscipiendis juxta rectum Episcoporum judicium, et *suspensionem* ab ordinibus receptis ex prudenti etiam Praelatorum arbitrio. Prima pars decreti, hoc est, negatio ordinum a jansenianis et regalistis minus aegre fertur, tum quia agitur de jure adquirendo, non autem de jure adquisito tollendo, tum quia jus ad ordines inter bona privata computari nequit, cum ordines in bonum publicum instituti sint, tum etiam quia ad clericatum requiritur specialis et supernaturalis vocatio, quae exacte et juridice probari non potest:

---

dicunt. Tuae igitur quaestioni taliter respondemus: quod honestius, et tutius est subjectis debitam praepositis obedientiam impendendo in inferiori ministerio deservire, quam cum praepositorum scandalo graduum appetere dignitatem: nec est in hac parte subjectorum desiderium confovendum: quoniam esse potest, quod Praelati eorum commissa secreta noverint, ex quibus constat eis, quod salva conscientia nequeant sublimari: quia non in sublimitate graduum, sed in amplitudine charitatis adquiritur regnum Dei» (cap. V, *De Tempor. Ordin.*).

(1) Sess. XIV, cap. I *de Ref.*

unde recte sequitur admissionem vel exclusionem a sacris ordinibus rem esse mere privatam, ad forum conscientiae spectantem, et prudenti Episcopi judicio remittendam, et quidem appellatione inappellabili in efectu *suspensivo*, quamvis in *devolutivo* clericis adest recursus ad Romanum Pontificem, cui competit jus et officium inquirendi motiva processus episcopalis atque de eorumdem veritate et gravitate suprema sua prudentia judicandi. Altera pars Decreti, nimirum, quae de suspensione ab ordinibus susceptis seu de sententia *ex informata conscientia* lata explicite disserit, acriter a regalistis et gallicanis impugnatur, qui omnes hanc facultatem extrajudicialem utpote illegitimam penitus rejiciunt, atque contra ejus applicationem ad potestatem laicam confugiunt, magistratibus saecularibus adjudicantes jus apellationes recipiendi ab hujusmodi suspensionibus tamquam *ab abusu* vere intolerabili.

Pro tota hac quaestione enucleanda aliquid etsi summis labiis delibare cogimur de *validitate*, *legitimitate* atque *intelligentia* facultatis extrajudicialis a Tridentina Synodo Episcopis tributae.

21. De valore hujusce facultatis Tridentina concessione Episcopis competentis apud canonistas catholicos minime dubitatur; qui vero in scholam jansenianam vel regalisticam cooptantur, potestatem extraordinariam *ex informata conscientia* procedendi pro clericorum delictis puniendis prorsus inficiantur, magnoque animorum aestu impetunt; inter acerrimos impugnatores Decreti Tridentini eminent juxta suum morem celeberrimus Episcopus Scipion Ricci, ejus minister a secretis Petrus Tamburini, caeterique tunc temporis Ecclesiae reformatores, qui, ut Leopoldo Duci Etruriae adblandirentur, tot errores atque ineptias effutire veriti non sunt.

Sed Ecclesia Catholica sua suprema et infallibili auctoritate nova vi ac vigore firmavit iterumque sanci-

vit Concilii Tridentini declarationem; etenim Pius VI, in Bulla dogmatica toties laudata *Auctorem fidei*, propositiones XLIX et L Synodi Pistoriensis docentes Episcopis haud licere suspensionem *ex informata conscientia* ferre, atque ejusmodi suspensionem nullius esse valoris, damnavit veluti *falsas, perniciosas, laesivas jurisdictionis Praelatorum, in Tridentinum Concilium injuriosas.*

22. Quod ad legitimitatem facultatis conciliaris spectat, in corroborationem Tridentini Decreti atque pro evincenda honestate et justitia processus extrajudicialis novissimo jure statuti, satis sit leviter insinuare praecipua rationum momenta quae liceitatem, opportunitatem, atque interdum etiam necessitatem hunc supremum recursum adhibendi ostendunt: 1.° ecclesiasticum ministerium in bonum Ecclesiae publicum, necnon ad sanctificationem in populo christiano gignendam institutum est; sed ratio potissima bono publico consulendi et fidelium sanctificationi intendendi exigere potest pro scandalis impediendis vel peccatis vitandis quosdam non modo a clericali ministerio extrajudicialiter excludi, verum etiam ab ejus exercitio suspendi; igitur usus facultatis extraordinariae a Tridentino concessae non solum utilis et opportunus, sed omni puncto necessarius devenire potest: 2.° praefata facultas ab Episcopis ad instar remedii vel per modum exceptionis exercetur; unde justa haberi debet, quando in casibus extraordinariis urgens et proportionata causa adest illam exerendi: 3.° sententia *ex informata conscientia* est res mere provisoria pro determinatis adjunctis et singularibus casibus, semper enim habetur recursus ad Summum Pontificem; hinc, cum gravissimae necessitati ut plurimum occurrat, prorsus legitima apparet, etsi pro bono spirituali publico toleranda essent nonnulla incommoda, quae aliquando per accidens sequi possent: 4.° suspensio *ex informata conscientia* irrogata non est poena irreparabilis, sed remedium transitorium, mo-

mentaneus recursus, punitio cito reparabilis, semel ac finis spiritualis a Praelato intentus usu hujus potestatis obtentus fuerit; quapropter tot regalistarum declamationes, tamque acres janseniauorum censurae adversus Tridentinum Decretum prorsus injustae evadunt, eorumque dolum vel stultitiam liquido patefaciunt; quandoquidem, teste experientia, prudens atque opportunum exercitium novissimae facultatis adeo per neotericos impugnatae multum contulit ad retinendum clerum in debita subjectione et reverentia: 5.° omnes fateri tenentur in qualibet societate publicos officiales subjici exceptionali potestati superiorum, qui nonnumquam procedunt non judicialiter, sed administrative seu arbitrio suae prudentiae in suspendendis inferioribus; alioquin regimen ipsius societatis vere impossibile redderetur: 6.° denique, etiam spectato tantum jure moderno, in quo, assentientibus gallicanis, febronianis, regalistis, cunctisque novitatum sectatoribus, statuitur ac proclamatur, velut magnus et pretiosus nostrae aetatis progressus, maxima libertas civium, ultro agnoscendum est eos, qui ecclesiasticum ministerium suscipiunt, scienter ac volenter se subjici discretioni Episcoporum, sicut in societate domestica famuli et ministri judicio dominorum valide dimitti, et a famulatu vel ministerio libere separari possunt, quin coram hominibus seu societate civili rationem reddere teneantur nec famuli et ministri suae voluntariae subjectionis ac dependentiae, neque domini peculiaris in suis privatis domibus gubernationis.

23. Circa veram ac genuinam interpretationem Decreti *Cum honestius* magna viget apud canonistas controversia, quamvis, si recentioribus declarationibus Sacrarum Congregationum, praesertim vero criterio juridico ac practico a S. Congregatione Concilii hisce postremis annis servato standum sit, sensus Tridentinae praescriptionis atque extensio facultatis per ipsam

Ordinariis collatae nobis videntur sat definiti, ideoque quaestio fere soluta.

Alii cum De Angelis, Santi, Palmieri, caeterisque canonistis in Scholam Romanam adscriptis contendunt facultatem procedendi *ex informata conscientia* tantum applicari posse criminibus occultis a clericis patratis, nempe, quoties agitur de peccato certe cognito ab Episcopo, quod tamen in foro externo demonstrari nequit ob defectum probationum judicialium; pro sua sententia sequentia argumenta adducunt, quae equidem haud exigui momenti nobis videntur: 1.° ipsa verba Tridentini Decreti, quae cum cap. *Ad aures* lib. I Decretalium supra laudato collata sat luculenter ostendunt novam praescriptionem, in qua statuitur pro clericis saecularibus processus extrajudicialis, nihil aliud esse quam ampliationem seu extensionem legis pro regularibus ante Tridentinum vigentis; jam vero Jus Commune Ordinibus Religiosis applicandum juxta omnium consensum delicta occulta tantum respiciebat; Jus igitur Novissimum sensu etiam restrictivo interpretandum est: 2.° recentes decisiones Sacrae Congregationis Concilii (1) nullas declarantes (apposita etiam formula significativa *negative et amplius*) suspensiones ex informata conscientia in causis circa publica crimina versantibus inflictas, quin nec ullum quidem delictum occultum adesset, cujus vi Episcopus extrajudicialiter procedere posset: 3.° mentem sacrosancti Concilii, quae proculdubio sita est in supplendo Juris defectu pro casibus in antiqua legislatione minime contentis, ut ita praepediretur peccatorum multiplicatio; sed crimina publica in Jure Decretalium jam praevisa erant, proque ipsis puniendis methodus processalis praescripta habebatur, atque aliunde multiplicatio peccatorum aeque impedi-

(1) Conf. *Acta Sanctae Sedis* in compendium redacta, vol. 14.

tur per sententiam judicialem ac suspensione ex informata conscientia; ergo Tridentina Synodus Decreto *Cum honestius* sibi proposuit Episcopis facultatem extraordinariam concedere novam methodum adhibendi pro vitandis peccatis et plectendis clericis in casibus specialibus, hoc est, in causis delicti occulti, in quibus propter veteris legislationis judicialis deficientiam procedi nequit servato juris ordine.

Alii vero canonistae, duce Bouix (1), oppositam sententiam tenent asserentes Episcopos in ferenda suspensionis sententia procedere posse quocumque in casu, sive ob crimen occultum, sive ob crimen publicum seu judicialiter demonstrabile; in confirmationem suae opinionis haec rationum momenta afferunt: 1.° litteram Tridentini Decreti, nam verba *ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen*, spectatis praecipue sensu grammaticali et analogica significatione adjectivi indefiniti *quacumque* et conjunctionis *etiam*, manifeste evincunt conciliarem dispositionem praeter delicta occulta alia quoque crimina complecti: 2.° varias et antiquas Sacrarum Congregationum decisiones latae interpretationi faventes, praesertim autem declarationem affirmativam anno 1863 editam in celeberrima causa Presbyterorum Italiae Carolo Passaglia adhaerentium, de qua postea loquemur: 3.° scopum ipsius Concilii, etenim Tridentinum minime intendit novam legem ferre, quae veterem prorsus abrogaret vel universam legislationem judicialem Ecclesiae aboleret, prouti evidenter colligitur ex explicita declaratione ejusdem Synodi "Constitutio, sub Innocentio III in concilio generali, quae incipit *Qualiter et quando,* quam sancta synodus in praesenti innovat, ab omnibus observetur"; sed potius voluit remedium praebere, quo

---

(1) *De judiciis ecclesiasticis*, II, 325.

recentioris aetatis necessitatibus tutius ac efficacius subveniret; nunc vero applicatio remedii, nimirum, processus extrajudicialis seu suspensionis ex informata conscientia, fieri debet, tum cum agitur de delicto occulto, quando deficiunt juridicae probationes, tum etiam si quaestio sit de crimine publico, quod propter bonum commune aut ratione publicae honestatis impunitum remanere nequit, et tamen ob difficultatem temporum vel prohibitionem legum civilium ordo judicialis aut processus legalis servari non potest, uti evenit in casu nuper memorato de Presbyteris Italis.

24. Ex praejactis sententiis, quae inter canonistas optimae notae sustentantur, atque ex jurisprudentia a S. Romanis Congregationibus in nuperrimis decisionibus servata, haec practice nobis videntur esse concludenda: in judicandis ac plectendis clericorum delictis triplici via seu modo procedi potest, nempe, *ordinarie*, *subsidiarie* et *extraordinarie; ordinarie* seu per *regulam* generalem, ordinem judicialem a Jure Communi praescriptum servando, cum de criminibus publicis disseritur; *subsidiarie* seu per *supplementum* legis canonicae, facultate extrajudiciali a Tridentina Synodo in capite *Cum honestius* Episcopis concessa utendo, quando sermo est de delictis occultis certo cognitis, quae tamem judicialiter probari nequeunt; *extraordinarie* seu per *exceptionem*, suspensionem ex informata conscientia ferendo vi ejusdem Tridentinae potestatis, si quando de delicto etiam publico agatur, ex alia parte *punitione* digno ad scandalum reparandum vel peccata vitanda, ex alia autem judicialiter *impunibili* ob gravissima pericula et incommoda, quae Episcopis ex processu juridico imminerent, sive propter Statuum aut Principum hostilitatem, sive propter iniquam legum civilium sanctionem, defectioni, rebellioni vel flagitiis clericorum faventium, sive demum propter timorem poenas subeundi per saecularem potestatem inflictas.

Et quidem rectum exercitium et legitimus usus hujus extraordinariae atque exceptionalis facultatis pro se habet recentem et authenticam Sanctae Sedis declarationem; cum enim plures Presbyteri in Italia, prout testatur ipse Felix Cavagnis in Pontificio Seminario Romano Antecessor, litteris Caroli Passaglia ad Summum Pontificem directis subscripsissent, in quibus effreni audacia et inaudita irreverentia Christi Vicario et B. Petri Successori suadebatur, ut Principatui civili renuntiaret, atque hac nequissima agendi ratione ipso facto in censuras a S. Pio V in Constitutione *Admonet nos* latas incurrissent, Episcopi, ne tantum delictum impunitum maneret, sui muneris esse duxerunt contra ecclesiasticos delinquentes procedere; sed, spectatis rerum adjunctis et legislatione tunc temporis in Italia vigenti, gratia conflictus vel poenas civiles declinandi, memoratos Presbyteros *ex informata conscientia* suspenderunt. Interrogata autem anno 1863 Sancta Sede an valida ideoque sustinenda esset haec suspensio, responsum est affirmative, etsi de delicto publico ageretur; quae quidem declaratio intelligentiam Tridentini Decreti detegit, ejusque sensum ad facultatem exceptionalem pro casu extraordinario etiam publico extendit.

ARTICULUS V.

SUMMARIUM.

25. Quartus abusus adversus Ecclesiae independentiam: *Violatio Immunitatis Ecclesiasticae.*—26. Notio atque divisio Immunitatum.—27. Principia certa hac super re.—28. Opiniones circa originem *juridicam* Immunitatum.—29. Refutatio sententiae extremae Regalistarum originem *civilem* propugnantium.

25. Omnes certe norunt et ingenue fateri tenentur ecclesiasticam immunitatem necessariam sequelam et legitimum consectarium esse independentiae ac supre-

matiae Ecclesiae; etenim, si haec habetur veluti societas independens a civili, unaque agnoscitur tamquam adsociatio divinae originis Statu indirecte superior, pronum est inferre ipsius ministros, loca ac res vel in omnibus vel in pluribus posse aut debere esse immunes a civili auctoritate.

Et sane, a D. Paulo in Epistola I ad Timotheum usque ad Pium Papam IX in Syllabo millies laudato, Apostoli et Episcopi, Patres et Concilia, Imperatores ac Reges, Leges atque Codices, Fideles et Populi, Barbari etiamque ipsi Ethnici, privilegia clericorum, sacrasve immunitates palam coluerunt et solemniter promulgarunt.

Praesertim vero postrema Ecclesiasticae Historiae periodo, cum *Jus Novissimum* pro peculiaribus temporum ac rerum adjunctis esset statuendum, sacrosancta Tridentina Synodus immunitatem personalem clericorum Principibus christianis expresse commendavit, confidens eos non solum Ecclesiam defensuros, sed "nec permissuros, ut officiales, aut inferiores Magistratus, Ecclesiae, et personarum Ecclesiasticarum immunitatem, *Dei ordinatione, et Canonicis sanctionibus constitutam,* aliquo cupiditatis studio, seu inconsideratione aliqua violent„ (1): deinde poenas contra violatores immunitatis jam olim latas innovat, admonetque "Imperatorem, Reges, Respublicas, Principes, et omnes, et singulos, cujuscumque status, et dignitatis exstiterint; ut, quo largius bonis temporalibus, atque in alios potestate sunt ornati, eo sanctius, quae Ecclesiastici juris sunt, tamquam Dei praecipua, ejusque patrocinio tecta venerentur„ (2).

Attamen recentiori aevo potestas saecularis, adversus sensum totius antiquitatis agens, juris naturalis prae-

(1) Sess. XXV, cap. XX *de Ref.*
(2) Loc. cit.

scriptionibus spretis et universali traditione posthabita, sacras immunitates non modo violavit, verum ex publica legislatione expungens penitus abolevit, quod quidem absque enormi flagitio et abusu vere execrabili per Principes ejusque Gubernia fieri non potuit.

Eapropter de hac re pertractare cogimur in justam detestationem ejusmodi abusus luctuosa nostra aetate perpetrati, necnon in necessariam Ecclesiasticae independentiae vindicationem.

26. Immunitas ecclesiastica definiri solet: *Exemptio seu libertas a potestate civili, quae inest personis, locis et rebus ecclesiasticis propter consecrationem et applicationem eorumdem ad divinitatem.*

Dividitur in *personalem*, *localem* et *realem*: *personalis* dicitur *exemptio Clericorum a foro laico, muneribus publicis et oneribus saecularibus*; immunitas personalis ex jure canonico in suo conceptu triplicem exemptionem importat per ipsam definitionem expressam: 1.° privilegium fori, quo clericus immunis est non solum a judicio laico in causa tam criminali quam civili quando ut reus convenitur, sed etiam ab obligatione legum civilium quae sacris canonibus vel officio clericali repugnant, quamvis caeteras civiles leges officiis et dignitati status clericalis minime adversantes servare teneatur juxta Bellarminum (1) obligatione tantum *directiva*, non vero *coactiva*, quibus verbis significatur Clericos non posse civiles leges impune despicere: at si deliquerint, non a laico, sed ab ecclesiastico judice esse puniendos: 2.° exemptionem a publicis muneribus, sive *vilibus* (uti officio vias publicas aut pontes reficiendi aliaque id genus praestandi), a quibus jure romano erant immunes patricii et officiales publici, itemque nobiles medio aevo; sive *honorificis* (velut tutela, cura, exactione tributorum, aliisque similibus) sive *administrativis*, *judicialibus*, *po-*

(1) *De Clericis*, lib. I. cap. 28.

liticis aut *bellicis* (cujusmodi erant officia syndici, jurati, legislatoris et militis): 3.° liberationem ab oneribus saecularibus, tum *personalibus* (puta taxa capitationis aliaque tributa pro individuis imposita), tum *patrimonialibus*, etenim immunia censebantur non modo bona Ecclesiae, sed et personalia clericorum ratione personae sacrae.

Immunitas *localis* appellatur *libertas locis sacris competens ab eo omni, quod eorum sanctitatem dedeceat:* duas partes complectitur, nimirum, exemptionem ab omni actu *profano* (jurisdictione, negotiatione et associatione) atque liberationem ab omni actu *violento*, unde jus asyli, quo pasim designatur: *immunitas seu praerogativa, qua reis ad Ecclesiam confugientibus praestatur securitas, ne vi et violentia extrahi possint.*

Immunitas *realis* dicitur *exemptio bonorum Ecclesiae a publicis vectigalibus:* Ecclesia autem, dum ejusmodi privilegio *reali* fruita est, pro resarciendis quibuscumque jacturis vel damnis, quae ex condonatione vel remissione vectigalium societati civili aut publico aerario sequi possent, reipublicae concedebat *subsidia* super bona ecclesiastica, interdum etiam ipsas decimas, necnon sua praedia vel eorum redditus, si in necessitatibus extraordinariis versaretur Status; attamen Concilium Lateranense III can. XIX statuit quantitatem judicio Cleri et Episcoporum esse definiendam; cum vero Clerus et Episcopi facile indulgerent vel aegre resistere possent immoderatis Principum exactionibus, Lateranense IV can. XLVI, praeter beneplacitum Episcopi et Cleri ex antiqua lege jam requisitum, decrevit in posterum expetendum consensum atque habendam esse approbationem Summi Pontificis.

Praedictae immunitates a legibus civilibus in regnis catholicis agnoscebantur, apud populos christianos colebantur atque per Reges et Principes custodiebantur; sed a saeculo XVI quo, relaxata vel disrupta concordia inter sacerdotium et imperium, praevalere coeperunt

principia naturalismi, regalismi atque liberalismi, neoterici omnes novissimis theoriis abrepti undique conclamarunt Clericos in ecclesiasticis officiis immunes esse debere a potestate laica, non autem in muneribus saecularibus ac publicis, in quibus reliquis civibus aequiparantur; sub eadem ratiocinatione effutierunt loca sacra et bona Ecclesiae, quatenus usibus religiosis inserviunt a legislatione ecclesiastica moderari, sed in caeteris jure communi regi oportere, ne detrimentum capiat jurisdictio civilis vel publicum aerarium.

Ex tunc temporis Principes ac Supremi Magistratus novatorum doctrinas amplectentes sibi arrogarunt jus sacras immunitates atque ecclesiastica privilegia suo lubitu et propria auctoritate interpretandi, immutandi vel abrogandi, inaudita prorsus Ecclesia, quae, spectatis rerum adjunctis, modificationes novae temporum conditioni accommodatas in jus antiquum utique induxisset.

En quomodo Clerici devenerunt tribunali laico subjecti, militiae adscripti et jure communi obligati, et si quando ab oneribus publicis eximuntur in civili legislatione, omnes perfecte sciunt ejusmodi exemptionem ipsis impertiri non in reverentiam status clericalis, sed ad illos arcendos a publica negotiorum directione et salutari in societatem influxu. En quomodo bona Ecclesiae tributis nonnumquam odiosis et gravioribus onerata sunt, Ecclesiae violatae, loca religiosa profanata, jus asyli abolitum, omnisque rei sacrae secularizatio pedetentim consummata, ita ut nec levis quidem species relicta sit aut vix vestigium aliquod remaneat illius antiquae immunitatis, quae aperto testimonio Principum, unanimi Traditionis consensu ac tot saeculorum praescriptione sancita et consecrata erat.

27. Antequam originem *juridicam* Immunitatum inquiramus, atque diversas opiniones, quae hac super controversia apud canonistas vigent, expendamus, tria

praestabilire oportet: 1.° aliud esse forum, potestatem, libertatem seu competentiam Ecclesiae in causis spiritualibus et rebus religiosis, aliud vero privilegium *fori* aut exemptionem Clericorum a potestate et jurisdictione saeculari; immunitatem ecclesiasticam quoad causas spirituales et mere ecclesiasticas, esse *juris divini* omnes ultro fatentur; sententiae versantur circa immunitatem ecclesiasticam quoad res temporales et causas criminales, veluti solutio debitorum vel punitio delictorum, quae a viris ecclesiasticis, non quatenus Clerici, sed quatenus homines improbi sunt, perpetrari possunt, cujusmodi habentur furta, homicidia, sacrilegia, aliaque id genus. 2.° Auctoritatem Ecclesiae quasdam immunitates et specialia privilegia sibi vindicandi esse quoque *juris divini;* etenim Ecclesia ex Christi institutione facultate pollet ea omnia statuendi atque decernendi, quae in societate christiana necessaria vel utilia sunt ad ejus finis assecutionem. 3.° Immunitatem ecclesiasticam, quaecumque sententia amplectatur, juxta unanimem omnium consensum, nunquam posse aboleri, abrogari vel penitus tolli, quia, ut ait celeberrimus Episcopus Segobiensis Didacus Covarruvias, "utile quidem est et denique necessarium ad liberius et rectius ministrandum Ecclesiis, quod Clerici et eorum res sint a judicibus saecularibus immunes, praesertim ex eo quod haec immunitas maximam originem ducat a divinis Veteris Testamenti institutionibus, a Sanctorum Patrum testimoniis, a publicisque Imperatorum quorumdam concessionibus, ut tandem totus fere orbis christianus in hanc exemptionem propter publicam utilitatem consenserit" (1).

Quamobrem Pius IX in Syllabo damnavit propositiones XXXI et XXXII asserentes *abolitionem fori*

---

(1) *Quaest. Pract.* cap. XXXI, num. 8.

ecclesiastici pro causis temporalibus Clericorum, sive civilibus, sive criminalibus; atque *abrogationem* immunitatis personalis Clericorum a servitio militari.

28. His praemonitis, ut ea, quae certe ab omnibus tenentur, melius secernantur, controversiam inter canonistas hac super re agitatam leviter adumbrabimus; quaeritur enim an immunitas sit *juris divini* vel *juris humani*.

Pro *jure divino* tres exstant sententiae: 1.ª *extrema* eorum qui cum Eximio Suarezio, Card. Soglia, aliisque quamplurimis probatissimis theologis ac canonistis contendunt exemptionem Clericorum etiam in civilibus negotiis et causis criminalibus ad jus divinum esse referendam: 2.ª *media* illorum qui asserunt ecclesiasticam immunitatem, generice spectatam, esse immediate juris divini, sed postea jure ecclesiastico determinandam; sicut enim, ajunt patroni hujus sententiae, habentur leges divinae de se indeterminatae et jure ecclesiastico determinandae, uti praecepta communionis eucharisticae, cultus divini, mortificationis, aliaque ejusmodi indeterminata quoad tempus, modum, et locum, quae tamen deinceps lege ecclesiastica definiuntur; ita etiam immunitates jure divino generice ac indeterminate constitutae, pro temporum opportunitate, variabili modo, majori vel minori amplitudine possunt ab Ecclesia determinari: huic sententiae assensum praebere nequimus, quia solido fundamento destituitur ob defectum paritatis; etenim si immunitas clericis, locis ac rebus Ecclesiae jure divino competit, materia est de se determinata, deficitque proinde res, objectum vel praeceptum indeterminatum, uti fit in allatis exemplis: 3.ª sententia *mixta*, quae nobis magis arridet, originem juridicam immunitatum repetit *remote* a jure divino, *proxime* a jure ecclesiastico. Rejecta igitur 2.ª sententia, de 1.ª et 3.ª singillatim pertractabimus.

Pro *jure humano* tres aliae recensentur sententiae:

1.ª *extrema* Regalistarum autumantium ecclesiastica privilegia a jure civili esse profecta; hujusmodi opinio, quam citissime refellemus, hodie damnata reperitur in propositione XXX Syllabi—"Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit„: 2.ª *media*, originem immunitatum, tum juri civili, tum juri ecclesiastico, tribuens: 3.ª *pura* illorum canonistarum qui, Didaci Covarruvias, Natalis Alexandri, Duvalli, aliorumque vestigia prementes, originem sacrarum immunitatum a jure ecclesiastico tantum ducunt. Opiniones oppositas canonistarum, qui in exponenda juridica origine ecclesiasticae immunitatis, ad jus *divinum* vel ad jus *ecclesiasticum* exclusive confugiunt, in trutinam revocabimus, rationum momenta quae pro utraque militant, quocumque deposito praejudicio, in medium proferentes.

29. Regalistae pro vindicanda origine *civili* immunitatum quinque praecipue argumenta adducunt: 1.° recensita privilegia inveniuntur Ecclesiae concessa lege civili, quam ipsi canones saepenumero allegant vel invocant; 2.° membra duplicis societatis oportet utriusque legislationem servare; 3.° Christus Dominus in Evangelio generaliter praecepit: *Reddite ergo quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo*; 4.° ipse Angelicus Doctor immunitatem personalem a tributis derivat non ex jure divino, sed ex concessione civili, etenim ait: "A debito solvendi tributum liberi sunt clerici ex privilegio principum. Quod quidem aequitatem naturalem habet; unde etiam apud gentiles liberi erant a tributis illi, qui vacabant rebus divinis„ (1); 5.° Rex Ildephonsus X, cognomento *Sapiens*, in Codice *Partitarum* Justinianeam jurisprudentiam in medium revocans, ecclesiasticam immunitatem Principum favori tribuit: "Fran-

(1) Lect. I in cap. XIII *Epist. ad Rom.*

quezas muchas han los clérigos más que otros omes también en las personas como en las cosas, *é esto les dieron* los Emperadores, é los Reyes, é los otros señores de las tierras por honra é por reverencia de la Santa Eglesia, é es *grand derecho* que las ayan... (1).

Sed tota haec Regalistarum argumentatio rationibus adeo futilibus nititur, ut facillima confutatione disjiciatur; etenim in promptu est ad singula proposita argumenta responsio.

Quoad *primum*, falsum est ecclesiasticas immunitates jure civili fuisse statutas; etsi enim quaedam privilegia lege civili Ecclesiae fuerint concessa, antequam edita esset lex ecclesiastica, tamen inficiari nequit: 1.° Ecclesiam aliquas inmunitates sibi vindicasse tamquam debitas vel convenientes, easdemque auctoritate propria constituisse, etiam non exstante lege civili, immo vero contra ipsam legem civilem; nam, nondum pace Ecclesiae data, (saec. III) a Patribus Africanis prohibitum est fidelibus committere Clericis tutelas et curas, quamvis lex civilis haec spectaret veluti publica munera; ita aperte constat ex decreto Concilii Africani anno 249 habiti atque a S. Cypriano in *suam ad clerum et populum Epistolam* relato: *Episcopi antecessores nostri religiose considerantes, et salubriter providentes, censuerunt ne quis frater excedens ad tutelam vel ad curam clericum nominaret; ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur:* 2.° privilegia ab Imperatoribus profecta, semel concessa, lege ecclesiastica sancita et canonizata fuisse, ita ut vim ac vigorem non a jure civili sed a jure ecclesiastico mutuarentur: 3.° Ecclesiam saepissime restitisse, quando ipsa inconsulta, Principes eadem abrogare intenderunt: 4.° canones interdum allegare aut invocare leges civiles vel contra judices laicos minores vel *historice*, hoc

(1) Ley 50, tit. 6.°, pag. 1.ª

est, tamquam monumenta antiquitatis quae jus ecclesiasticum ostendunt ac corroborant, et eatenus firmitate atque vigore pollent, quatenus ab Ecclesia fuerint approbata, uti colligitur ex cap. Nos ATTENDENTES 10 *de Constitutionibus.*

Quoad *secundum*, obligatio quae membris duplicis societatis inest servandi legislationem utriusque adsociationis, non exstante conflictu, ad summum probabit ecclesiasticam immunitatem non esse immediate juris divini in iis quae officiis clericalis ministerii non adversantur; sed minime evincit eam ad potestatem saecularem vel ad jus civile ita attinere, ut constitui nequeat lege positiva societatis superioris facultate praeditae ea omnia statuendi, quae, licet non rigorose necessaria, saltem utilia existimantur proprio fini assequendo.

Quoad *tertium*, verba ex Evangelio S. Matthaei sumpta totiesque repetita—*Reddite ergo quae sunt Caesaris, Caesari et quae sunt Dei, Deo*—tantum docent ex Christi praecepto in ordine mere temporali et rebus politicis Summis Imperantibus esse tribuendum quidquid juris ipsis competit; sed simul tradunt in ordine spirituali atque in negotio religionis nullam Principibus civilibus potestatem esse deferendam *(quae sunt Dei, Deo)*, ex quo licet inferre contra regalistarum placitum Clericos, loca sacra et res Ecclesiae, cum sint Dei, quia specialiter Deo serviunt, in quibusdam habendas esse jure divino exemptas, in reliquis lege ecclesiastica eximi posse, ut facilius Deo inserviant; unde recte eruitur triplicem immunitatem *personalem, realem* ac *localem* a jure divino, vel a jure ecclesiastico, vel ab utroque simul esse repetendam, at nunquam ortum ducere posse ex jure civili vel ex voluntate Principum, ita ut ab iisdem auferri possit, quippe versatur circa materiam specialiter divino servitio dicatam, scilicet, personas, loca et res, quae propter consecrationem Divinitati vel dedicationem cultui divino *sunt Dei.*

Quoad *quartum*, notandum est: 1.° S. Thomam de speciali et unica exemptione tantum loqui, nempe, de immunitate personali a tributis, non vero de Ecclesiastica immunitate generaliter et totaliter sumpta; 2.° Angelicum Doctorem expresse fateri etiam exemptionem a tributis jure divino tertiario fulciri, etenim concessionem civilem et Principum privilegium aequitati naturali adscribit tum in textu allato per verba—*Quod quidem aequitatem naturalem habet*—, tum cum postea rationem affert hujus concessionis: "Hoc autem ideo aequum est, quia sicut reges sollicitudinem habent de bono publico in bonis temporalibus, ita ministri Dei in spiritualibus; et sic per hoc quod Deo in spiritualibus ministrant, recompensant regi, quod pro eorum pace laborat" (1); 3.° incassum a regalistis hac super re invocari auctoritatem S. Thomae, etsi saeculo XIII praedictum aliave privilegia ex jure civili duxisset, siquidem doctrina de sacris immunitatibus in Tridentino Concilio saeculo XVI luculenter tradita, tandem nostris diebus explicite sancita est in Syllabo damnatione propositionis XXX supra relatae.

Quoad *quintum* et postremum argumentum, animadvertere sufficit: 1.° Regem Alphonsum X, *Sapientem* nuncupatum, in Codice *Partitarum* palam agnovisse fundamentum remotum ac indirectum immunitatum in jure divino primario haberi, proximum autem et directum in jure tertiario situm esse, hoc est, in naturali justitia et aequitate, necnon in debita erga Ecclesiam reverentia, qua nixi Imperatores christiani amplissimis privilegiis personas, loca et res sacras locupletarunt—*por honra é por reverencia de la Santa Eglesia, é es grand derecho que las ayan*—; 2.° tempore Alphonsi X, ut nuper innuimus, nec declarationem Tridentinam editam

(1) Loc. cit.

fuisse, neque sententiam contrariam a Romano Pontifice esse damnatam; 3.° legem civilem, etsi a viro sapientisimo latam et laudabili zelo redactam, in rebus religiosis vim juridicam et valorem decisivum minime habere; hinc inter verba Tridentini immunitatem ecclesiasticam jure divino et canonico inductam declarantis et verba legis imperiali voluntati eam quasi favorem tribuentis sincero catholico electio dubia esse nequit.

ARTICULUS VI.

SUMMARIUM.

30. Sententia extrema Juristarum catholicorum *divinam* originem tuentium expendatur.—31. Opinio *ecclesiasticam* originem sustentans. —32. Quaenam sententia tenenda sit.—33. Origo *historica* Immunitatum.—34. Jus *asyli*.—35. Evolutio hujus specialis immunitatis localis.—36. Ratio agendi Ecclesiae in materia Immunitatis.

30. Canonistae, quibus cum Eximio Suarezio, Emmo. Soglia, aliisque eruditissimis viris probabilior videtur sententia *divinam* immunitatum originem asserens, ad historiam, traditionem, Sacram Scripturam, ecclesiastica monumenta atque rationem confugiunt, ut omni argumentorum genere suam opinionem muniant ac roborent.

Ex *historia* in medium proferunt tum omnium gentium consensum, apud quas personae, loca et res sacrae pluribus exemptionibus ornatae et insignitae sunt, quod equidem sensum quemdam ipsius naturae nobis detegit, tum etiam exemplum Veteris Legis, in qua similia privilegia vigebant, quamvis ejusmodi Lex valde imperfecta erat utpote umbra atque figura Novae Legis, sanctioris et perfectioris.

Ex *traditione* ita argumentantur, ut verbis utar Francisci Suarez: "Quando Traditio est constans ac perpetua, ostendere solet jus divinum, praesertim

quando non apparet ratio illam tribuendi apostolicae institutioni: talis autem esse videtur Traditio hujus exemptionis; est nempe adeo antiqua, ut nullum ejus agnoscatur initium, nam pro temporum opportunitate semper servata est, praecipue vero post tempora christianorum Imperatorum" (1). Et sane in dubium vocari nequit immunitatem Clericorum perpetuo constanterque fuisse observatam ab aetate Constantini Magni ad nostra usque tempora.

Ex *Sacra Scriptura* promunt memorata S. Pauli verba ad Timotheum: *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus* (2), quibus verbis non tribuitur, sed agnoscitur potestas recipiendi adversus Presbyteros accusationes, ideoque supponitur jam tunc fuisse episcopale tribunal pro Clericorum causis dijudicandis erectum. Pro recta hujus textus interpretatione patroni juris divini cum egregio Suarezio (3) animadvertunt Apostolum heic non agere de solis causis ecclesiasticis, sed de querelis contra Clericos in causis criminalibus, in quibus fit proprie accusatio; aliunde, loquente D. Paulo indefinite et simpliciter, illius sententia ad crimina ecclesiastica non est restringenda; igitur, juxta paulinum testimonium, Presbyteri tunc temporis de quocumque crimine poterant ac debebant in tribunali ecclesiastico accusari.

Ex *ecclesiasticis monumentis* in corroborationem juris divini quamplurima allegant Sanctorum Patrum effata, Conciliorum sententias, necnon quosdam canones ex Corpore Juris depromptos: originem divinam immunitatum disserte ostendunt, ajunt asseclae Suarezii et Soglia, declaratio Concilii Lateranensis V sub Leone X Pontifice habiti — *Cum a jure tam divino,*

---

(1) *Defen. Fid. Cath.* lib. IV cap. 8.
(2) *Epist.* I. cap. V.
(3) Loc. cit. cap. 18.

quam humano laicis potestas nulla in ecclesiasticas personas attributa sit—(1), affirmatio Concilii Coloniensis—*immunitatem vetustissimam esse, jure pariter divino et humano introductam*—(2), atque explicita asseveratio cap. QUAMQUAM 4 *de Censibus* in 6.°, in quo ita legitur: *Cum igitur Ecclesiae, Ecclesiasticaeque personae ac res ipsarum non solum jure humano, quinimo et divino, a saecularium personarum exactionibus sint immunes...*

Ex *ratione* demum videtur colligi origo divina immunitatum, etenim cum ex Dei voluntate personae, loca et res sacrae servitio divino dicata sunt, pronum est conjicere ex ipsa Dei ordinatione Clericos eorumque res a potestate saeculari esse eximendas et Ecclesiae auctoritati prorsus addicendas; maxime cum vere indecorum atque summopere inconveniens appareat Clericos, praesertim in ordine judiciali, gubernari et puniri a laicis, quod idem esset ac oves pastores judicarent.

Cum igitur Clericorum immunitas a foro laico in Ecclesia perpetuo et constanter observata fuerit, ejusque initium neque ad Apostolos, neque ad Summos Pontifices, neque ad Concilia Episcoporum referri possit, fas est concludere, juxta patrocinatores originis divinae, ecclesiasticam immunitatem a jure divino esse profectam.

31. Qui vero cum Covarruvias, Natali Alexandro, Duvallo, caeterisque canonistis autumant exemptiones Clericorum quoad res temporales et causas criminales a jure ecclesiastico ortum ducere, hisce argumentis nituntur: 1.°, in Novo Testamento nulla lex evangelica reperitur, quae Clericos a jurisdictione Principum saecularium eximat; unde dici potest eos lege humana exemptos esse, cum nulla sit lex vere et proprie divina, vi ac potestate praedita post Christi adventum Clericos

---

(1) Sess. IX.
(2) Part. I. cap. 20.

eorumque res a jurisdictione Principum saecularium eximendi; 2.°, in primitiva Ecclesia tam Clerici quam eorum res jurisdictioni Regum ac Imperatorum subjecta fuere, uti constat ex multis Imperatorum etiam christianorum legibus et constitutionibus latis de personis ipsis et rebus ecclesiasticis; 3.°, haec de jure ecclesiastico sententia pro se habet auctoritatem D. Pauli, qui, videns causam suam inique tractari, ad Caesarem appellavit, necnon ad Romanos scribens aperte tradidit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* (1); 4.°,ejusmodi opinio etiam comprobatur testimonio Sancti Petri ad omnes Sacerdotes ita ajentis: *Subditi estote dominis vestris sive regi, sive ducibus ab eo missis* (2).

32. Etsi validioribus armis pugnare videntur ii qui exemptionem Clericorum etiam in civilibus negotiis et criminibus ad jus divinum referunt, quam illi qui privilegium fori ab humano jure profectum esse contendunt, tamen nec defensoribus juris divini omnino assentiri volumus, nec assertores juris ecclesiastici directe impugnare intendimus, cum omnia mirifice componi possint, et utraque sententia facile concordari queat; et re quidem vera, ad oppositas sententias conciliandas satis erit opinionem mediam seu mixtam eorum amplecti, qui utrique juri, tum divino, tum ecclesiastico, suas partes atque legitimum concursum tribuunt, asserentes originem sacrarum immunitatum *remote* a jure *divino* esse repetendam, quia fundamentum hujusmodi exemptionum in ipsa rerum natura atque recta aequitate habetur, *proxime* vero a jure *ecclesiastico*, quoniam Ecclesia suis legibus et propria auctoritate alia privilegia sibi vindicavit, alia autem, quae concessione Principum, lege civili aut consuetudine inducta fuerant, suprema sua sanctione munivit et rata habuit.

---

(1) Cap. XIII.
(2) Epist. I, cap. II.

Patroni hujus sententiae mediae, quae nobis videtur melior et veritati veteribusque monumentis magis consona, pro tuenda sua opinione maxima probabilitate gaudenti haec rationum momenta afferunt: 1.° testimonia supra relata tum Conciliorum Lateranensis et Coloniensis, tum Sexti Decretalium, in quibus utriusque juris, sive divini sive humani, expressa fit mentio; 2.° declarationem explicitam Tridentinae Synodi, quae hac de re loquens disserte docet: *Ecclesiae, et personarum Ecclesiasticarum immunitatem*, DEI ORDINATIONE, *et* CANONICIS SANCTIONIBUS (esse) *constitutam* (1); 3.° praxim seu agendi rationem ipsius Ecclesiae, quae interdum per concordata jus suum remittit, aliquid imminutionis vel limitationis in materia immunitatis concedendo, aliquando etiam per tacitam acquiescentiam bono publico consulens, majoribusque malis vitandis intendens usurpationibus civilis auctoritatis indulget, quasdam violationes tolerando vel prudentes modificationes hac de re permittendo; nunc vero si sacrae immunitates formaliter essent juris divini, nullo pacto dari possent ejusmodi imminutiones et restrictiones, quia in iis quae directe, immediate ac formaliter ad jus divinum attinent, locum habere nequit mutatio, dispensatio vel modificatio; 4.° principia juris naturalis, quae nobis tradunt membra duarum societatum leges utriusque servare teneri in statu concordiae, hoc est, quoties conflictus non existat, etenim regula generalis juris naturalis praecipit, ut in duabus societatibus perfectis et *formaliter* tantum distinctis duae aut plures obligationes eidem subjecto inhaerentes adimpleri debeant, quotiescumque conciliabiles sint, nempe, cum observantia unius finem alterius societatis minime impediat vel imminuat; age jam, in pluribus ex recensitis immunitatum capitibus non adest conflictus, secus neque ab Ecclesia indulgeri possent,

(1) Sess. XXV, cap. XX *de Ref.*

quin juri naturali praevalentiam societatis superioris praescribenti adversaretur; igitur inobservantia legum civilium quoad nonnulla privilegia seu quod idem est, immunitas in aliquibus rebus civilibus et negotiis criminalibus non procedit formaliter ex jure divino, sed proxime et directe ex jure ecclesiastico oritur licet lato sensu atque remote, id est, fundamento seu essentia rei spectata, in eodem jure divino fulciatur, quoniam aequitas naturalis ipsaque dignitas status clericalis a Christo Domino instituti justitiam, utilitatem et convenientiam sacrarum exemptionum suadeant.

33. Expositis diversis canonistarum sententiis circa naturam juridicam sacrarum immunitatum, nonnihil de origine *historica* ecclesiasticarum exemptionum dicendum erit, ut luculentius pateat Principes, populos atque universam antiquitatem christianam mirifice conspirare in adstruendis ac vindicandis Clericorum privilegiis.

Origo historica immunitatis religiosae, generice inspecta, ad remotissima usque tempora assurgit atque in ipsa societate ethnica reperitur; etenim notum compertumque est apud gentiles sacerdotes, loca et res sacras pluribus exemptionibus esse insignita; sic ex. gr. in Veteri Testamento legimus praedia sacerdotum non fuisse empta a Pharaone tempore famis (1), necnon Artaxersem templum Hierosolymitanum atque levitas a tributo liberasse (2). Si igitur pagani aequitate naturali ducti personas ac res sacras spectatissimis privilegiis ornarunt, mirum nobis esse non debet post pacem constantinianam primos Imperatores christianos, Principes etiam Barbarorum et Dominos feudales pro religionis sanctitate majora jura et praestantiores immunitates

---

(1) Gen. cap. XLVI.
(2) Lib. I Esdr. cap. VII.

Ecclesiae concessisse vel sponte agnovisse, et quidem tamquam juste debitas et valde congruentes divinae institutioni, altissimae dignitati ac nobilissimae missioni societatis religiosae a Christo conditae.

Ad Imperatores autem christianos quod attinet, adeatur ad Codices Theodosianum et Justinianeum, in quibus passim est invenire leges a Constantino, Theodosio Magno, Justiniano aliisque Imperatoribus latas in favorem Clericorum et pro reverentia, quae locis et rebus sacris tribui debet (1): speciminis gratia unius tantum meminimus, nempe, sapientissimae legis a Constantino Magno promulgatae et in Codicem Theodosianum relatae: "Qui divino cultui ministeria religionis impendunt, id est, qui appellantur clerici, ab omnibus omnino oneribus excusantur, ne sacrilego livore quorumdam a divinis obsequiis evocentur (2)."

Ad Barbaros quod spectat, ex testimonio Cassiodori scimus Atalaricum regem Gothorum, licet arianum, quemdam magistratum, qui Romae diaconum in causa civili damnaverat, ita graviter objurgasse: "Quod nobis pro ingenita reverentia, quam nostro debemus Auctori, displicuisse profitemur ut qui prius meruerant sacris inservire ministeriis, conventionibus irreverenter nefariis expositi, injuriis subjacerent (3)"; everso autem Romano Imperio, plures Principes ad Christianismum conversi, cum in novis regnis in Europa constitutis suum tribunal quoad res judiciales populis victis reliquissent, et aliunde tribunalia specialia haberent nobiles, Clericis etiam asservarunt pro dignitate ecclesiastici status privilegia quibus jam apud Romanos guadebant.

---

(1) Valentinianus III, ut ex Historia constat, privilegium fori pro Clericis abolevit; tamen Historia etiam nobis testatur Concilium Andegavense statim celebratum Clericis prohibuisse ne a judicio Episcopi discederent, et Imperatorem Majorianum legem Valentiniani III abrogasse atque privilegium fori iterum ratum firmumque habuisse.

(2) Leg. 16, tit. 2, lib. 7.

(3) Lib. VIII *Variorum*, cap. 24.

Tempore feudalismi, notum est tum bona feudalia, tum ipsos feudatarios a publicis tributis fuisse exemptos, eo quod putabantur satis reipublicae inservire operam personalem praestando in Principum obsequium ac defensionem; hinc jure optimo et maxima cum aequitate rebus et personis sacris idem principium applicatum fuit, quandoquidem bona ecclesiastica religioni dicata et personae clericorum spirituali militiae addictae summopere jam serviebant publicae utilitati, cum religio plurimum boni atque ingentem utilitatem societati civili afferat.

34. Quod ad *jus asyli* speciatim respicit, haec immunitas localis, vi cujus debitores et rei criminum ad Ecclesiam confugientes tuti sunt, et illinc sine piaculo avelli nequeunt, a remotissima quoque antiquitate ortum ducit; etenim ipsa natura gentes docuit nefas esse eos violare, qui ad templa Diis dicata confugissent: hinc, teste historia, apud Graecos et Romanos templa, altaria, simulacra, luci sacri tamquam securitatis et asyli loca habita sunt; apud Hebraeos autem ex Dei ipsius mandato sex urbes refugii constitutae fuere, et Altare Templi eos, qui inviti vel inconsulto occidissent, tuebatur.

Cum igitur penes Ethnicos templa, altaria et statuae Imperatorum atque apud Populum Hebraicum quaedam urbes et Altare praefata immunitate fruerentur, pronum est colligere apud Christianos, lege evangelica promulgata et nova religione ab ipsomet Deo fundata, loca sancta potiori ratione et majori aequitate ejusmodi privilegio esse locupletanda. Et sane jure asyli ab ipsis incunabulis donatae sunt Christi Ecclesiae, antequam ederetur prima lex civilis hac super re; nam sanctio Theodosii anno 414 lata, et quae habetur Libro I Codicis Theodosiani sub titulo *de iis qui ad Ecclesiam confugiunt*, non primo jus asyli constituit, sed modum potius et limites decrevit, quod evidenter ostendit jam-

pridem Ecclesias ea immunitate praeditas esse, uti constat tum ex Concilio Carthaginensi anno 399 habito, in quo deputati sunt ad Imperatorem duo Episcopi, ut legem obtinerent, qua prohiberentur extrahi a sanctis Ecclesiis delinquentes, qui ad eas confugerent, tum ex S. Paulino in vita S. Ambrosii, ubi narrat celeberrimum Episcopum Mediolanensem jus asyli in favorem Cresconii defendisse.

35. Ad evolutionem hujus immunitatis melius assequendam, tres periodos, quas jus asyli pro varia temporum vicissitudine subiit, distinguere jubat, videlicet, antiquam, mediam ac novissimam.

Aetate antiqua, Ecclesia per Concilia et Patres hoc jus sibi vindicat, et mores ac magistratus assentiuntur; ita cernimus Concilium Arausicanum I (an. 441) can. V decernere: *Eos qui ad Ecclesiam confugerint, tradi non oportet, sed loci reverentia et intercessione defendi* (1); pariter videmus Concilium Chalcedonense (an. 451) can. I expresse loqui de canonibus jam constitutis, de atrio Ecclesiae et domu Episcopi, atque de gravissimis delictis: *De homicidis, adulteris et furibus si ad Ecclesiam confugerint; id constituimus observandum quod* "ecclesiastici canones" *decreverunt et lex romana constituit, ut ab Ecclesiae atriis vel domo episcopi eos abstrahi omnino non liceat, sed nec aliter consignari, nisi ad Evangelia datis sacramentis de morte, de debilitate et omni poenarum genere sint securi* (2); denique notissima sunt verba S. Joannis Chrysostomi sic increpantis eunuchum Eutropium, patritium et consulem, qui postquam jus asyli per legem civilem abrogasset, ad Ecclesiam confugit, gratia declinandi iram Imperatoris Arcadii et militum

---

(1) Apud. Labbaeum, tom. III. col. 1443.
(2) Apud. eumd. tom. IV. col. 1408.

insectationem: *Nunc reipsa didicit quale sit quod fecit, et suomet facto legem suam primus abrogavit* (1).

Aetate media, jus asyli pro se habuit tamquam praecipuum fundamentum non solum reverentiam locis sacris debitam, ne vis armata, inaudita spirituali auctoritate, in Ecclesias ingrediatur, quae semper exstitit potissima ratio hujus immunitatis, quippe Ecclesiae apud omnes haberi debent veluti loca sacra cultui divino exclusive dicata ideoque religiosae jurisdictioni directe subjecta, verum etiam publicam populorum utilitatem; etenim agebatur de tempore ominosissimo et peculiaribus societatis adjunctis, in quibus undequaque praevalebant caedes et privatim sumebatur vindicta, ac proinde valde consentaneum et aequissimum fuit Ecclesiam medio aevo, pro justitia recte administranda simulque crebris saevitiis privatisque ultionibus vitandis, defensionem suscipere eorum, qui, suorum facinorum poenitentes, ad misericordiam Dei confugiebant formali promissione novam vitam ineundi.

Aetate novissima, exercitium juris asyli ita in desuetudinem devenit, ut ejusmodi antiquissima immunitas fere abolita censeri possit; inter quamplurimas causas quae potissimum et efficacius ad hanc ferme totalem abolitionem contulere, recenseri merentur: 1.° gravissimi abusus contra mentem Ecclesiae patrati; tot enim scelesti, fures et sicarii in ecclesiis degebant, ut templa non viderentur esse domus orationis, sed speluncae latronum; 2.° traditio delinquentium brachio saeculari; nam Ecclesia, ne jure asyli ansam praeberet delictis, rectius judicavit, causa jam cognita, potestati civili tradere reos criminum atrociorum, eos praesertim, qui non ex impetu quodam passionis, sed ex malitia peccaverant, vel ipso loco sancto abutebantur; 3.° mitigatio

(1) Hom. *in Eutropium* n.° 3. tom, III, edit. Maur.

morum, quae a populis amovit frequens discrimen caedis atque vindictae, in quo versatae erant urbes, cives ac regna medio aevo; 4.° paulatinae et progressivae limitationes Juris Canonici; quae partim reclamantibus guberniis, partim vero suadente nova temporum conditione, jus asyli adeo restrixerunt, ut quosdam tantum casus ad reos leviorum criminum spectantes complecteretur; 5.° ipsum commodum delinquentium, quibus certe levior erat poena a judicibus saecularibus inflicta, quam per longum tempus, donec haberetur praescriptio, manere in Ecclesia veluti in carcere, seu in exedris aut alio aedificio apposito (1).

36. Pro hac disquisitione absolvenda aliquid necesse est pertingamus de agendi ratione Ecclesiae hac super re; jam vero, si monumentis historicis atque juridicis standum sit, liquido patet Ecclesiam, in materia immunitatis triplex temperamentum, ut ita dicam, servasse, videlicet, *praescriptionis*, *confirmationis* et *accommodationis*.

1.° Et quidem, quamplurima et authentica catholicae traditionis et christianae antiquitatis documenta nobis ineluctabiliter patefaciunt Ecclesiam quasdam immunitates sibi vindicasse atque easdem auctoritate propria constituisse, etiam non extante lege civili, uti supra demonstravimus allato testimonio irrefragabili Patrum Africanorum (saec. III), ipsarum observantiam formaliter *praescribendo* tum clericis, tum laicis; cujus assertionis vades damus Sanctorum Patrum scripta et Conciliorum decreta.

De immunitate a tributis, memorare sufficiat luculenta S. Joannes Chrysostomi verba, qui loquens de

---

(1) In Hispanis Codex poenalis jus asyli ne quidem inter circumstantias attenuantes nominat, unde hodiedum nulli nec minima poenae pars relaxatur ex Ecclesiae intercessione in favorem rei; qua de causa apud nos vix nullus ad ecclesias confugit, ita ut haec immunitatis ecclesiasticae pars pene obsoleta habeatur et in oblivionem devenerit.

exemptione sacerdotibus per Pharaonem concessa ita exclamat: *Audiant qui nunc vivunt, quantam olim sacerdotum idolorum curam habuerint, et discant ut vel saltem parem habeant honorem ii, quibus omnium Dei ministerium creditum, et qui sacerdotio insigniti sunt* (1).

De immunitate Clericorum a tribunali laico in causa criminali, legatur praeclara S. Hilarii Epistola ad Imperatorem Constantium; evolvantur Conciliorum Collectiones, ubi tot suppetunt decreta pro Clericis a foro saeculari eximendis in negotio criminali; praesertim vero consulantur Concilia Agathense (an. 506) can. VIII et L, Aurelianense IV (an. 541), Antissiodorense (an. 578) can. XXXI, et Masticonense I (an. 581) can. VIII, in quo decernitur: *Ut nullus clericus ad judicem saecularem quemcumque alium fratrem de clericis accusare aut ad causam dicendam trahere quocumque modo praesumat; sed omne negotium clericorum aut in episcopi sui aut in presbyterorum vel archidiaconi praesentia finiatur. Quod si quicumque clericus hoc implere distulerit, si junior fuerit, uno minus de quadraginta accipiat; sin certe honoratior, triginta dierum conclusione mulctetur* (2).

De immunitate Clericorum a foro laico etiam in causa civili, tam sub Romanis Imperatoribus quam sub Regibus Barbarorum, plura habentur antiquitatis monumenta, ex quibus plane colligitur, juxta ecclesiasticam jurisprudentiam tunc temporis vigentem atque morum vigore saeculariumque magistratuum assensu confirmatam, causas inter clericos esse videndas ab Episcopo; si inter clericum et laicum, et clericus esset reus, pariter ab Episcopo; si vero clericus foret actor, a judice laico, licet obtenta antea a clerico competenti Episcopi venia citandi apud illum laicum demandatum et comparendi coram civili magistratu.

---

(1) Hom. 65 in cap. 47 *Geneseos.*
(2) Conf. Labbaeum, tom. VI Conc.

Silentio praeterimus explicita testimonia Concilii Arelatensis (an. 452) can. II, Concilii Aurelianensis IV (an. 541) can. XX, aliorumque, quorum passim meminere praecipui Collectores, sed non possumus non adducere canonem XIII celeberrimae nostrae Synodi Toletanae III: *Clericus in alium clericum apud judices saeculares non postulet judicium, sed solum apud Episcopum. Qui secus; et causa cadat, et excommunicetur.*

2.° Ecclesia autem non modo aliquas immunitates jure proprio constituit atque praescripsit, utpote suae legitimae libertati et sublimi dignitati debitas, verum etiam ipsa privilegia a civili auctoritate, hoc est, ab Imperatoribus vel Regibus concessa et in Codices publicos inserta, rata habuit et propria lege sancivit: unde etiam immunitates ex concessione Principum vel ex civili legislatione ortae vi acceptationis et *confirmationis* Ecclesiae *canonizatae* fuerunt, id est, *sacrae* factae sunt et in Jus Ecclesiasticum coaluerunt.

3.° Demum, mutata temporum conditione et bono publico aliter suadente, Ecclesia suam agendi rationem novissimis rerum, aetatis ac populorum adjunctis, quantum fieri potest, hoc est, salva semper sua divina independentia servatisque essentialiter suis sacratissimis juribus, attemperavit; etenim cum cessasent exemptiones a tributis sive personalibus sive realibus, etiam pro magnatibus, unificatione fori ubique proclamata etiam in regnis olim catholicis, atque jure asyli negato vel penitus abrogato, Ecclesia Catholica bono animarum et saluti populorum consulens, novis necessitatibus et praesenti societatis civilis statui sese *accommodavit*.

Hinc, tamquam pia et prudentissima Mater privilegiorum abolitioni assentita est ad invidiam declinandam et accusationes suorum inimicorum prorsus disjiciendas: immunitatem *realem* renunciavit, ne videretur velle aliorum expensis et cum gravamine laicorum ditescere; immunitati *personali* valedixit, facile conce-

dens Clericos judicio saeculari subjici in causa civili; imminutioni vel suppressioni immunitatis *localis* quoad jus asyli haud aegre consensit; attamen duo privilegia etiam hac nefasta aetate totis viribus et continuis reclamationibus sibi vindicavit, videlicet, exemptionem Clericorum a publicis muneribus, praesertim a militia, et privilegium fori in criminalibus, quamvis per Concordata plures concessiones et in hac re fecerit, ne videretur velle Clericos impunes manere, quibusdam semper servatis in reverentiam status clericalis.

CAPUT II.

QUAESTIONES SPECIALES DE POTESTATE DIRECTA ECCLESIAE.

ARTICULUS I.

SUMMARIUM.

37. Potestas *directa* Ecclesiae.—38. Jura quae ipsi competunt ratione finis *proximi*.—39. Jus Ecclesiae quoad *Fidem* seu doctrinam.—40. Potestas Ecclesiae fidem tum infidelibus, tum acatholicis praedicandi.—41. Jus Ecclesiae doctrinam catholicam fidelibus proponendi.—42. Jus Ecclesiae fideles instituendi ac conservandi in fide christiana.

37. **Potestas *directa* Ecclesiae nuncupatur:** ***Complexus jurium, quae ratione*** **"specificationis"** ***ex*** **"genere"** ***finis*** **"proximi"** ***et adaequati pendentis Ecclesiae competunt, utpote societati spirituali a Statu distinctae, et pro fine etiam spirituali assequendo media*** **"interna"** ***et proportionata adhibenti.***

38. **Ecclesia vi potestatis *directae*, quae ratione finis *proximi* eidem incumbit, septem potissimum juribus potitur; nam, cum finis ejus proximus *in sanctificatione fidelium* consistat, plene et certissime proponere ac praescribere potest omnia *media* ad hunc *finem* obtinendum ordinata, *interna* rite et proprie appellata, quippe de**

fine spirituali agitur, videlicet: 1.°, *Fidem*, praecipuum sanctificationis medium, utpote fundamentum omnis sanctitatis et ordinis supernaturalis radicem; 2.°, *Sacramenta*, tamquam uberrimum gratiae fontem et medium ordinarium sanctificationem efficiendi; 3.°, *Sacramentalia*, tutelam vitae spiritualis et medium adaequatum sanctificationem asservandi et custodiendi; 4.°, *Cultum Publicum*, externam fidei ac religionis expressionem, necnon medium aptissimum atque practicam sanctificationis formam; 5.°, *Adsociationes et Opera Pia*, stimulum christianae pietatis et supernaturalis charitatis incitamentum, ideoque medium efficacissimum sanctificationem fovendi atque augendi; 6.°, *Professionem publicam* consiliorum evangelicorum, perenne interioris sanctitatis sublimisque virtutis testimonium, et medium utique tutissimum perficiendi sanctificationem; 7.°, *Mortem christianam*, optatum honestae ac piae vitae terminum, unaque postremum medium consummandi et coronandi in societate religiosa opus sanctificationis.

Cum igitur septem habeantur *media*, quae ad sanctificationem animarum, finem proximum societatis a Christo institutae, obtinendam, efficiendam, servandam, exercendam, promovendam, perficiendam atque consummandam recte ducunt, merito concludere nobis fas est Ecclesiae sub hoc respectu septem quoque *jura* esse adscribenda, nimirum: Jus quoad *Fidem; Sacramenta; Sacramentalia*; *Cultum Publicum* seu *Sacram Liturgiam; Adsociationes et Opera Pia*; *Instituta et Congregationes Religiosas; Cadavera fidelium* et *christianam Sepulturam*.

39. In primis enim, relate ad *Fidem* seu doctrinam Ecclesia triplici facultate instructa est, de qua singillatim aliquid delibabimus: 1.°, jure fidem tum infidelibus tum acatholicis praedicandi; 2.°, jure doctrinam catholicam fidelibus proponendi; 3.°, jure catholicos instituendi ac conservandi in fide christiana.

40. 1.° Ecclesia a Christo Domino suo Divino Fun-

datore potestatem accepit veram fidem annuntiandi cunctis gentibus *(praedicate evangelium omni creaturae)*, ideoque suos Apostolos in universum mundum mittendi *(ite in mundum universum)*, quin ad hoc sacratissimum munus obeundum venia Principum, auctoritatis civilis consensu vel quocumque placito humano indigeat: huic supremae atque divinae potestati necessario respondet jus et officium, quorum vi singuli homines et *possunt* et *debent* fidem christianam amplecti *(qui crediderit... salvus erit)*.

Hinc sequitur: [a]) injuriose agere eos qui catholicos missionarios vexant aut persequuntur, vel infideles converti volentes impediunt aut insectatur; [b]) Ecclesiam, ad suos missionarios atque conversos defendendos, simulque ipsis adversantes puniendos, vim armatam a Principibus christianis optimo jure implorare posse, qui pro sua facultate eam suppeditare tenentur, ut jura Ecclesiae, quacumque impugnatione sive interna sive externa repulsa, ab omnibus revereantur.

Ecclesia facultate etiam gaudet rectam fidem acatholicis praedicandi et unitatis necessitatem schismaticos docendi; nam quoad dissidentes, etsi hi per Baptisma in infantia susceptum (si rite collatum sit) habitum fidei receperint, tamen per haeresim formalem illum amiserunt; et ad schismaticos quod attinet, licet fidem profiteantur, eam nihilominus nec vivam habent sicut caeteri peccatores, neque habere possunt ratione sui status socialis seu schismatis, et aliunde in haeresim formalem saepissime lapsi sunt, quia ut plurimum Romani Pontificis auctoritatem et necessitatem eidem parendi inficiantur: huic salutari facultati et altissimo Ecclesiae muneri perfecte consonat jus et officium, quod omnibus et singulis heterodoxis et schismaticis inest, fidem orthodoxam amplectendi et ad sinum verae Ecclesiae sese confugiendi.

Hinc pariter consequitur: [a]) omnes qui usum ratio-

nis adepti fuerint, jus et officium habere ea omnia praestandi quae pro consecutione finis ultimi necessaria sunt, quin exposcere aut exspectare cogantur consensum parentum, si filii sint, vel dominorum suorum, si de servis servituti proprie dictae obnoxiis agatur; etenim salus aeterna negotium maxime individuale est ad singulos homines directe spectans *(qui vero non crediderit, condemnabitur);* b) Ecclesiam, cui ex Dei dispositione demandata est cura adjuvandi singulos salvari volentes, jus quoque et officium habere suscipiendi, invitis etiam parentibus vel dominis, heterodoxos catholicam fidem amplectentes vel schismaticos ad centrum unitatis redeuntes; c) Principes christianos, quibus incumbit officium jura Ecclesiae vi armata tuendi, suum praesidium praebere teneri tum Ecclesiae ministris apostolatum in regionibus acatholicis vel schismaticis exercentibus, tum illis omnibus, qui ex haeresi aut schismate ad unitatem fidei et communionis sponte converti volunt.

41. 2.° Ad catholicos buod spectat, Ecclesia jure potitur veram doctrinam fidelibus *auctoritative* et *efficaciter* proponendi; AUCTORITATIVE, a) *definiendo* veritates fidei propria competentia, suprema auctoritate et irreformabili judicio; b) *damnando* cunctos errores divina potestate et inappellabili sententia. Hinc Ecclesiae competit jus dogmaticum, tam positivum, hoc est, definiendi quae vera sunt, quam negativum, id est, reprobandi quae falsa fuerint; quin auctoritas civilis praetextu publicae perturbationis, quae ex novis definitionibus seu damnationibus sequi possent, valeat in hisce rebus sese immiscere.

EFFICACITER insuper proponere potest Ecclesia catholicam veritatem suis asseclis: a) *removendo* obstacula, quae rectae doctrinae professioni, aut propagationi adversantur; unde speciatim ipsi deferendum est jus prohibendi libros, qui intellectum pervertere possint

falsam doctrinam suadendo, vel voluntatem seducere queant bonos mores depravando; [b]) *praeveniendo* pericula, quae efficacem catholicae doctrinae propositionem et susceptionem in discrimen revocare valeant; inde jus Ecclesiae tum exigendi a fidelibus ut praeventivae censurae subjiciant libros de rebus religiosis vel cum eis connexis pertractantes, tum approbandi eos qui de religione publice docere aut disputare intenderint.

42. 3.° Praeter potestatem Ecclesiae propriam catholicis veram doctrinam proponendi, eidem insitum est jus fideles instituendi atque conservandi in fide christiana, quod quidem gravissimum munus et praestantissimum officium triplici pacto adimplere solet: [a]) *urgendo* adsistentiam ad praedicationem in Ecclesia, ut fideles christianam doctrinam facile addiscant atque in eadem tum *speculative* seu quoad intellectum, tum *practice* seu quoad voluntatem proficiant: aliud enim est definitiones fidei in conciliis aut alia documenta vi magisterii dogmatici extra concilium edere, vel prohibitiones librorum aut approbationes eorumdem auctoritative ferre, aliud vero curam impendere, ut singuli fideles in catholica doctrina efficaciter instituantur; illud sistitur in jure quodam generali et officio potius theoretico, hoc autem ad jus magis practicum et officium quotidianum revocandum est. Et quamvis ejusmodi adsistentia ad fidei catholicae expositionem pueros praesertim respicit, qui frequentiori indigent instructione; tamen, quoniam non sufficit res semel didicisse, sed etiam necesse est earumdem saepius meminisse, hinc adulti quoque ecclesiasticam praedicationem frequentare tenentur, maxime cum haec oporteat aetati et evolutioni proportionata sit.

b) Deinde, Ecclesia jus fideles instruendi ac christianam doctrinam inculcandi alia ratione exercet, nempe, *determinando* formam praedicationis; ad Ecclesiam

equidem spectat judicare de modo opportuniori et consentaneo veritates fidei tradendi atque explicandi, ut efficaciter in mores fidelium influant. Hinc, quidquid effutierint Regalistae et Janseniani saeculo superiori hac de re, et non obstantibus decretis nostra aetate in Helvetia latis, necnon iniquis prohibitionibus ab aliis guberniis hostilibus editis, ad Ecclesiam semper pleno jure attinebit potestas decernendi quaenam forma magis expediat pro doctrina catholica exponenda, juxta diversa rerum, locorum ac temporum adjuncta; ipsius proinde erit finire atque docere utrum praedicatio sub forma *missionum* populi christiani necessitatibus magis adaequata videatur, vel e contra an sub forma *catechesis, pastoralis instructionis* aut *solemnis concionis* fidelium conditioni aptior censenda sit.

c) Denique, Ecclesia Catholica munere divinitus injuncto fideles instituendi et in profesione rectae fidei custodiendi fungitur, non solum intra loca sacra, verbum Dei annuntiando et christiana dogmata exponendo, verum etiam extra templa, *interveniendo* in scholis, sive *negative*, hoc est, curando ne in iisdem doctrinae christianae attentetur, sive *positive*, nempe, religiosam culturam promovendo in scholis tam saecularibus quam ecclesiasticis.

Sed cum fidelium institutio in orthodoxa fide et christiana doctrina extra loca sacra praesertim in scholis fiat, et alioquin quamplurimae quaestiones hac super re nostris diebus exortae sint, quae a patronis *saecularizationis* ingenti religionis jactura permiscentur, vel cum aperta Ecclesiae jurium violatione praepostere solvuntur, operis pretium ducimus de hac gravissima controversia singillatim disserere, sequenti articulo inquirentes qualis et quanta sit ecclesiasticae potestatis interventio in scholis apud catholicas nationes; etenim recte praestabilita natura atque extensione hujusmodi interventus, et errores facile conterentur et quaelibet aequivocatio omnino cessabit.

ARTICULUS II.

Summarium.

43. Interventio Ecclesiae in scholis: praecipua earumdem divisio.—44. Principia juridico-catholica quae hac de re supponi et praevalere debent.—45. Jus *negativum* et *positivum* Ecclesiae in scholas fidelium.—46. Potestas Ecclesiae in scholas *primarias* et *privatas*.—47. Quanam auctoritate gaudeat supra scholas *populares publicas*.—48. Quid juris competat in scholas elementares privatas, sed publicis *assimilatas*.—49. Qua facultate polleat erga scholas *secundarias*.—50. Utrum in *superioribus* intervenire possit ac debeat.

43. Ad ostendendam necessitatem atque finiendos limites ecclesiasticae interventionis in instituenda tum publice tum private catholica juventute, ante omnia consentaneum nobis videtur praecipuam scholarum classificationem innuere. Scholae autem dividi possunt ratione *originis*, *instructionis* et *naturae*.

Ratione *originis*, distinguuntur scholae in *privatas* (a personis privatis pro fidelibus institutas); *publicas* (a gubernio, provincia vel municipio fundatas); et *assimilatas* (a privatis creatas, sed pro effectibus civilibus a lege publicis comparatas).

Ratione *instructionis* vel *institutionis*, in *primarias* (pro parvulis et pueris), *elementares* seu *populares* quoque appellatas; *secundarias*, quae passim dispesci solent in *professionales* (pro artibus, officiis et specialibus professionibus), *instructionis secundariae* litterariae vel scientificae (de 2.ª enseñanza), *normales* (pro publicis magistris efformandis), et *academicae* seu *praeparatoriae* (pro studiis vel professionibus peculiaribus); denique *superiores* (lyceales et universitarias).

Ratione *naturae*, in *saeculares* (non *laicas*) et *clericales*, prout institutae sint ad instructionem et educationem fidelium *saecularium* vel tantum *clericorum*.

44. Circa juridicam et indeclinabilem Ecclesiae interventionem in scholis catholicis, sive privatis, sive

publicis, quatuor principia prae oculis haberi debent, nimirum:

1.um *Patribusfamilias inest directe ac immediate jus et officium naturale filios suos instituendi in recta doctrina christiana:* (ergo institutio, quae dicitur *obligatoria*, injuriosa est et potestatis paternae laesiva).

Et sane hoc patrumfamilias gravissimum munus dicitur *officium*, quia tenentur filios in vera religione instituere, simulque *jus* vocatur, quia cura filiorum, cum nascuntur et sibi consulere nequeunt, ab Auctore naturae ipsis patribus directe et immediate concredita est; attamen de jure et officio patrum instruendi atque educandi filios in eis, quae ad vitam recte traducendam necessaria sunt in ordine spirituali aut temporali, duo animadvertere oportet: a) hujusmodi munus ab ipsa natura injunctum sub Ecclesiae dependentia esse exercendum; sicut enim quilibet christianus sub Ecclesiae vigilantia et positiva directione est pro adimplemento officiorum quae ut christianus habet, ita etiam patresfamilias pro christiana institutione filiorum suorum sub Ecclesiae vigilantia et directione sunt, quatenus; christiani, cum officium institutionis christianae in patre sit necessaria extensio officii paterni ex qualitate christianitatis, qua insignitur, derivata: b) huic praestantissimo muneri satisfacere posse patres tum per se, tum per alios; licet sub propria vigilantia atque responsabilitate.

2.um Scholae primariae tam privatae, quam publicae, patrum vices gerunt, eorumque personam repraesentant; ex facto vel delegatione patrum "privatae", ex voluntate auctoritatis socialis "publicae": (ergo magna est praestantia, immensa responsabilitas et altissima missio magistrorum, sive privati, sive publici sint.)

Enimvero, scholae privatae auctoritatem patrumfamilias repraesentant, sive ab ipsis constitutae sint et paternae rigorose appellari valeant, sive ab aliis creatae fuerint; quamvis enim patri jus et officium naturale

est educandi et instituendi filios suos, potest tamen alios sibi adsumere et associare sub sua vigilantia atque responsabilitate, cujusmodi habentur vel magistri *substituti*, qui locum patrumfamilias obtinent, eorumque absentium vices gerunt, cum filii in collegiis habitualiter seu constanter resident, vel magistri *coadjutores*, qui patres filiorum institutioni attendentes adjuvant, cum filii in domo paterna vivunt et tantum scholas frequentant, aut in ipsa domo paterna magistros audiunt.

Scholae autem publicae locum etiam tenent patrumfamilias, non equidem ex designatione expressa vel immediata patrum delegatione, sed ex voluntate publicae auctoritatis eorum negligentiam seu incuriam corrigentis, vel pro necessitate ipsos substituentis.

3.um *Ecclesia gaudet jure positivo directionis, visitationis atque inspectionis quoad veritates religiosas pueris tradendas in omnibus scholis primariis apud catholicos institutis:* (ergo concursus auctoritatis ecclesiasticae est omnino necessarius).

Hodiedum praesertim, spectata societatis civilis conditione novisque ac perniciosis theoriis, quae ubivis gentium grassantur, prorsus fit necessarius positivus Ecclesiae interventus ea mente ac potissimo scopo, ut scholae publicae, maxime si obligatoriae declaratae fuerint, et Ecclesiae et patribusfamilias fiduciam inspirare atque securitatem praestare queant pro recta fidelium institutione et christiana filiorum educatione.

4.um *Nequit separari in scholis primariis instructio ab educatione morali; nec educatio moralis a religiosa instructione; neque demum instructio religiosa ab institutione catholica:* (ergo schola *materialista* Hobbessii, schola *laica* Belgii atque Galliae, schola *naturalista* vel *indifferentista* philosophismi, deismi et rationalismi moderni sunt totidem commenta vere impia, aperte erronea et plane absurda).

Et re quidem vera, plurimae rationes militant pro

inseparabilitate instructionis a morali educatione, quas leviter insinuare satis erit: [a]) finis completus et adaequatus scholae primariae non est tantum mentem in civilibus instruere, sed etiam personam educare, seu voluntatem in bono instituere; [b]) instructio tradita sejunctim ab educatione, uti quotidiana experientia testatur, parum aut nihil in puerorum rectam institutionem confert, ipsam educationem impossibilem aut difficiliorem reddens; [c]) educatio est utique praestantior quam instructio; illa enim hominem considerans ut moralitatis capacem est absolute necessaria, haec spectata separatim a morali instructione est per se indifferens; [d]) ipsa unitas humanae personae, ex qua repetenda est ratio intrinseca praefatae inseparabilitatis, harmonicam facultatum evolutionem necessario postulat, et cum pars moralis sit in homine pars essentialis et praecipue excolenda, hinc in prima institutione, quae omnibus necessaria est, non tantum mentis evolutioni in ordine civili curam impendere oportet, sed potissimum voluntatis directioni et in ordine morali formationi intendendum est; [e]) ita demum apertissime docet Summus Pontifex Leo XIII, qui in praeclara Epistola ad Emmum. urbis Vicarium die 26 Junii anni 1878 expedita apposite ad rem declarat: "non posse in pueris renovari judicium Salomonis, ut intelligentia separatim a voluntate excolatur" (1).

Praeterea moralis educatio ab instructione religiosa divelli nequit, quoniam ordo moralis nec haberi nec concipi potest absque religione; etenim obligatio in con-

---

(1) En luculenta R. Pontificis verba: «Questo esige altresì la natura del fanciullo... non si puo a nessun patto rinnovare sopra il fanciullo il giudizio di Salomone e dimezzarlo con un taglio irragionevole e crudele tra la sua intelligenza e la volonta; mentre si prende a coltivare la prima fa d' uopo avviare la seconda al conseguimento degli abiti virtuosi e dell' ultimo fine. Chi nell' educazione trascura la volonta concentrando tutti gli sforzi alla coltura della mente, giunge a fare dell' istruzione un' arma pericolosa in mano dei malvagi...»

scientia consistere non valet, nisi in Deo agnoscat verum ac completum fundamentum, supremum et rectissimum vindicem, atque sanctionem unice perfectam pleneque efficacem. Quare ipsi perturbatores atque juris moderni acerrimi patroni hanc veritatem libenter fassi sunt et palam proclamarunt; nam, uti narrat celeberrimus historicus Thiers (1), Minister Portalis, quando Napoleon I religionis doctrinam in scholis restauravit, aperte edixit: "Tempus est ut theoriae taceant coram facta. Nequit dari instructio sine educatione, et educatio sine moralitate ac religione. Magistri docuerunt deserto, quia imprudenter dictum est de religione in scholis sermonem non esse habendum.„

Denique instructio religiosa a catholica institutione nullo pacto sejungi potest, quia, cum religio catholica sit tantum vera et plene efficax, atque ut talis in statu catholico publica legislatione agnoscatur, necesse est catholicam educationem complecti religiosam instructionem, quae institutione religionis catholicae unice ac exclusive innitatur: hinc Leo XIII in Epistola superius laudata optimo jure reprehendit eam publicam dispositionem, qua catechismus proponitur ut materia libera, adeo ut iis tantum tradatur qui illum addiscere velint; quandoquidem ejusmodi perniciosa theoria catechismi praestantiam minuit, necessitatem instructionis religiosae, quae veluti firmissima rectae educationis basis habenda est, prorsus inficiatur, atque in religionis contemptum directe ducit; pueri enim magni faciunt quae in scholis accipiunt, et quando instructio et explicatio catholicae religionis non praescribitur tamquam necessaria pro integro systemate suae institutionis, eam, hoc est, ipsam religionem facile spernunt.

45. Ecclesia jure *negativo*, quo in scholas catholicas pollet, perfecte ac legitime utens tria potissimum

---

(1) *Hist. du Consulat*, liv. XXIV, pag. 521.

perficere potest, videlicet: 1.° interdicere fidelibus accessum ad scholas quascumque, in quibus periculum sit perversionis tum quoad fidei integritatem, tum etiam quoad morum honestatem; 2.° invigilare ne in quacumque schola aliquid contra christianam doctrinam tradatur; 3.° exigere ut in societate catholica removeantur et puniantur magistri illi, qui contra fidem vel mores aliquid attentaverint.

Ad jus *positivum* quod attinet tradendi in scholis religiosam institutionem pro laicis, potestas Ecclesiae, generaliter loquendo, juxta principia toties memorata mensuranda est a necessitate vel utilitate fidelium, ex quo sequentem regulam formulare licet: *Ecclesia quoad fidelium instructionem jure positivo gaudet ea omnia praestandi, quae necessaria vel utilia sunt pro eorumdem recta religiosa institutione.*

Determinatio autem specialis omnium ac singulorum jurium, quae Ecclesiae hac super re competunt, ex diversa scholarum natura pendet, ideoque seorsum fiet, perpendendo in concreto varia scholarum genera.

46. Jus positivum Ecclesiae in scholas *primarias* et *privatas* quatuor capita complectitur: 1.° directionem in re religiosa, hoc est, adsignationem catechismi seu materiarum, quae pueris tradendae erunt, quia instructio religiosa est munus positivum atque exclusivum Ecclesiae, ideoque ad ipsam attinet praescribere ac determinare quaenam sint docenda vel omittenda pro recta parvulorum institutione; 2.° visitationem scholarum, ut Ecclesiae certo constet institutionem religiosam, quae in iisdem praebetur, suae normae et praescriptionibus adamussim accommodari; hinc apud nationes catholicas leges civiles parochis, qui auctoritatem ecclesiasticam repraesentant in gradu equidem magis immediato cum populo, jus conferre solent praedictas scholas visitandi et interrogandi pueros de re religiosa, necnon etiam penes acatholicos viget, vel potius

praevaluit eadem consuetudo, donec recentiori aetate inducta est erroneum principium et exitialis theoria de schola laica; 3.° vigilantiam seu inspectionem, ne magistri christianam doctrinam pervertant aut aliquid minus rectum tradant; 4.° exclusionem seu separationem magistrorum, qui idonei non sint vel rectae fidei attentent; nam officium patrum vel transfertur in magistros *substitutos* qui patribus absentibus collegiis praeficiuntur, vel partialiter communicatur magistris *coadjutoribus,* qui tantum patresfamilias praesentes intra aut extra domum adjuvant; sed in utroque casu semper magistri personam patrum gerunt: jam vero, quemadmodum paterfamilias sub Ecclesiae vigilantia et directione est, ab eaque dirigi ac corrigi potest, sic etiam magistri eamdem dependentiam erga Ecclesiam habent, quae ipsos non solum dirigere et corrigere, verum etiam removere poterit; quia dum jus instituendi christiane filios in patribus est proprium et naturale, fluens necessario ex extensione auctoritatis paternae, posita qualitate christianitatis in patre, magistris dumtaxat inest velut delegatum et adventitium. Idcirco, quamvis patres regulariter loquendo removeri nequeant, nisi in casibus extremis, cum etiam auctoritate paterna expoliantur, tamen magistri patribus substituti removeri queunt vel ab ipsis patribusfamilias delegationem retractantibus, vel ab eadem Ecclesia tum indirecte patres cogendo ad revocandam delegationem, tum directe malos christianos et magistros corruptores ab hoc officio interdicendo.

Ex praejactis infertur Ecclesiae inesse jus integrum positivum tum quoad praescriptionem docendorum, tum quoad exclusionem personarum, quae patrifamilias substituantur, si fides vel mores in discrimine versarentur; sed modo quaeritur, an requiratur designatio vel saltem approbatio positiva Ecclesiae, ut ejusmodi personae, patrum vicem gerentes, munere catechistae seu

magistri religionem docentis in scholis primariis privatis fungantur.

Ad designationem quod spectat respondendum videtur non ita necessariam esse Ecclesiae missionem ut etiam personas eligat; etenim magister patri substitutus auctoritatem paternam repraesentat, quae equidem a patre delegare valet; igitur magistri institutio naturam retinet institutionis privatae et paternae, quae nullam auctoritatis publicae missionem importat, quamvis ipsi subordinata sit.

Quod autem ad approbationem respicit, in dubium revocari nequit, quin absolute et generice loquendo Ecclesia exigere possit hanc positivam approbationem suum consensum catechistis designatis praebendo, quoties illa moraliter necessaria censeretur pro tuta fidelium institutione, veluti si periculum perversionis immineret, quia plures magistri haberentur male in fide sentientes; jus enim et officium Ecclesiae proculdubio semper supremum atque plenum persistit, cum de integritate doctrinae vel ordinis moralis principiis agitur (1): attamen, si res spectetur juxta communiter contingentia, iterum asserimus non esse putandam necessariam Ecclesiae approbationem pro ejusmodi magistris, quippe hi auctoritatem paternam ostendunt et repraesentant, quae jure naturali hypothetico, hoc est, posita in patribusfamilias qualitate christianitatis, propria et delegabilis est, licet ab Ecclesia negative et positive dependens.

47. Si vero sermo sit de scholis ***popularibus publicis***, de iis nempe, quae ab auctoritate societatis civilis, sive gubernativa, sive provinciali, sive municipali pro

---

(1) Heic allegare decet sequentem declarationem S. Congregationis Concilii die 4 Dec. an. 1784 editam: «Episcopum posse prohibere ludimagistris exercitium scholae, quamvis nominati fuerint a communitatibus laicorum, iisque competat eorum electio, bonorumque administratio independenter, *nisi prius fuerint ab Episcopo approbati*».

communi puerorum institutione eriguntur, apud omnes compertum esse debet has quoque scholas teneri et religiosam institutionem pueris tradere, et Ecclesiae directioni ac vigilantiae subjici quoad materias tradendas in re religiosa, sicut caeteras scholas, quae privatae audiunt, immo potiori ratione propter earumdem publicitatem atque praestantiam.

Hinc Ecclesiae erga praefatas scholas sequentia jura competunt: 1.° designatio catechismi seu christiana directio; 2.° visitatio; 3.° vigilantia seu inspectio; 4.° approbatio vel designatio catechistae; 5.° remotio magistrorum, de quibus certo constet aut vehemens indicium et prudens suspicio habeatur ipsos catholicam doctrinam pervertere vel mores puerorum corrumpere tentatos esse seu postmodo conatum iri.

Inter jura, quae Ecclesia exercere potest in scholas publicas, numero 4.° recensuimus *approbationem* vel *designationem* catechistae seu magistri ejus officio fungentis, quia non omnes hac de re consentiunt, cum alii contendant designationem ad Ecclesiam spectare utpote auctoritatem publicam seu socialem in ordine religioso, alii vero teneant designationem fieri posse ab auctoritate civili, quamvis sub Ecclesiae vigilantia aut approbatione; etenim, prout asserunt pro sua sententia tuenda, auctoritas publica hujusmodi scholas instituit non nomine proprio, sed loco patrumfamilias, et sicut isti, etsi sub Ecclesiae vigilantia et directione sint, non indigent ejus missione pro filiis religiose instituendis, ita neque ea indigere videtur auctoritas civilis designando magistros qui vices patrum gerant. Nobis autem melius placet sententia eorum, qui viam mediam sequentes distinguunt inter magistrum qui caeteras materias simul cum catechismo docet, et eum qui unicè ad catechismum tradendum destinatur: pro illo tantum requiritur ecclesiastica approbatio, quia principaliter positus ac dicatus est ad reliquas materias edocendas; hinc ille

designare potest qui principali, hoc est, complexui instructionis et educationis providet, salva semper religiosa institutione atque servato incolumi jure ecclesiasticae approbationis, quae generalis esse poterit, si inter disciplinas a magistro in examine idoneitatis exponendas, comprehendatur quoque religio et a deputatis ecclesiasticis experimento subjiciatur, uti fit apud nos in oppositionibus pro publicis scholis obtinendis, in quibus praescribitur adsistentia parochi velut judicis necessarii ad tribunal constituendum. Si vero agatur de catechista, cui demandatur exclusivum munus catechismum docendi, designatio hujus magistri Ecclesiae auctoritati adscribenda erit, quoniam ipsa positive concurrere debet ad ejus nominationem, uti personae religionis institutioni publice praefectae.

Sed propugnatores utriusque sententiae communi calculo conveniunt in asserenda atque vindicanda necessitate positivae approbationis Ecclesiae pro obeundo catechistae munere, sive officium magistri unicum et principale sit, sive secundarium et cum aliis disciplinis conjunctum; etenim institutio scholae est negotium publicum et sociale, ideoque ab ea auctoritate pendet, cui competit cura negotii pro qua instituitur; age jam religio ab auctoritate ecclesiastica pendet; ergo magistri, quatenus ordinantur ad religionem tradendam, Ecclesiae auctoritati ejusque inspectioni subjacent: hinc in coetibus provincialibus aut localibus primariae instructionis ecclesiastica auctoritas nativam atque legitimam repraesentationem habet per delegatum specialem ab Episcopo nominatum.

48. Quoad scholas elementares a privatis erectas, sed publicis *assimilatas*, eo quod a lege valore officiali et publica consideratione pro effectibus civilibus decoratae sint, identica principia praevalent, et proinde eadem jura Ecclesiae competunt in ejusmodi scholas ac in primarias publicas, siquidem parum aut nihil refert

aliquid primitus a publica auctoritate esse constitutum vel postea ejus sanctione recognitum.

Hinc scholae assimilatae iisdem conditionibus coram societate civili et ecclesiastica satisfacere debent, quibus publicae sunt obstrictae, et consequenter pro religiosa institutione positivae Ecclesiae directioni, visitationi et vigilantiae subjiciuntur; attamen communi omnium consensu interventio Ecclesiae relate ad magistros christianam doctrinam edocturos restringenda videtur ad approbationem catechistae, quia privati si idonei existant, jure concurrendi publicae utilitati gaudent.

49. Praetermissis scholis *professionalibus*, quae, ad artem aliquam liberalem vel mecanicam addiscendam creatae, potius habendae sunt uti officinae ampliatae quam centra intellectualis culturae, instituta pro augendis cognitionibus litterariis et scientificis cum quaestionibus religiosis plus minusve intime connexis, eas solummodo spectabimus, quae passim denominari solent *instructionis secundariae* (de 2.ª enseñanza), puta Instituta et publica Collegia Institutis incorporata; *normales* ad validum magisterii exercitium; atque *praeparatoriae*, velut privatae academiae vel publicae aulae, in quas cooptantur juvenes ad speciales professiones amplectendas aut superiora studia excolenda.

In has omnes scholas Ecclesia potestate gaudet curandi ut adolescentibus tradatur instructio religiosa superior et ita obligatoria, ut in programmate disciplinarum includatur tamquam pars essentialis scholasticae instructionis; et quidem pro ejusmodi facultate Ecclesiae tribuenda plurimae rationes militant: 1.° naturae et recto ordini consonum est ab iis, qui specialem et ampliorem instructionem litterariam et scientificam suscipiunt, exquiri culturam religiosam diligentiorem latioremque, sicut in ordine morali et civili majorem responsabilitatem habent, et minus ignorantia excusentur, quam pueri illi, qui primis tantum litteris ope-

ram navant; 2.° juvenes in hac critica aetate, teste luctuosa experientia, nisi sint in religione satis versatis, periculo irreligiositatis facilius exponuntur, etenim sophismatibus allucinati et aestu passionum abrepti quaecumque contra religionem audiunt vel legunt, audacter et temerarie amplecti consuescunt; 3.° praesertim qui scientiis curam impendunt et instructionem superiorem accipiunt, eo ipso quod in veritate investiganda non tantum auctoritate quam ratiocinio ducantur, funditus cognoscere debent motiva credibilitatis, quibus tamquam rationabili fundamento et extrinsecis argumentis innititur veritas religionis christianae.

Ecclesia igitur in *Instituta* caeteraque secundariae instructionis collegia, in *Scolas Normales* atque in *Academias* praeparatorias iisdem juribus potitur ac in scholas populares publicas quoad materiarum praescriptionem, doctrinae vigilantiam, et personarum approbationem aut designationem: hinc apud catholicas nationes Episcopi in *Consilio* pro *Instructione Publica* regulanda instituto locum proprium et genuinam repraesentationem obtinent; hinc in laudatis gymnasiis olim, quando christiano spiritu imbuta erat legislatio, non modo explicabatur fuse ac diligentius catechismus, verum etiam studiosae juventuti tradebatur apologia religionis christianae, uti pretiosum instructionis religiosae pro laicis complementum; et hodiedum, quamvis undequaque grassantur recentiores de emancipatione et saecularizatione theoriae a naturalismo philosophico et liberalismo politico propalatae, tam in regionibus ubi agnoscitur Catholicismus velut religio dominans Status, quam in ipsis ditionibus Protestantium (uti fit in Germania), vel adhuc asservantur vel denuo erectae sunt (prout nuper factum est in Hispania) cathedrae religionis, quibus catechistae speciales vel professores ad hoc designati, ut plurimum sacerdotes, praeficiuntur, ad quorum lectiones alumni adsistere tenentur cum onere experimentum subeundi.

50. Quod denique ad scholas *superiores* attinet, Ecclesia in Lycea et Universitates pro tradendis generalibus studiis fundatas semper et totis viribus retinuit, ac sibi vindicavit suam legitimam interventionem et assiduam religionis curam nativo jure per Episcopos exercendam, qui integrae fidei professioni et rectae morum honestati pro suo munere divinitus commisso invigilare nunquam cessarunt.

Et re quidem vera, cum fere omnes Universitates ab Ecclesia creatae vel restauratae sint, ideoque propter suam ecclesiasticam originem *Apostolicae* nominentur, donec ejusmodi generalia lycea Pontificia exstitere, atque in iisdem traditae sunt sacrae scientiae, nempe, Jus Canonicum a saeculo XIII in Universitatibus Palentina, Salmanticensi et Illerdensi, et S. Theologia a saeculo XV primum in Universitate Parisiensi, postea vero in Salmantina, Illerdensi et Valentina, Ecclesia plene et libere suam doctrinalem potestatem exercuit in publicam et scientificam institutionem.

Deinde, quamvis Universitates Regalis Patronatus essent, prout contigit in Hispania, ideoque *Pontificiae* ac *Regiae* simul apellarentur, Ecclesia suis quoque juribus potita est, dum Doctores fidem catholicam tradere solemni juramento promittebant pro adimplectione sequentis Tridentini Decreti hodie ferme ignoti vel prorsus obliti: "Ad haec omnes ii, ad quos Universitatum, et Studiorum generalium cura, visitatio et reformatio pertinet, diligenter curent ut ab eisdem Universitatibus Canones, et decreta hujus sanctae Synodi integre recipiantur: ad eorumque normam *Magistri Doctores* et alii in eisdem Universitatibus ea *quae Catholicae fidei sunt, doceant,* et *interpretentur;* seque ad hoc institutum initio cujuslibet anni *solemni juramento* adstringant" (1).

Postremo, quando recentiori aetate Universitates,

---

(1) Sess. XXV, cap. II *de Ref.*

sicut fere omnes institutiones, principium saecularizationis acceptare atque in praxim redigere festinarunt, et nonnulli Doctores spiritu acatholico ducti vel praejudiciis sectariis permoti, scopo scholasticae instructionis penitus ignoto, errores permiscere et scientiam religioni hostilem tradere veriti non sunt ingenti fidei ac morum jactura, Ecclesia indesinenter suam libertatem et divinam missionem asseruit et propugnavit, a Guberniis auctoritative reclamans ut ejus sacratissima jura ab omnibus revererentur, catholica doctrina tuto profiteretur, atque a publica institutione removerentur Magistri increduli, rationalistae, dissidentes vel juventutis corruptores.

Ex tunc temporis in Statibus catholicis per concordata et leges collatis consiliis latas iterum recognita et sancita est suprema atque exclusiva Ecclesiae potestas etiam in Universitates et quaecumque publica collegia pro recta fide tuenda et catholica doctrina integre custodienda; et quidem hujus officialis ac solemnis recognitionis luculentissimum testimonium nobis praebent in Ecclesia Hispanica articuli II et III novissimi Concordati anno 1851 initi, qui, licet saepenumero conculcati, praesertim ex quo in Constitutione civili et politica, anno 1876 edita hodieque vigente, statuta est tolerantia *cultuum*, disruptaque pretiosa religionis unitas, tamen legem civilem et canonicam in catholico Hispaniarum regno constituunt, unaque jurisprudentiam hac in re servandam disserte ostendunt.

Art. 2.us "Consequenter institutio in ***Universitatibus***, Seminariis, et scholis publicis ac privatis quibuscumque erit in omnibus conformis doctrinae ejusdem quidem Religionis catholicae: atque hunc in finem Episcopi et caeteri praesules Dioecesani, quorum munus est doctrinae fidei et morum, ac religiosae juvenum educationi invigilare, in hujus muneris exercitio *etiam* circa scholas publicas nullatenus impedientur."

Art. 3.us "Neque ullum prorsus impedimentum ponetur, quo iidem Antistites, aliique sacri ministri in sui officii functione detineantur, nec quispiam quovis obtentu eos molestia afficiet in his omnibus, quae sui muneris sunt, adimplendis. Imo vero singuli regni magistratus studebunt ipsi adhibere, suamque operam dare, ut omnes debitam juxta divina mandata observantiam ac reverentiam illis adhibeant, nec aliquid fiat quod in eorum dedecus ac contemptum vergere possit. Aderunt iterum Regia Majestas ejusque gubernium potenti patrocinio ac praesidio suo Episcopis illud pro re nata postulantibus, maxime autem ubi improbitati obsistendum sit hominum qui fidelium mentes pervertere, vel eorum mores corrumpere conentur; aut editio, introductio et circumlatio pravorum noxiorumque librorum impedienda sit."

ARTICULUS III.

SUMMARIUM.

51. Jus Ecclesiae quoad *Sacramenta.*—52. Potestas Ecclesiae quoad *Sacramentalia.*—53. Jus exclusivum Ecclesiae quoad *Cultum Publicum* seu Sacram Liturgiam ratione *loci* sacris peragendis *specialiter dicati.*—54. Facultas Ecclesiae actus religiosos in *locis publicis* exercendi.—55. Jus Ecclesiae relate ad cultum ratione *temporis.*—56. Ejusdem competentia ratione *modi.*

51. De potestate directa Ecclesiae relate ad Sacramenta, Sacramentalia et Sacram Liturgiam, necnon Adsociationes et Operas Pias, atque Ordines vel Religiosas Congregationes, perpauca dicemus, tum quia agitur de mediis internis, quae ad sanctificationem fidelium immediate conferunt, omnibusque patet societati religiosae competere determinationem et applicationem mediorum quae ad finem proprium ac spiritualem recte et adaequate ordinantur; tum etiam quia res sacramen-

tales, quaestiones liturgicae, piae operae atque religiosa instituta sub respectu dogmatico, morali et historico spectata ad alias scientias, nempe, Sacram Theologiam et Ecclesiasticam Historiam attinent; sin vero sub aspectu juridico inspiciantur, pleraque controversiae capita hac super materia locum proprium in Jure Canonico obtinent, ubi fuse et seorsim pertractari solent. Levissimis igitur insinuationibus contenti erimus, totam curam impendentes vindicando Ecclesiae pleno ac exclusivo juri hisce de rebus cognoscendi, judicandi et leges ferendi, simulque denuntiandis atque impugnandis crebris abusibus violentisque potestatis saecularis usurpationibus.

In primis enim in dubium revocari nequit jus insitum atque exclusivum Ecclesiae quoad *Sacramenta,* quippe de mediis suapte natura et essentialiter supernaturalibus agitur, ac proinde eidem solummodo competit judicare, decernere et praescribere quandonam sint ministranda, quibus deneganda, et quibusnam sub conditionibus a fidelibus suscipienda.

Hinc consequitur injustas esse et prorsus detestandas leges per potestatem saecularem apud plures gentes aperta juris sacri violatione et maxima ecclesiasticae libertatis injuria latas, ad puniendos religionis catholicae ministros duplici et inani praetextu *indebitae denegationis* vel *abusivae sacramentorum administrationis:* et sane, denegatio sacramentorum *indebita* nuncupatur seu eorumdem administratio *abusiva* censetur, vel quia infringuntur praescriptiones juris canonici, vel e contra quia parvipenduntur dispositiones juris civilis; jam vero in utroque casu plane ostenditur interventum atque coercitionem civilis auctoritatis esse omnino arbitrariam, veramque intrusionem constituere Ecclesiae independentiae directe adversantem: si enim denegatio vel administratio sacramentorum indebite fiat eo quod violentur ecclesiasticae leges, res comperta est ipsam

et solam Ecclesiam velut judicem competentem transgressionis ejus legum unice esse habendam, quoniam de observantia vel infractione legis ille judicare debet, qui eam condit; quod si sacri ministri animadversione vel punitione digni putentur, quia, legibus civilibus praetermissis et spretis, ecclesiasticos canones in denegatione vel administratione sacramentorum fideliter servent, tunc pronum est colligere saecularem potestatem injuste agere, in jura Ecclesiae invadere, et animo hostili erga eam sese gerere, dum judicare atque plectere audet catholicos ministros, qui pro munere suo obeundo in rebus sacris conferendis et dispensandis Ecclesiae legislationem observant.

52. Praeter sacramenta, quae juxta theologos ex Dei institutione sanctitatem et justitiam tum significandi tum efficiendi vim habent, sunt in Ecclesia alia media ad promovendam et custodiendam fidelium sanctificationem recte ordinata et memoratu digna, nimirum, *Sacramentalia*, quo nomine denotantur *signa quaedam sensibilia quae gratiam significant et impetrant ex Ecclesiae institutione ac precibus*, atque sequenti versiculo communiter exprimuntur: *orans*, *tinctus* (aspersiones), *edens*, *confessus*, *dans* (eleemosynae), *benedicens*. Notum compertumque est ejusmodi signa, quamvis non operentur ex opere operato ut sacramenta, sed ex opere operantis, tamen vi Ecclesiae precum ejusque institutionis magnum auxilium atque salutare juvamen praestare pie utentibus, multoque magis prodesse quam opera pietatis privata.

Cum apud omnes religiones et exstiterint et exstent quidam ritus plus minusve solemnes aliaque sensibilia signa ab auctoritate religiosa instituta pro proselytis juvandis ad cultum Divinitati exhibendum, eamdem placandam, ejusque beneficia impetranda, Ecclesia Catholica verae religionis custos ac depositaria praefata media potiori ratione adhibere, praescribere

et applicare potest, et quidem suprema, propria atque exclusiva auctoritate; tamen etiam hac super re reprobari merentur nonnullae usurpationes civilis potestatis, quae sub frivolo atque ementito superstitionis praetextu interdum sibi arrogavit jus ordinandi vel moderandi sacramentales ritus externasque religionis preces.

Age jam meridiana luce patet nativa et exclusiva Ecclesiae competentia pro sacramentalibus statuendis, eorumque usu fidelibus praecipiendo: nam primum, vix demonstratione indiget Ecclesiam facultate insita atque juridica pollere hujusmodi signa caerimoniasque instituendi, cum hinc certissime constet ad religiosam auctoritatem attinere omnem divinitatis cultum determinare et organizare, necnon fideles adjuvare, ut Deo accepti fiant; illinc vero exploratum sit sacramentalia ad cultum Deo praestandum, coelestiaque dona obtinenda immediate referri: deinde, potestas sacramentalia instituendi Ecclesiae exclusive competit, quia directam et intimam cum fine spirituali relationem habet, siquidem ejusmodi signa et religiosi ritus ad finem spiritualem, immo etiam supernaturalem unice ducant, cum ex sui natura ad gratiam impetrandam atque sanctificationem procurandam, augendam et conservandam tendant, quod quidem directe ad vitam aeternam ordinatur, ac proinde ecclesiastica potestatis jurisdictioni exclusive et immediate subsit.

53. Ad Ecclesiae auctoritatem jure quoque proprio spectat cura atque ordinatio *Cultus Publici* sub triplici titulo ac respectu *loci* necessarii ubi exerceatur, *temporis* convenientis quo celebrari oporteat, et *modi* adaequati illum peragendi.

1.° Quoad *locum* cultus publici inquiri potest quidnam juris Ecclesiae competat in *loca determinata* seu cultui publico exhibendo specialiter dicata, cujusmodi sunt templa; quanam vero facultate gaudeat ad cultum divinum exercendum sive *transitorie* per processiones

sive *stabiliter* per imaginum expositionem extra septa Ecclesiae, nempe, in ipsis *locis publicis*, puta in plateis et viis.

De locis cultui publico peragendo specialiter *destinatis* nemini, qui catholicus sit, ambigere licet, quin Ecclesia jure proprio ac exclusivo gaudeat: [a]) erigendi templa, ut populus christianus congregetur, verbum Dei audiat, sacrificio adsistat, caeterisque ecclesiasticis functionibus participet; [b]) reparandi ecclesias collabentes, secus enim fidelibus deessent loca necessaria vel opportuna ad cultum Deo debitum tribuendum, suaque religiosa officia adimplenda; [c]) designandi templorum numerum pro christianae plebis necessitate aut utilitate; [d]) determinandi specialem eorum structuram atque exteriorem formam, usui sacro, fidelium coetui et religiosae destinationi accommodatam, servatis tamen justis aedilitatis seu municipii legibus; [e]) habendi ac declarandi sacra aedificia a profanis usibus, civili jurisdictione et publicis vectigalibus immunia; agitur enim in iis omnibus de objecto quod directe fini spirituali deservit.

Hinc injustae et Ecclesiae injuriosae habendae sunt, ac velut execrabiles abusus prorsus rejiciendae leges a civili potestate latae; [a]) *exigendo* praeviam gubernii permissionem pro erigendis templis, eo quod ecclesiae propter exemptionem a generalibus tributis societatem gravent atque statui nocumentum afferant; [b]) *limitando* templorum numerum obtentu excessivae quantitatis, perinde ac si judicium de hac re cum fine spirituali immediate connexa ad civilem auctoritatem spectaret; c) *praescribendo* religiosa aedificia eamdem formam externam praeseferre ac loca in quae coeunt sectae acatholicae aut communiones non christianae; [d]) *jubendo* loca sacra usibus profanis sicut caetera aedificia inservire; [e]) *decernendo* in eodem templo varios exerceri cultus, ita ut distinctis horis habeatur exerci-

tium diversae religionis, sive catholicae, sive schismaticae, sive haereticae; licet enim Ecclesia lege necessitatis ducta id permittere possit, tamen iniquum est eam ad loci sacri sanctitatem violandam cogere; f) *gravando* publicis vectigalibus loca ad cultum divinum et religionis officia addicta.

54. Sin vero sermo sit de *locis publicis*, uti plateis et viis, non specialiter destinatis cultui divino neque peculiaribus usibus profanis, Ecclesia *per se* et absolute loquendo, hoc est, in statu societatis normali jure pollet quosdam actus religiosi cultus exercendi sive *transitorie processiones* ordinando sive *permanenter imagines* publicae venerationi exhibendo. Diximus *per se* et absolute loquendo, quia *per accidens* seu in statu anormali fieri potest suspendi exercitium hujus juris, quando vel catholici pauci sunt in societate et ipsorum religio non recognita, vel aliquod immineat seditionis periculum ob sectarum numerum et praepotentiam.

Et re quidem vera, Ecclesia suos ritus exercere potest in locis publicis per *processiones*, tum *necessarias*, uti quae Viaticum comitantur vel fidelium corpora in sepulturam deferunt, tum mere *utiles*, puta peregrinationum, imaginum, reliquiarum et rogationum; etenim, a) Deo debitus est cultus publicus, et quidem ab ipsa societate humana praestandus; quamvis autem cultus publicus regulariter exerceatur in locis sacris ad hoc designatis, tamen major est publicitas et recognitio a societate Deo tributa, cum per plateas ipsas et vias publicas datur; in templis conveniunt tantum volentes, dum in processionibus etiam tepidi et negligentes cultum divinum exhibent: b) in publicis processionibus Deus agnoscitur atque adoratur coram terra et coelo, necnon optime exprimitur supremum ejus in omnes creaturas dominium, simulque hominis obsequium ac necessaria dependentia: c) modus Deum per processionem colendi significare videtur cursum humanae vitae et peregrina-

tionem hominis super terram, qui hymnis et laudibus divinam misericordiam implorat, ut ad coelestem civitatem feliciter pervenire possit.

Hinc colligitur iniquas esse leges, quae hunc modum Deum adorandi prohibent, nam primo obtutu detegitur criminalis scopus atque perversa voluntas substrahendi a conspectu societatis ritus religiosos, cultumque relegandi ad loca abscondita et clausa, ut Deus intra septa Ecclesiae et in secreto conscientiae, prout effutiunt, solummodo colatur: inde etiam deducitur maximam religioni irrogare injuriam decreta civilis auctoritatis, quae processiones necessarias vetant; etenim cum praecepto divino et ecclesiastico mandatum sit Sacram Eucharistiam ad fideles gravi infirmitate laborantes afferre, positive praescribere occultam delationem, idem est ac prohibere cultum et honorem Sanctissimo Sacramento debitum.

Praeterea, Ecclesia legitima facultate gaudet cultum divinum in locis publicis exercendi non solum modo *transitorio*, uti fit in processionibus et peregrinationibus, sed etiam modo *stabili* publice exponendo sacras imagines, sive in aediculis seu tabernaculis exprofesso aedificatis, sive in ipsis domorum parietibus. Recentiori equidem aetati reservatum erat magnum flagitium et detestabilis abusus adoriendi ac violandi sub praetextu juridico hanc religiosissimam et immemorialem consuetudinem a remotissimis temporibus in regionibus christianis asservatam; licet enim superioribus saeculis non defuerunt *iconomachi* et *iconoclastae*, tamen ejusmodi scelerati homines cultum sacrarum imaginum impugnarunt non rationibus juridicis ducti, quia publice haud essent colendae, sed tantum haereticis principiis innixi, eo quod contenderent venerationem imaginum idolatriam et superstitionem redolere: hinc earum usum tam in viis publicis quam in ipsis Ecclesiis reprehendebant. Sed a saeculo superiori coepi impugnari praedictus

majorum nostrorum mos a civile potestate sub ratione juris; ajunt enim imaginum conspectum oculos dissidentium offendere qui aliam fidem religiosam profitentur, officium guberniorum esse prohibendi haec signa specialis cultus caeteris invisi ad vitandas perturbationes et dissidia, atque insuper ab omnibus consultum iri reverentiae rebus sacris debitae (quam pii !!!), ne periculo profanationum exponantur. Hac super re non possumus quin animadvertere novissimos iconomachos odio, hostilitate et saevitia veteribus iconoclastis praestare, uti ipsimet propriis oculis vidimus et infauste testare possumus occasione inauditi scandali et sacrilegae insectationis in nonnullis Hispaniae provinciis per impios sectarios contra imagines Sacratissimi Cordis Jesu nuperrime declaratae, impellente vel saltem consentiente civili auctoritate, et quidem in catholica natione atque sub Supremis Moderatoribus et Magistratibus qui catholici videri volunt.

Nunc vero tota argumentatio sectatorum ejusque fautorum adversus cultum imaginum in viis publicis et contra jus Ecclesiae illas fidelium venerationi exponendi adeo futilis apparet, ut duplici observatione prorsus ruat: [a]) in primis enim falsis principiis innititur indifferentismi saltem politici, hoc est, systematis asserentis publicam auctoritatem in sociali regimine aeque se habere debere erga omnes religiones, ideoque non permittere extra septa templorum actus religiosos contrarios fidei heterodoxorum vel libertati conscientiae caeterorum civium: quod quidem omnino falsum est; nam societas naturali officio obstringitur profitendi religionem, non qualemcumque sed veram; cum autem vera sit tantum catholica, eo ipso societas *per se*, maxime vero si religionem catholicam ut cultum publicum status jam agnoverit, ei exclusive uniformari tenetur, omnesque ejus manifestationes non solum consentire, verum etiam tueri et protegere debet. Quod si ali-

quando *per accidens* potest ab ea praescindere, numquam tamen licet positive contradicere, sed tantum quaedam judicio ipsius Ecclesiae omittere. [b]) Deinde Ecclesia jure potitur cultum suum publicum exercendi omnibus modis idoneis adhibitis, quos necessarios vel opportunos judicaverit pro debita adoratione Deo tribuenda et efficaciori fidelium sanctificatione promovenda; age jam, inficiari nequit expositionem imaginum in locis publicis valde conferre ad fovendum sensum religiosum, quandoquidem sacrae effigies palam exhibitae recte haberi debent velut perenne monumentum fidei eorum qui eas erexerunt, solemnis et explicita religionis professio quoad incolas illius civitatis vel loci, et pro transeuntibus frequens pietatis causa.

55. 2.º Circa *tempus* in quo cultus publicus praestari debet, Ecclesiae jure proprio incumbit *dies festos* designare, eorumdem *numerum* definire, *solemnitates* religiosas indicere, et *horam* sacras functiones celebrandi constituere.

Quoad designationem *dierum* omnes, qui fidem profitentur et ordinem supernaturalem admittunt, fateri tenentur Ecclesiae jus esse praescribendi sanctificationem diei festi; etenim cum Deus sit publice colendus, utpote humanae societatis Dominus, proculdubio ad auctoritatem religiosam spectat modum idoneum id peragendi determinare. Et quidem potestas Ecclesiae pro urgenda positiva festorum sanctificatione, id est, adsistentia sacrosancto Missae sacrificio facile et ultro conceditur, quia penes cunctos populos facultas ritus speciales ordinandi, quibus Divinitas honoretur, religiosae auctoritati semper tributa est; et cum actus praecipuus cultus divini sit sacrificium, Ecclesia Catholica adsistentiam eidem optimo jure praecipere potest. Sed deest unanimis consensio, cum de negativa sanctificatione agitur, nempe, de abstinentia ab operibus servilibus; neoterici non pauci, qui positivistae aut utilitari-

stae audiunt, saeva cupiditate ducti blaterare assolent praefatam operum cessationem populos depauperare, damna temporalia iisdem irrogando, progressus industriae ac comercii retardando, atque saltem septimam partem lucri possibilis impediendo. Jam vero, plurimae rationes Ecclesiae suppetunt pro vindicanda sibi exclusiva facultate a fidelibus exigendi negativam sanctificationem: [a]) aequitati et naturalibus officiis consonum est animum per operum suspensionem a curis saecularibus vacuum coelestia inquirere ac recogitare; et non modo incruento Sacrificio adesse, verum etiam caeteris sacris functionibus adsistere, praesertim verbi Dei praedicationi, ut ita quisque obligationem adimpleat procurandi sibi instructionem religiosam ac moralem, fructumque copiosum ex ipsa capiendi; [b]) vacatio ab operibus gravioribus et forensibus palam ostendit societatem sedulam curam impendere Dei cultui, cui pars temporis exclusive dedicatur; [c]) quiescentia dierum festorum insuper necessaria omnino est pro virium corporearum reparatione.

Quoad *numerum* festorum, quemadmodum religiosae auctoritati incumbit dies festos instituere, qui et a societate civili custodiendi sunt, sic etiam ad spiritualem Ecclesiae potestatem spectat praefinire atque decernere quaenam et quot festa a populo christiano servanda erunt.

Quoad caeteras *festivitates*, quarum observantia non urget ex formali Ecclesiae praecepto, quamvis magna solemnitate et populi frequentia celebrari consuescant, nemo infitias ibit eas recte ab Ecclesia indici posse, tum quia justissimae causae adesse valent pro instituendis ejusmodi solemnitatibus, tum etiam quia nullus ad ipsas servandas adstringitur, sed tantum volentes iis participant.

Quoad *horam* celebrandi functiones cultus publici, illius designatio ad Ecclesiam quoque pertinet, quoniam

religiosae auctoritatis proprium est judicare de opportunitate, utilitate vel congruentia eorum omnium, quae ad cultum divinum referuntur.

Hinc publice denuntiandi et acriter damnandi sequentes abusus: a) detestabilis et scandalosa festorum profanatio; nam pluribus in locis, teste quotidiana experientia, dies festi a sociali auctoritate non sanctificantur, sed tantum a privatis *qui velint et possint*. Haec agendi ratio vere iniqua et reprobatione digna censenda est, quoniam ex alia parte societas ut talis spectata ita se gerens nec diem festum agnoscit, neque Deum honorat, ac proinde hujusmodi praxis innititur falsae theoriae religionem esse negotium privatum et non publicum, atque societatem esse negative atheam; ex alia vero societas sic agens plures privatos impedit a festis sanctificandis, uti officiales status vel provinciae aut municipii operarios. Sin vero aliquando ocurrant casus, in quibus officia vel opera publica suspendi nequeunt, haec quidem Ecclesia permittit, cum necessitas vere urget, et dummodo singulis tempus suis religiosis officiis satisfaciendi, quantum fieri potest, relinquatur. b) Praxis irrationalis a nonnullis guberniis, quae catholicam religionem agnoscunt, servata aliquos dies festos admittendi, alios autem ut superfluos rejiciendi; quod quidem prorsus illogicum est et Ecclesiae auctoritati injuriosum apparet; nam si festa ita augeantur, ut non amplius conditioni sociali respondere videantur, semper adest recursus ad Ecclesiam, quae utpote mater piissima pro temporum ac locorum adjunctis facilem sese praebuit diebus festis reducendis. Et sane, ab Urbano VIII qui saeculo XVII (Const. *Universa* die 13 Sept. 1642 edita) multa festa suppressit, novumque dierum festorum elenchum statuit, necnon a Benedicto XIV qui saeculo superiori illorum numerum iterum imminuit, plures reductiones factae sunt, praesertim vero a Pio VI pro fidelibus Romanis, in Gallia ex concessione

Summi Pontificis Pii VII, atque in Hispania, postulante Gubernio Elisabeth II, per decretum Pii IX die 2 Maii 1867 expeditum. [c]) Intrusiones quorumdam etiam guberniorum, quae Regalistarum praejudiciis imbuta et sub praetextu vere pharisaico invigilandi publicae honestati prohibuerunt aliquibus horis, praecipue autem matutinis vel nocturnis, peragi sacras functiones aut praedicari verbum Dei. Pro hac usurpatione propulsanda satis erit in memoriam revocare: [a]) primaevos christianos integras etiam noctes vigilasse ad celebranda mysteria vel illustrium martyrum heroicas virtutes recolendas; [b]) civilem auctoritatem actus religiosos nullo pacto interdicere posse, quicumque abusus supponatur, quia ei non competit de re spirituali judicare vel legem ferre; [c]) Ecclesiae commissum est munus cognoscendi ac removendi omnia quae in sacris peragendis honestati publicae officere valeant.

56. 3.° Circa *modum* Ecclesia potestate instructa est *objectum* cultus publici determinandi, *ritus* religiosos ordinandi, *campanas* pulsandi, atque *preces* indicendi.

Quod ad *objectum* respicit, Ecclesiae integrum est definire quaenam personae vel res adoratione dignae habeantur et quonam honore sint prosequendae, quippe quae jure potitur determinandi quidquid ad finem religiosum per se refertur: Ecclesiae igitur est declarare soli Deo ac Sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse tribuendum cultum supremum et absolutum *latriae;* Virgini Mariae cultum *hyperduliae,* et Sanctis atque Angelis cultum *duliae,* qui cultus, quamvis secundarii et non plene absoluti sint, quia creaturis praestantur intuitu Dei, tamen aliquo sensu absoluti vocari possunt quatenus B. M. Virgini et Sanctis exhibentur ob excellentiam supernaturalem quae vere ipsis inest, licet a Deo participata; reliquias autem et imagines sacras cultu omnino relativo esse tantum honorandas. Ecclesiae etiam proprium est sanctos ipsos canonizare; veras

reliquias agnoscere et falsas aut dubias prohibere; ac demum vetare imagines illas, quae decori, pietati vel ecclesiastico usui quomodocumque dedeceant. Hac super re memorari oportet singularem abusum in Regno Galliae patratum, videlicet, celeberrimum Decretum Parlamenti Parisiensis, quod, cum Benedictus XIII anno 1728 festum S. Gregorii VII ad universalem Ecclesiam extendisset, effreni et incredibili audacia prohibuit hunc praeclarum atque invictissimum Pontificem haberi ut sanctum ejusque officium recitari, eo quod in Breviario legebatur: "Henrici Imperatoris impiis conatibus constantissime restitit, eumque regno et fidelium communione privavit."

De competentia exclusiva Ecclesiae *ritus* religiosos instituendi atque praecipiendi pertractare vacat, cum omnes libenter fatentur ordinationem cultus divini religiosae auctoritati dumtaxat essse adscribendam. Hinc ridiculum putandum est Decretum Justiniani jubens in celebratione Missae *consecrationem* fieri elata voce, et valde insana et ultrabyzantina censenda est agendi ratio Josephi II Austriae Imperatoris et Leopoldi Ducis Etruriae, qui et numerum candelarum quae accendi deberent pro festorum solemnitate, etiamque horam qua templorum portae essent aperiendae vel claudendae, constituere inepte ausi sunt.

Ad *campanas* quod attinet, Ecclesia indubitata facultate pollet eas pulsandi: a) quia fideles ad ecclesiam invitant, et ruri maxime modum meliorem et fere unicum constituunt congregandi ad sacras functiones plebem christianam; b) quia sonitus campanarum est actus cultus publici et externa fidei manifestatio; c) quia societatem monet, eamque ad laetitiam spiritualem vel ad dolorem aut alios pios animi sensus excitat. Animadvertendum ducimus aliud esse jus et aliud rectum ejusdem exercitium, quod Ecclesia servare debet et praescribere potest, leges auctoritate propria ferendo.

et contravenientes optimo jure puniendo; quamobrem sedulo curandum est ne nolae importune tinniantur, sive quoad horam nimis intempestivam, sive quoad temporis productionem; hoc enim non solum aliquibus privatis, verum etiam ipsi communitati molestum et onerosum esse potest. Haec praemonuimus ad vitandam frequentem interventionem vel potius illegitimam invasionem civilis auctoritatis, quae occasione sonitus campanarum et molestiae vicinis illatae, per statuta municipalia et aliquando per leges publicas earum usum proprio marte restringere solent.

Quod denique ad *preces* pertinet, Ecclesiae est exclusivum jus obsecrationes, rogationes et gratiarum actiones praescribendi. Hinc prorsus injustae et aperte laesivae aestimandae sunt praescriptiones auctoritatis civilis, si quando, inconsulta potestate spirituali ac legitima, sibi arroget jus praecipiendi cantum Hymni Ambrosiani vel collectas in Missa faciendi, vel alias quascumque preces indicendi; etenim de iis omnibus, quae cum sacra liturgia et ecclesiasticis officiis intimo atque arctissimo vinculo connectuntur, judicare et decernere ad religiosam auctoritatem solummodo spectat.

ARTICULUS IV.

SUMMARIUM.

57. *Adsociationes Piae.*—58. Quanam facultate polleat Ecclesia erga societates *pias.*—59. Quisnam collegia seu personas *fictitias* instituere possit.—60. *Opera Pia.*—61. Quaenam potestas Ecclesiae competat in ejusmodi operas.—62 Quid de institutione pii operis apud catholicos jure naturali sentiendum sit.—63. Quaenam juris positivi praescriptiones hac super re habeantur.

57. Adsociationes *Piae* nuncupantur: ***illae congregationes Ecclesiae homogeneae, quae pro aliquo scopo religioso obtinendo institutae sunt, quin tamen vinculo votorum obstringantur.***

Recte distingui possunt in publicas et privatas: *publicae* appellantur quae ad suum scopum attingendum agnitionem ab Ecclesia petunt ejusque approbatione constituuntur; *privatae* denominantur quae mera voluntate privatorum initae finem quemlibet religiosum persequuntur: *publicae* autem subdividi assolent in collectivas et collegiales; *collectivae* dicuntur quae recognitionem ab Ecclesia postulant ut merae personae collectivae, hoc est, tamquam plures personae physicae mutua conjunctione copulatae et pro utilitate singulorum collectionem efficientes; *collegiales* designantur quae ab Ecclesia recognosci deposcunt velut personalitates a singulis adsociatis distinctae, id est, tamquam vera collegia, sermone juridico personae seu entia *fictitia* vocata, quia in concreto tantum existunt singula individua et eorumdem congregatio.

58. Jam vero, de jure Ecclesiae in pias societates haec tenenda videntur:

1.° Adsociationes *privatae* vigilantiae et praeventioni Ecclesiae semper subjacent, ita ut eas corrigere, et si opus sit, dissolvere possit; itemque quasdam praevias regulas, cui necessario attemperari debeant, constituere valeat: nam profecto Ecclesia etiam cum de actibus privatorum aliquo modo socialiter positis agatur, potestate gaudet ea omnia faciendi vel praescribendi, quae pro recta eorumdem ordinatione ad finem religiosum necessaria existimantur.

2.° Adsociationes publicae *collectivae* speciali Ecclesiae curae et inspectioni subsunt, quia pactum sociale sub ejus auctoritate atque sanctione ponitur, ideoque potest ac debet intervenire, quoties necessarium putetur jus sociale singulorum tueri, cujus ipsa ab origine societatis constituta est custos et vindex. Ejusmodi religiosae societates simul spectari debent tamquam creatio privatorum, quatenus ab iis libere instituuntur, reservata sibi earumdem potestate seu regimine, et velut

creatio Ecclesiae, quatenus ista pactum sociorum firmat, suaque positiva approbatione munit: hinc dissoluta legitime societate, bona inter socios dividuntur, nisi jure positivo et libera consociatorum voluntate aliud constet, quippe omne jus in collectione personarum physicarum, quae adsociationem componunt, residet.

3.° Congregationes publicae *collegiales* majorem ab Ecclesia dependentiam juridicam habent atque arctissimo nexu eidem copulantur, adeo ut specialissimae vigilantiae et immediatae auctoritatis religiosae moderamini subdantur; etenim Ecclesia hujusmodi adsociationes erigendo in personas fictitias dictinctas a collectione individuorum seu singulorum sociorum, easdem creat, suam personalitatem eis communicat, ipsasque sub aspectu juridico in novo ordine ac categoria constituit, licet rogatu privatorum institutionem excogitantium et optantium: hinc extinctis vel suppressis justis de causis ejusmodi societatibus imperfectis, earum bona et jura socialia, utpote sejuncta a singulorum collectione, non ad consociatos, sed ad Ecclesiam spectant.

59. Circa originem juridicam adsociationum, quae collegia, societates imperfectae aut personae *fictitiae* nuncupantur, omnes communi calculo agnoscunt Ecclesiam in ordine religioso potestate esse praeditam instituendi hujuscemodi collegia seu entia fictitia, tum quia sunt organismi et media utilia pro assecutione finis socialis, tum quia in concreto possunt esse vere et proprie subjectum juris, quandoquidem ipsa societas perfecta sua lege atque explicita sanctione societatem imperfectam ut subjectum juris constituit, eique veram personalitatem impartitur, praescindendo tamen a sociis, quia individua seu personae physicae singillatim spectatae attendi nequeunt, cum agitur de natura juridica et perpetua personae moralis aut societatis imperfectae duratione. Ecclesia igitur eodem jure ac instituit ordines religiosos, potest et alias societates pias, puta confra-

ternitates, scholas, sodalitia, caeterasque similes adsociationes constituere.

Quaeritur modo utrum haec personalitas fictitia, hoc est, abstracta ab individuis in Ecclesia creari queat voluntate privatorum, cum debita tamen ipsi Ecclesiae subordinatione. Solutio hujus quaestionis in promptu est; praetermisso jure naturali, juxta quod etiam nobis videtur persona rigorose fictitia a privatis institui haud posse, quia haec personalitas juridice excederet potestatem eorum, a quibus causam et originem haberet, et cum sit perpetua, contra ipsorum quoque voluntatem postea subsisteret; spectato igitur in praesentiarum tantum jure divino-positivo, asserimus ac contendimus mera privatorum voluntate, consensu vel conjunctione personas fictitias seu juridica collegia in Ecclesia nullo pacto constitui posse. Et re quidem vera, personalitates in societate a Christo condita, cum sint ei homogeneae, supernaturales esse debent; verum ad id quod est supernaturale, homo proportionem et capacitatem seu aptitudinem per se non habet, sed eam a Deo, facto positivo, sive immediate sive mediate accipit. Age jam, duas dumtaxat Deus constituit personalitates ordinis supernaturalis, videlicet, personam moralem perfectam seu Ecclesiam Catholicam a Christo Domino fundatam, et personas physicas per baptisma ad ordinem quoque supernaturalem evectas pro bono spirituali singulorum sub Ecclesiae regimine assequendo, non autem pro bono publico religioso promovendo, cujus cura ipsi Ecclesiae demandata est. Igitur persona moralis, segregata ab individuis et vi juridica instructa, uti fit in collegiis, suam originem atque existentiam ex facto Ecclesiae, id est, ex ejus auctoritate atque institutione solummodo derivare potest.

60. Operae *Piae* passim usuveniunt: *Institutiones perpetuae reddituum a fundatoribus pro aliqua utilitate publica factae, veluti adsistentia infirmorum, instructione*

juvenum, dotatione puellarum, orphanorum substentatione aliisque id genus. Pia opera esse possunt vinculata vel separata; *vinculata* dicuntur quoties bona fundationis aut redditus ex iisdem provenientes alicui adsociationi conceduntur, quae id muneris sive principaliter sive accessorie adsumit ex contractu, ideoque obligata manet in posterum ad onera fundationis sublevanda; *separata* nominantur quando bona seu redditus pro publica utilitate relicta a fundatoribus nemini singulariter conceduntur,sed opus pium constituitur ut ens autonomum, independenter a quavis speciali societate.

61. De potestate Ecclesiae in hujusmodi pias operas haec insinuare sufficiat: si sermo sit de operibus *vinculatis*, res obvia est; in dubium vocari nequit jus Ecclesiae, quippe compertum est quaslibet adsociationes Ecclesiae homogeneas, pro scopo religioso institutas, recte posse utilitati publicae inservire, mentem fundatorum exsequi, eorumque redditibus temporalibus frui, cum societates religiosae imperfectae, sicut ipsa Ecclesia, cui subalternantur, juridica et legitima facultate gaudeant res temporales adquirendi. Diximus *pro scopo religioso institutas*, utinter ad sociationes,quae Ecclesiae auctoritati et moderamini subjacent, illas etiam complectamur operibus charitatis corporalis intendentes, dummodo ex fine religioso agant uti fit in societate christiana; eas vero excludamus, quae meram utilitatem temporalem sibi proponentes a fine religioso praescindunt, cujusmodi sunt societates *philanthropicae* nuncupatae, in quibus ut plurimum non charitati seu amori supernaturali proximi, quatenus imago Dei est, attenditur, sed potius consulitur amori naturali hominis, quatenus talis, hoc est, tamquam humanae speciei individuum.

Quoad operas vero pias, quas *separatas* seu independentes vocavimus, utpote sejunctim a quacumque societate creatas, quamvis ipsae per se aliquid fictitii con-

stituant, tamen suapte natura, id est, juxta finem mere naturalem vel supernaturalem a fundatoribus intentum, concreditae atque adscriptae censentur societati perfectae, quae curat bonum specialiter ab institutoribus propositum, ideoque Ecclesiae, si fundatio bonum spirituale et finem supernaturalem persequatur, Statui autem, si illa non scopum religiosum intendat, sed bonum mere temporale respiciat et finem naturalem aperte sibi praestituat.

62. Nunc vero, heic solvenda obvenit quaestio praestantissima; inquiri solet an apud catholicos institui et dari possint opera pia ex fine mere naturali, vel tantum ex fine supernaturali: et quidem ex solutione hujus salebrosae quaestionis patebit tum potestas Ecclesiae cognoscendi et judicandi de causis piis, tum aperta usurpatio civilis auctoritatis, ejusque iniqua agendi ratio hac super re. Nos itaque asseveramus ac propugnamus inter christianos catolicos, juxta legitimam et rationabilem juris (non loquimur hic de jure positivo) praesumptionem, operas pias putandas esse intitutas ex fine supernaturali, atque idcirco Ecclesiae jurisdictioni, curae, exsecutioni vel saltem vigilantiae esse obnoxias, uti sequentes rationes sat liquido innuunt: 1.ª recte praesumitur unusquisque agere conformiter suis principiis, maxime cum actum ponit sibi onerosum et aliis utilem; sed christianus qui pro institutione pia sua bona impertitur, scit juxta catolica principia opera facta ex scopo supernaturali sibi summopere esse meritoria; igitur merito praesumendum es teum ex fine supernaturali egisse; hac de causa in antiqua societate, cum legislatio spiritu christiano informaretur, secundum hanc rationabilissimam praesumptionem judicabatur: 2.ª cuique jus est sua bona de caetero libera ad usum honestum applicandi; jam vero scopus religiosus, ad quem etiam referenda sunt ipsa opera charitatis corporalis, uti superius animadvertimus, est maxime hone-

stus; ergo quilibet fidelis bona propria per piam fundationem scopo religioso et fini supernaturali destinare potest: at Ecclesiae competit jus invigilandi in ea omnia quae cum scopo religioso connectuntur; igitur ipsi tribuenda et vindicanda est legitima facultas opera pia curandi, moderandi, exsequendi vel saltem inspiciendi.

Ex dictis plane colligitur Ecclesiae inesse potestatem non modo praestandi seu exsequutioni mandandi per se vel ex voluntate fundatorum causas pias, sed invigilandi quoque in ea pia opera, quae ex voluntate testatorum aut fundatorum speciales administratores habent, quia penes christianos haec instituta praesumuntur ex religioso scopo, atque ejusmodi praesumptio viget, nisi expresse constet contraria voluntas, hoc est, donec aperte probetur fundatores in opere instituendo fine naturali ductos utilitati mere temporali intendisse, quocumque religioso respectu praetermisso. Quod si fundatores explicite declararent se ob scopum religiosum suas institutiones relinquere, sed simul ecclesiasticam potestatem excluderent non modo ab administratione bonorum, verum etiam a quacumque vigilantia in administratores, in magnam et palmariam contradictionem incurrerent, et tunc ipsorum voluntas nec haeredes cogeret, neque in hoc a caeteris esset attendenda utpote abusui administratorum occasionem praebens: et sane, etiamsi jus naturale tantum spectetur, omnibus persuasum habetur quamlibet institutionem inniti debere alicui personae sive physicae, sive morali, id est, speciali individuo vel determinatae societati; jam vero, in utroque casu agnoscenda erit necessaria interventio atque indeclinabilis vigilantia religiosae auctoritatis. Si enim operae piae supponantur concreditae specialibus individuis seu administratoribus, cum ipsi non agant nomine proprio, neque in personalem utilitatem, sed nomine fundatorum pii operis et in bonum societatis christianae, jus est Ecclesiae saltem inspiciendi an

administratores officio suo recte satisfaciant: sin vero opera pia alicui societati commendentur, tunc exsecutio piae voluntatis vel committitur societati perfectae vel imperfectae; si societati perfectae, omne jus ad Ecclesiam pertinet, quippe de scopo religioso agitur, et quidem in utilitatem societatis religiosae; si autem societati imperfectae concedatur cura et adimpletio pii operis, cum adsociationes imperfectae societati perfectae et homogeneae subdantur, opera pia, sicut caetera omnia, quae ad finem religiosum referuntur, sub potestate Ecclesiae cadunt, et saltem ejusdem vigilantiae subsunt. Dicimus pias operas in hoc casu saltem Ecclesiae vigilantiae esse subjectas, quia recte et regulariter poterit societas religiosa rationes petere ab administratoribus a fundatore designatis; si autem id fuerit prohibitum, quia ipsa natura operis impedit, quominus reddatur ratio administrationis, ut cum redditus pro pauperibus occultis sucurrendis destinantur, semper intervenire poterit in casu evidentis abusus.

63. Usquemodo de hac re ratione naturali ducti disputavimus; si enim ex jure positivo, tum civili, tum canonico argumentari velimus, vacat quaelibet disquisitio, quia agitur de re judicata et quaestione finita. Enimvero, ex cap. NOS QUIDEM et cap. TUA NOBIS *de Testam.*, necnon ex L. 28 NULLI LICERE Cod. *de Episc.* et *Cler.* aperte constat curam et exsecutionem piarum dispositionum ad Episcopos pertinere; *licet etiam a testatoribus id contingeret interdici,* ut loquitur Pontifex laudato cap. TUA NOBIS, siquidem leges, quae facultatem illam Episcopis contulere, mutari nequeunt privata testatoris voluntate: *nemo potest in testamento suo cavere, ne leges in suo testamento locum habeant,* uti legitur L. 58. ff. de *Leg.* et *Fideicommiss.;* atque in Authentica LICET *de Episc.* et *Cler.*, necnon in Novella 131 cap. 11 praecipue sancitum est, invito etiam testatore, jus Episcopis esse pias voluntates sibi curandas et exsequendas

vindicare. Rem totam conficimus doctrina sapientissimi Pontificis Benedicti XIV, qui ita ait: "Nec aliud datum est pii operis fundatori, quam ut certum aliquem designare ac constituere valeat exsecutorem, seu etiam huic concreditum munus segniter obeunti alium subrogare: tunc enim Episcopus interponere se nequit, nisi cum substitutus quoque segnis, et negligens deprehendatur: sed hoc demum casu ad Episcopum devolvitur onus ac cura exsequendi, quod alii neglexerunt" (1).

ARTICULUS V.

SUMMARIUM.

64. *Ordines* et *Congregationes* Religiosae.—65. Aspectus *juridicus* hujus quaestionis.—66. Jus Ecclesiae vota religionis publice agnoscendi et socialiter moderandi.—67. Quaenam auctoritas ipsi competat supra Societates Religiosas.—68. Officium Status catholici leges Ecclesiae hac de re latas civiliter recognoscendi.—69. Obligatio societati civili incumbens erga personalitatem juridicam et naturam hierarchicam Ordinum atque Congregationum.

64. Apud omnes notum est: 1.° in Evangelio praeter praecepta ad necessariam sanctitatem assequendam cunctis fidelibus injuncta reperiri etiam consilia pro christiana perfectione attigenda; 2.° summam atque apicem evangelicae perfectionis sita esse in tribus votis substantialibus paupertatis voluntariae, castitatis perfectae, et perpetuae obedientiae; 3.° vota religiosa, quae publica nominantur, eo quod in facie Ecclesiae emittantur, et ab eadem acceptata atque recognita habeantur, duplicis generis esse posse, videlicet, ***solemnia*** vel *simplicia*, prout actus contrarii invaliditatem (puta matrimonii, testamenti, etc.) aut saltem irritabilitatem (uti fit in promissione) importent, vel tantum actus oppositos illicitos reddant; 4.° ex hac votorum differentia

(1) *De Syn. Dioeces.* Lib. XIII, cap. ult.

exsurgere communem et tritam distinctionem adsociationum religiosarum in *Ordines* proprie dictos pro votis cum solemnitate emittendis ab Ecclesia approbatos, atque *Congregationes* ab ipsa quoque recognitas et sancitas, in quibus tamen vota fiunt absque solemnitate in sensu canonico hujus vocis supra exposito.

65. His praesuppositis, videndum superest quo jure Ecclesia polleat pro ordinanda publica professione consiliorum evangelicorum, necnon pro ordinibus et congregationibus instituendis, atque vice-versa quonam officio obstringatur Status catholicus erga vota et religiosas adsociationes; hin duplex quaestio in Jure Publico solvenda proponitur: inquiritur 1.°, utrum Ecclesia propria et exclusiva facultate gaudeat vota religiosa publice, hoc est, in foro externo et per leges publicas agnoscendi, eisque valorem socialem seu effectus ecclesiasticos impertiendi, ac consequenter ordines et congregationes religiosas instituendi, approbandi atque moderandi: quaeritur 2.°, an societas catholica vera et stricta obligatione teneatur legislationi ecclesiasticae vota in religione emissa regulandi, ejusque socialibus effectibus vim civilem tribuendi, ideoque societates religiosas, earumque respectivos actus in foro saeculari recognoscendi.

Pro hac duplici quaestione solvenda quatuor principia juridico-catholica adstruemus ac propugnabimus, quibus iterum vindicabitur competentia Ecclesiae in negotiis religiosis, simulque patefiet civilis potestatis subordinatio quoad res ad finem spiritualem spectantes: duo priora Ecclesiae exclusive adjudicabunt jus leges condendi in materia votorum, suaque suprema auctoritate instituta religiosa approbandi atque sanciendi; duo postrema officia tradent, quibus Status catholici devinciuntur quoad civilem observantiam sacrorum canonum hac de re pertractantium, et publicam Ordinum Congregationumque recognitionem.

66. 1.um Principium. ***Ecclesiae competit jus exclusivum vota religiosa*** PUBLICE ***agnoscendi, eorumque*** SOCIALES EFFECTUS ***in foro externo definiendi atque moderandi.*** Ex ipsa hujus principii enunciatione pronum est colligere tractatores Juris Publici, cum Ecclesiae potestatem supra laudatam materiam tuentur, eidem adscribere recognitionem *publicam* votorum evangelicae perfectionis, hoc est, per canones seu leges positivas expressam *(publice agnoscendi)*, atque etiam moderationem non tantum dogmaticam in ordine doctrinae, aut ethicam in foro interno, sed vere juridicam *(in foro externo)* et coram societate, primo ecclesiastica et deinde civili *(sociales effectus)*.

Praemissa hac animadversione, in corroborationem memorati principii sequentia rationum momenta proferimus: a) Ecclesiae divinitus demandatum est munus curandi ac promovendi sanctitatem fidelium, eique proinde jus est praescribendi normas servandas ab iis qui perfectioni intendere cupiunt; sicut enim praecepta ferre potest pro omnibus christianis ad sanctificationem facilius et tutius comparandam, ita etiam et potiori jure leges hypotheticas condere valet pro illis qui ad ipsam perfectionem adsurgere volunt, ut scopum sibi praestitutum prudenter et efficaciter obtineant; b) si bonum reputatur consiliis evangelicis in foro interno attendere, optimum censendum erit eadem exterius servare, ita ut appareant coram societate christiana; hoc enim summopere expedit tum ipsis profitentibus, qui sub vigilantia societatis positi cautius procedunt et difficilius a suscepto proposito discedunt, tum cunctae societati, cui pium juvamen et salutarem aedificationem praebet ejusmodi publicum et laudabile exemplum; hinc maxime fidelium interest sua vota coram societate ecclesiastica emittere, et ab ipsa eadem auctoritative et publice suscipi ac moderari, ut rite emittantur, et emissa recte custodiantur; c) extra omnem dubitationis

aleam positum est quamlibet auctoritatem in rebus suae propriae et exclusivae competentiae, atque requirente publica utilitate, quosdam actus non modo illicitos, sed etiam invalidos declarare posse; igitur Ecclesia actus votis oppositos sive illegitimos, sive nullos, optimo jure spectare valet, ideoque potestate gaudet personas religiosas inhabiles reddendi tum ad matrimonium contrahendum voto castitatis, tum ad actus dominii peragendos voto paupertatis, tum denique ad sese obligandas voto obedientiae, etenim ipsarum promissiones saltem sunt a superiore irritabiles.

67. 2.um Principium. *Ecclesiae competit jus exclusivum Ordines atque Congregationes religiosas* INSTITUENDI, APPROBANDI, MODERANDI, DISSOLVENDI, *quaestionesque omnes hac super re exortas* DIRIMENDI.

Jus *instituendi*. Ad Ecclesiam exclusive attinet constituere quidquid ducit ad sanctificationem societatis christianae; sed institutio religiosorum Ordinum et piarum Congregationum ad sanctificationem plebis christianae valde conferunt; ergo ecclesiasticae auctoritatis est religiosas adsociationes condere. Propositio minor vix demonstratione indiget, cum omnibus compertum sit ordines religiosos potissimum praesidium et voventibus et integrae societati praestare.

a) Profitentibus in primis maxime prosunt, quia sub communi regula et disciplina facilius et tutius servantur vota tum paupertatis, cum superior de omnibus disponat, tum castitatis, cum etiam viventes in saeculo, sint tamen a saeculo segregati, tum obedientiae, cum superior continuo instet.

b) Deinde bonum spirituale societatis christianae summopere promovent, tam *indirecte* quam *directe; indirecte*, quia integrae societati magnum atque spectatissimum virtutis, abnegationis et sanctitatis exemplum praebent: *directe*, quia, historia attestante, major pars religiosorum, praeter propriam sanctificationem, etiam

specialiter intendunt vel ecclesiastico ministerio vel piis operibus pro utilitate spirituali societatis.

Et sane, omnes religiones et congregationes in Ecclesia institutae, sive vitam tantum contemplativam tamquam scopum peculiare sibi proposuerint, sive vitam activam vel mixtam pro fine speciali habuerint, plurimum contulere in bonum intellectuale ac morale, spirituale et materiale societatis christianae: etenim ordines contemplativi, quamvis hodie pauci sint, olim tamen magnam utilitatem christianae reipublicae attulerunt, sive quia in eis fervor spiritus et doctrina ecclesiastica servaretur, unde factum est ut ex antiquis coenobiis et assumerentur optimi pastores pro ecclesiis regendis, et praeclari doctores exsurgerent ad debellandas haereses; sive etiam quia vetera ac pretiosa monumenta sapientiae, culturae, scientiae et artium nobis asservarunt. Si vero de Congregationibus vitae activae sermo sit, nemini profecto inficiari aut ignorare licet eas vel ministeriis ecclesiasticis assiduam curam impendere, cujusmodi sunt clerici regulares; vel prorsus esse aut fuisse dicatas operibus charitatis, tum intellectualis et moralis, juventutem in scholis et gymnasiis educando; tum corporalis, ut in nosocomiis; tum mixtae, sicut in orphanotrophiis et aliis hospitiis, in quibus simul consulitur curae corporali, instructioni intellectuali et educationi morali; tum demum socialis et publicae, etiam armis defendendo societatem religiosam et civilem, uti olim in ordinibus militaribus contingebat.

Ex jure exclusivo Ecclesiae ordines religiosos publice ac socialiter constituendi plane infertur tamquam legitimum consectarium ad ipsam quoque spectare facultatem propriam atque insitam: [a]) determinandi *aetatem* vestitionis et professionis religiosae; [b]) definiendi *tempus* probationis seu durationem novitiatus: [c]) adsignandi religiosis *vestes* speciales, quae quidem a civili

auctoritate non modo permittendae, verum etiam defendendae sunt; d) praescribendi *numerum* religiosorum, sive publicae societatis christianae utilitati inserviant, sive suae tantum sanctificationi attendant; e) erigendi novas *domos* et *provincias*. Hinc injustae atque injuriosae habendae sunt leges civiles, quae pro amplectenda vita religiosa aetatem diversam ab ecclesiastica requirebant aut requirunt, vel tempus probationis ad professionem faciendam pro lubitu saecularis auctoritatis designant, vel habitum religiosum, saltem extra monasterii claustra, prohibent, vel numero religiosorum limites arbitrarie ponunt, vel tandem pro erigendis novis domibus civilis potestatis veniam et annuentiam postulant.

Jus *approbandi*. Ad Ecclesiam, ejusque visibile caput Romanum Pontificem insuper pertinet Ordinum Regularium approbatio; de jure positivo ambigendi locus non est, cum exploratum sit Concilia Lateranense IV et Lugdunense II decrevisse, ne deinceps sine Apostolicae Sedis approbatione nullus novus Ordo instituetur ob pericula et perturbationes, quae ex nimia Religionum frequentia oriri possent (1); sed ipsa ratione naturali plane ostenditur Apostolicae Sedi esse deferendam exclusivam facultatem Religiosas Congregationes sanciendi, earumque regulam seu specialem legislationem approbandi. Primo quidem, quia hujusmodi jus ad rectam Ecclesiae administrationem conducit, quae potissimum ad Romanum Pontificem spectat: deinde vero, quia majores causae, ad salutem animarum attinentes, reservari solent Pontificiae auctoritatis judicio ac competentiae; Religionum autem approbatio inter causas majores recensetur: denique, quia absque approbatione Ordines Religiosi neque securitatem, neque immobilita-

---

(1) Cap. fin. *de Relig. Domibus*, et cap. unic. eod. tit. in 6.°

tem haberent; etenim errores in statutis contineri, et Communitates facile dissolvi possent.

Et profecto historia nobis testatur veteres adsociationes religiosas nec securitate, nec immobilitate esse potitas, dum earum conditores vel superiores, pro suo quisque arbitrio, monasticam disciplinam temperare poterant; tunc enim regulae putari possent tamquam minus aptae et accommodatae ad evangelicam perfectionem comparandam; et aliunde tot vigebant regulae, quot monasteria, ac regulae ipsae passim mutatae, et non raro plures in eodem monasterio propositae.

Jus *moderandi*. Item Ecclesiae unice competit jus societates religiosas regendi ac moderandi, quae equidem ab ecclesiastica potestate pendent, tum quia sunt adsociationes intra Ecclesiam constitutae pro fine ipsius Ecclesiae consequendo, ideoque sub ejus vigilantia ut omnes societates minores homogeneae relate ad suam majorem; tum etiam quia sunt adsociationes publicae institutae ut partes organismi Ecclesiae, cujus agnitionem et privilegia implorant, et cui etiam perfectionis causa et voto religiosae obedientiae specialiter adstringuntur.

Ad Ecclesiam igitur exclusive spectat vi ejusmodi dependentiae, qua Ordines Religiosi ejus regimini atque moderamini subjiciuntur: a) regulam modificare, si opportunum visum fuerit, cum mutatio novae regulae approbationi aequivaleat; b) urgere exsecutionem ejusdem regulae; c) invigilare in ejus observantiam; d) superiores majores vel generales Religionum confirmare. Et sane, si de Ordinibus proprie dictis agatur, quamvis eorum superiores ex jure canonico auctoritate quasi episcopali in suos polleant, tamen ejusmodi spiritualis jurisdictio non est originaria, sed participata, neque propria, sed delegata a Summo Pontifice, qui per se vel per suos delegatos eam revocare potest; ad Congregationes Romae approbatas quod attinet, licet earumdem

superiores auctoritate quasi episcopali non sint praediti, habent nihilominus plures facultates a Sancta Sede receptas, ac proinde ejus sanctione indigent; quoad Congregationes dioecesanas paritate rationis a suis Episcopis omnino pendent.

Jus *dissolvendi*. Ecclesiae quoque tribuendum est jus nativum atque exclusivum Ordines vel Congregationes dissolvendi; etenim dissolutio cujuslibet societatis fieri tantum potest ab ejus auctoritate, qui eam instituit; praeterea solummodo Ecclesia judicium ferre valet de hoc duplici facto: 1.° quando adsociationes religiosae sive per se sive per accidens adversentur bono integrae societatis christianae; 2.° quandonam vero utiles vel inutiles censendae sint pro perfectione cujusque profitentis.

Semel autem vindicata Ecclesiae potestate Religiones dissolvendi, recte consequitur ad eam unice spectare jus disponendi de bonis temporalibus, quae possidebant; hujusmodi enim bona ad individua non pertinent, sed ad Ordinem aut Congregationem; unde dissoluta societate, quae pro scopo religioso instituta erat, atque deficiente etiam scopo specifico Religionis per factum dissolutionis, remanet tamen scopus genericus, ideoque devolvuntur societati seu personae perfectae, cui generice commissa est cura promovendi et exsequendi finem religiosum, nisi specialis fundatorum aut donantium voluntas aperte obstet.

Jus quaestiones obortas *dirimendi*. In Ecclesia pariter agnoscenda est exclusiva competentia regulam interpretandi et quaestiones emergentes auctoritative judicandi, quia potestas judicialis legitimum ac necessarium consectarium est potestatis legiferae; jam vero, cum ad Ecclesiam jure proprio attineat institutio, approbatio atque Ordinum Regularium moderatio, integrum ac exclusivum ipsius erit judicare de professionis validitate, votorum dispensatione et saeculariza-

tionis necessitate vel opportunitate, quia ad Ecclesiam unice spectat jus divinum interpretari, et in iis quae facto humano nituntur dispensationem concedere.

68. 3.um Principium. *Statui catholico incumbit officium agnoscendi in ordine civili* LEGISLATIONEM *Ecclesiae vota religiosa* SOCIALITER *moderantem, necnon* ACTUS *ipsi respondentes.*

Veritas hujus juridicae assertionis magna perspicuitate nitet; enimvero quamplurimae rationes afferri possent, quae ineluctabiliter evincerent leges Ecclesiae vota evangelicae perfectionis regulantes, atque omnes votorum effectus jure canonico determinatos esse agnoscendos non modo in societate ecclesiastica, verum etiam a saeculari potestate et lege civili; speciminis gratia nonnullas probationes innuere contenti erimus: a) lex civilis per se tenetur agnoscere quidquid lege ecclesiastica constituitur ut custodiendum et observandum tam in foro interno quam in externo; b) quemadmodum cultus, ut sit in societate plene publicus, pro se habere debet legis civilis recognitionem, ita etiam professio perfectionis, ut sit plene socialis, atque per eam Deus a societate honoretur, non solum ab Ecclesia, sed insuper a sociali auctoritate et civili lege erit agnoscenda; c) denegatio ejusmodi recognitionis honorem divinum ex religiosa professione redundantem laederet, siquidem imminueretur a societate civili, quae profecto indifferentem se praeberet divinae ordinationi religiosam professionem juxta leges Ecclesiae publice emissam laudanti; d) denique societas civilis, si ecclesiasticam legislationem hac super re sperneret vel parvipenderet, supremae Dei ordinationi resisteret, quandoquidem ex divina intentione societas humana materialiter una, sed formaliter duplex, quia iidem homines et societatis civilis et Ecclesiae simul membra sunt, ita constituta esse debet, ut societati superiori et nobilissimae finem supremum et aeternum curanti subordinetur.

69. 4.um Principium. *Societati catholicae incumbit officium Religiosas* ADSOCIATIONES, *earumque respectivos* ACTUS *in foro civili recognoscendi.*

Ex hoc postremo principio inferre licet statum catholicum speciali officio teneri: [a]) habendi societates religiosas, earumque minores subdivisiones in provincias et domos tamquam personas morales juridicas, Ecclesiae homogenee subordinatas; etenim actus ejusdem Ecclesiae ad forum externum respicientes aestimari debent validi et in foro civili: age jam Ecclesia Ordinibus et Congregationibus religiosis personalitatem juridicam tribuit, cum has adsociationes approbat constituitque ut personas morales distinctas a singulis personis physicis eas componentibus; unde necesse est praefatas communitates intueri ac considerare socialiter veluti subjectum jurium, juxta normam legislationis ecclesiasticae, ideoque vera capacitate juridica possidendi, adquirendi, et contrahendi praeditas in mensura, sensu atque extensione, quibus Ecclesia, societas perfecta, a qua pendent ejusmodi adsociationes imperfectae, permisserit vel declaraverit: [b]) spectandi singulas personas religiosas pro effectibus civilibus ceu votis et regula ligatas et obstrictas, quia professae sunt publice, hoc est, coram societate ecclesiastica, cujus leges et actus in foro civili servari ac revereri debent: [c]) agnoscendi, prout regula statuerit et Ecclesia probaverit, constitutionem hierarchicam Religionum seu auctoritatem superiorum regularium in suos subditos; nam singuli voventes eam palam amplexati sunt, eidemque parere plena libertate promiserunt.

ARTICULUS VI.

SUMMARIUM.

70. Jus Ecclesiae quoad *cadavera* fidelium atque religiosam *sepulturam*. —71. Honor et reverentia erga defunctorum corpora.—72. An loca in quibus haec requiescunt sint religiosa.—73. Ratio agendi Ecclesiae juxta diversas sepulturae christianae epochas.—74. Quid de sepulcris in ipsis Ecclesiis censendum sit.—75. Modus curandi cadavera.—76. *Humatio* et *Crematio* historice spectatae.—77. Rationes pro crematione adductae expendantur.—78. Ritus humationis apud christianos usitatus vindicetur.—79. Utrum Ecclesia obtemperare teneretur legibus civilibus, si quando crematio praescriberetur.

70. Pro recensendis atque vindicandis praecipuis juribus, quae potestati *directae* Ecclesiae competunt, agendum nobis superest de *morte christiana*, piae vitae consummatione ac postremo medio opus sanctificationis in religiosa societate coronandi; ideoque de jure Ecclesiae quoad mortalia residua christianorum atque religiosam sepulturam.

Ad hanc disquisitionem juxta nostrum morem ac scopum claritate et ordine absolvendam, aliquid summis labiis delibabimus de *honore* debito defunctorum corporibus, qui pie obierunt, de *locis* in quibus haec requiescunt, de *historia* christianae sepulturae, de *sepulcris* in Ecclesiis atque de *modo* curandi fidelium cadavera.

71. Corpora defunctorum recte spectari possunt tamquam depositum generationibus superstitibus relictum, earumque diligenti custodiae commissum; sed ejusmodi depositum propter specialem sui naturam triplicem characterem induit, in quo equidem sita est ratio adaequata honoris atque reverentiae cadaveribus tribuendae: 1.° hoc depositum est *commemorativum*, quia sublimes sensus in corde excitat, magnas cogitationes in memoriam revocat, mentemque in contemplationem

rerum altissimarum elevat; 2.° est etiam *inviolabile*, quoniam humana residua unam eamdemque originem habent, eo quod omnes homines, juxta monogenismum catholicum, ab unica primitiva stirpe procedunt, atque unitatem et identitatem speciei humanae constituunt; unde mortalia hominum residua profanare, contemnere vel derelinquere idem esset ac vincula fraternitatis universalis disrumpere, necnon communem progeniem naturalemque totius humani generis propinquitatem prorsus diffiteri; 3.° apud christianos demum hujusmodi depositum uti *sacrum* habendum est, etenim in societate christiana corpora defunctorum in sublimem censum et nobilissimam rerum religiosarum categoriam evehuntur. Hinc eruitur honorem atque reverentiam erga cadavera esse simul actum *venerationis* jure naturali praescriptum, actum *humanitatis* jure gentium sancitum, et actum *religionis* jure christiano explicite ordinatum, uti ex levissima expositione, quam subjungimus, luculenter patebit.

Et re quidem vera, ipsa *naturalis ratio* in primis *honorare* praecipit defunctorum corpora: [a]) quia *fuerunt* residua *animata*, hoc est, quia *vixerunt*, et majorum nostrorum memoriam colere debemus; [b]) quia *sunt* residua *humana*, id est, personarum quae adhuc *vivunt* propter immortalitatem animarum, et cum quibus idcirco institui ac foveri potest dulcis et consolatoria affectuum communio; [c]) quia sunt residua mortuorum, qui, vi spiritualitatis et immortalitatis animarum, *vivent* in aeternum, et quos, si honeste egerunt et pie obierunt, ingenti gaudio spectamus videre et gloriosos in altera vita invenire.

Deinde unanimis cunctarum *gentium consensus* nos docet corpora defunctorum *honorare*, quia agitur de residuis *humanis*, nempe, de reliquiis mortalibus eorum, qui exstitere nostri consimiles et fratres, et profecto humanitati, pietati ac fraternitati omnino consonum ap-

paret vereri, servare et perpetuare vestigia adhuc in terra manentia illorum, qui fuerunt olim, sicut nos hodie, humani generis membra et ab iisdem protoparentibus progeniti.

Denique *christiana fides* speciali modo nobis inculcat *honorem* ac *venerationem* erga corpora fidelium defunctorum, quandoquidem religio explicite jubet colere tamquam *sacra* credentium cadavera: [a]) quia residua inanimata christianorum, juxta verba S. Pauli et Sanctorum Patrum sententias, inspicienda sunt velut templum Dei et habitatio Spiritus Sancti per gratiam sanctificantem; [b]) quia fuerunt sacrarium seu vivens tabernaculum Sanctissimae Eucharistiae per communionem; [c]) quia in vitam redibunt et suis animabus conjungentur sub finem temporum, prouti tradit dogma christianum futurae resurrectionis; et ideo loca ubi requiescunt, coemeteria nuncupantur, hoc est, *loca tuta dormitionis*, secundum graecam hujus vocabuli etymologiam (a *κοιμαω dormire, et τηρεω custodire)*, atque genuinam et christianam universalis resurrectionis ideam adamussim praebent, nam ut ait D. Hieronymus: *In christianis mors non est mors, sed dormitio et somnus appellatur* (1).

72. Loca humationi defunctorum addicta ad primordia humani generis usque assurgunt; etenim apud omnes fere gentes etiam barbaras indignum atque inhumanum visum est corpus hominis, qui caeteris animantibus dignitate praestat, inhumatum projicere, ut a volucribus ferisque dilanieretur et in cibum absumeretur: hinc ipsi ethnici, teste Populo Romano, loca hujusmodi tanta reverentia atque honore habebant, ut *sacra, sancta* et *religiosa* nuncuparent, prouti diis superis, diis inferis vel semonibus aut semi-diis essent dicata.

Apud christianos et in Ecclesia Catholica, quae hunc sensum venerationis ac pietatis animis hominum

---

(1) In Epist. XXIX.

a natura inditum semper fovit et auxit, loca in quibus requiescunt exuviae fidelium, optimo jure et potiori ratione dicta atque spectata sunt *religiosa,* quatenus ritui et scopo religioso in honorem divinitatis adimplendo destinata, necnon ecclesiasticae jurisdictioni immediate subjecta censeri debent.

Et sane sive in ipsis Ecclesiis, sive extra Ecclesiam exstructa sint, naturam religiosam induunt duplici conceptu specialis *dedicationis* Religionis usui et *immunitatis* a civili potestate. Si enim intra templa constructa fuerint sepulcra, nemini in dubium revocare licet, quin corpora defunctorum in Ecclesiis sepulta sint ex religiosa consideratione, ideoque sepulcra gentilitia, familiaria vel singularia sub Ecclesiae cura atque custodia posita, ejus immediatae ac exclusivae potestati subjaceant. Sin vero agatur de coemeteriis extra Ecclesias exstructis, pariter elucet character religiosus ejusmodi locorum; nam pro christianis cadavera ipsorumque depositio objectum constituunt religiosi cultus, et coemeteria unice destinantur huic officio obsequii in Deum ac spiritualis charitatis in proximum, unde non modo consecrantur vel benedicuntur sacris ritibus, verum etiam quilibet actus profani in eis prohibentur.

Hinc recte colligitur in coemeteriis christianis tantum humanda esse corpora fidelium juxta Ecclesiae judicium, graviterque errare eos qui contendunt omnes cujuscumque religionis, vel etiam nullius, in eodem loco esse sepeliendos; ejusmodi assertio aperte falsa et prorsus iniqua apparet: 1.° quia tunc communio exterior non responderet communioni religiosae quam significat; 2.° quia sepulcro auferretur qualitas loci religiosi, et sepultura naturam actus religiosi amitteret; 3.° quia saepius etiam ipsis heterodoxis irrogaretur injuria, quippe merito praesumendum est dissidentes, per voluntariam defectionem ab Ecclesia Catholica segregatos, noluisse, dum in vivis agerent, neque pro tempore futu-

ro cum catholicis communicare. Certum est equidem omnes esse sepeliendos, quoniam ex jure naturae et gentium praestari debet hoc officium humanitatis, sed non in eodem loco religioso atque permixte et indiscriminatim cum caeteris fidelibus, cum apud christianos ejusmodi naturalem officium ad conditionem et ritum religiosum elevatum sit.

73. Circa loca sepulturae fidelium dicata Ecclesia a suis incunabulis ad novissima usque tempora sex temperamenta seu regulas agendi adoptavit, quae adamussim respondent totidem epochis, in quas tribui potest historia atque evolutio coemeteriorum apud Christianos, nempe: 1.am a I ad IV saec.; 2.am a IV ad VI saec.; 3.am saec. VI; 4.am a VII ad X saec.; 5.am a X ad finem saec. XVIII; 6.am a saec. XIX ad nostra usque tempora.

I.a Epocha (I—IV). Hac remotissima aetate corpora fidelium, ut omnes norunt, generatim condebantur in Catacumbis seu sacris hypogeis, aliquoties autem in ipsa terra sepeliebantur, puta S.Cyprianus Carthaginensis, ita ut sepultura vera esset humatio *(enterramiento):* Ecclesia legibus Romani Imperii *obtemperavit,* quae explicite vetebant intra templa et moenia civitatis sepelire.

2.a Epocha (IV—VI). Conversis ad fidem ipsis Imperatoribus, lex civilis custodita fuit quoad interdictionem tumulandi intra urbes; sed *venerationis* et honoris causa martyrum et Sanctorum corpora condita sunt sub altari in Ecclesiis extra-muros aedificatis; propter specialem *devotionem* quamplurimi etiam christiani sepeliri maluerunt in Catacumbis (praesertim a pace constantiniana ad finem saec. IV), ut requiescerent coram sanctis; demum reliqui fideles ob *religionis* sensum coeperunt sepulcrum cupere prope Ecclesiam, ut suffragiis eorum, qui loca sacra invisebant, juvarentur: hujusmodi honorem adepti sunt, uti ex monumentis historicis liquet, pii

imperatores Constantinus, Theodosius atque Honorius. Ex tunc temporis, Episcopis ac Regibus primum, deinde presbyteris, monachis, patronis et ecclesiasticis benefactoribus, ac postremo sensim sine sensu omnibus concedi consuetum est sepulcrum, primo prope Basilicas rurales in earum porticibus vel atriis, postea vero intra ipsas Ecclesias in agro constructas: Ecclesia hac secunda periodo ejusmodi laudabili pietatis sensui ultro *acquievit* atque assentita est, ut ita asseveraretur sua fides contra principium et morem paganum cadavera excludendi atque ablegandi a loco sacro.

3.ª Epocha (saec. VI). Decurrente hac centuria plures abusus irrepsere; fideles enim, non tantum spiritu pietatis ducti, quam superbia permoti et exemplum principum et optimatum aemulantes, omnes certatim privilegium honorificae sepulturae optabant in vestibulo templi, pluriesque etiam intra ipsas Basilicas, adeo ut hae fere innumeris monumentis funerariis obruerentur: Ecclesia huic abusui et vanitati specie pietatis fucatae ***restitit***, prohibens ne in Basilicas etiam longe ab oppidis exstructas inferrentur et custodirentur corpora defunctorum; et quidem Summus Pontifex Pelagius II decreta edidit, plurima Galliae et Hispaniae Concilia canones tulerunt, atque vel ipsi imperatores Gratianus et Valentinianus edicta promulgarunt pro tollenda aut impedienda hujusmodi corruptela.

4.ª Epocha (VII—X). Saeculo VII ineunte, permitti coepit erectio sepulcrorum non quidem intra templa sed circum Ecclesias urbanas, ex quo probabilius originem ducunt coemeteria Parochiis ***contigua,*** atque praxis sepeliendi in atriis vel ***claustris*** Cathedralium et Monasteriorum: Ecclesia benigne ***toleravit*** hunc pium morem et nobilem sensum fideles impellentem ad sibi eligendam sepulturam saltem circa Ecclesias in ipsis urbibus aedificatas.

5.ª Epocha (X—finem XVIII). Hoc ex tempore prae-

valuit usus generalis sepulcra erigendi intra ipsa templa; jure communi antiquo quisque fidelis sepeliendus erat in propria Parochiali Ecclesia vel ejus Coemeterio, ut defunctus cum ea Ecclesia communicaret, cui vivus adhaeserat, et in qua spirituali pabulo refici consuevit; postquam vero Pontificiis privilegiis concessum est Regularibus jus in suis Ecclesiis et Coemeteriis fideles tumulandi, qui in eis sepulturam elegissent, et postquam ipsis fidelibus permissa fuit deinde facultas sepulcra gentilitia vel familiaria exstruendi, fideles liberi devenerunt ab onere sepulturae parochialis, salvis semper juribus, emolumentis et obventionibus Paroeciae, cui adscriptus fuit defunctus, cum Ecclesia *tumulans,* juxta sermonem canonicum, distincta erat ab Ecclesia Parochiali fidelis; unde ortum habuit *quarta* portio, *funeraria* seu *canonica* appellata, sub quo nomine usuvenit certa portio Parocho debita ex oblationibus aliisque emolumentis, quae Ecclesiae tumulanti ratione sepulturae obveniunt. Ecclesia igitur jure novo Decretalium cuique fideli *libertatem* tribuit sibi construendi et *eligendi* sepulturam in quovis loco religioso, qua denominatione intelliguntur non solum Ecclesiae Parochiales et Monasteria, sed Oratoria etiam publica, ubi divina mysteria, licet minus frequenter, celebrantur.

6.ª Epocha (a saec. XIX ad nos usque). A fine saeculi superioris vel initio XIX leges civiles guberniorum et ordinationes municipiorum coeperunt sepulcra in Ecclesiis prohibere, et coemeteria longe ab oppidis locisque habitatis praescribere causa publicae hygienis; ejusmodi leges in praesentiarum vigent, ideoque hodiedum omnes fideles, *velint nolint,* in coemeteriis communibus sepeliri tenentur, exceptis tantum *Episcopis, Principibus* et *Monialibus,* quae *claustrales* vocantur, utpote clausura proprie canonica obstrictae: Ecclesia demum, servatis atque vindicatis juribus,

quae ipsi in haecce religiosa loca competunt, novissimis civilis auctoritatis praescriptionibus sese *accommodavit*, tum quia conformes videntur suae legislationi, ut numero sequenti ostendemus, tum quia saepenumero utiles reipublicae evadunt, tum quia inutilis et impossibilis esset quaelibet resistentia.

74. Mens Ecclesiae circa praelationem et convenientiam loci christianae sepulturae dicandi videtur semper fuisse, ut fidelium corpora non in Ecclesiis, sed in Coemeteriis sepeliantur; ejusmodi sententiam et Ecclesiae intentionem fas est colligere: [a]) ex veteri disciplina, quae profecto non patiebatur omnium fidelium cadavera absolute atque indiscriminatim in Ecclesiis tumulari; etenim, ut ajebat S. Gregorius: *Nemo in Ecclesia sepeliatur, nisi forte talis sit persona Sacerdotis, aut alterius justi hominis, qui per vitae meritum talem vivendo suo corpori defuncto locum acquisierit* (1): [b]) ex pluribus conciliis apud diversas regiones antiquitus habitis, praesertim vero in Ecclesia Hispanica et Gallica, in quibus canones expresse editi sunt praecipientes vel hortantes, ut coemeteria generatim extra templa conderentur; et quidem constat alicubi gratia concordandi ecclesiasticas praescriptiones et pia christianorum vota sepulcra erecta fuisse locis sacris conjuncta, ut ita satisfieret distinctioni ecclesiae et coemeterii, simulque devotioni fidelium: [c]) ex Rituali Romano jussu Pauli V edito, in quo eadem disciplina statuitur: *ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in Coemeterio, retineatur, et ubi fieri potest, restituatur.*

Attamen, quamvis talis sit mens et spiritus Ecclesiae, hac quaestione juridice spectata, contingere potest, ut civilis auctoritas nonnullos abusus perpetret et leges vere injustas hac de re ferat, cujusmodi essent: [a])

---

(1) Lib. IV *Dialog.*

quae ita absolute et rigorose procederent, ut neque corpora Sanctorum permitterent in Ecclesiis venerari; reliquiae enim Sanctorum sunt objectum cultus specialissimi qui in templis tribuitur, et in Ecclesias inferri non solent, nisi multis post mortem annis, quando nullum saluti publicae periculum adest; [b]) quae ab Ecclesiis excluderent viros, quos Ecclesia speciali reverentia prosequitur, ut sunt Episcopi, vel mulieres quae ex suis domibus educi non debent, veluti Moniales claustrales ratione clausurae canonicae; [c]) quae inaudita Ecclesia interdicerent consuetudinem legitime inductam et alicubi vigentem humandi in Ecclesiis aliqua cadavera absque hygienis et publicae securitatis detrimento.

75. Duplicis generis potest esse modus curandi corpora defunctorum, nempe, formalis et materialis; *formalis* in ipsa sepultura situs est, seu in ritu recte et honeste in sepulcrum deferendi cadavera; age jam, omnes ultro concedunt ejusmodi ritum, servatis semper praescriptionibus pro publica hygiene et securitate a civili auctoritate latis, religiosum esse debere, quia illatio corporum in sepulcrum causa religionis fit.

Modus *materialis* consistit in ratione seu methodo practica cadavera asservandi: duos distinctos ritus usitatos invenimus, nimirum, praxim *humationis* apud christianos servatam atque usum *cremationis* apud Indos hodie (praesertim in tribubus incultis Alaskae et Californiae) et olim aliquando penes Graecos et Romanos frequentatum.

76. Ad ritum materialem quod attinet servandi et in posteros transmittendi exuvias mortuorum, hic modus duplici sub respectu spectari potest, *historice* atque *juridice* et religiose; circa quaestionem *historicam* levissimas insinuationes pro re nostra tradere satis est.

Sacrae Litterae nobis testantur apud Patriarchas et Aegyptios humationem in usu fuisse, et licet ali-

quoties Reges cremati sunt atque tempore Jair tertii Judicis Israel incinerationis mentio fit, mos humandi cadavera ita in Populo Hebraico perseveravit, ut post captivitatem babylonicam crematio semper habita sit tamquam res detestabilis et ritus prorsus paganus.

Graeci primam cremationis originem Herculi tribuerunt, et inter eos rogum Patrocli notissimum Illiadae episodium constituit: Pelasgi etiam ac Proto-Etrusci mortuos comburebant.

Apud veteres Romanos mos communis fuit humatio, uti facile eruitur ex explorationibus circa Constantinam factis, ex celeberrimis excavationibus cura et directione Schliemann prope Mycenam peractis, necnon ex sceletis ossibusque nostris diebus per egregium arquaeologum Joannem B. de Rossi in Cantalupo juxta Romam detectis: serius tamen pro optimatibus obtinuit crematio vel potius uterque ritus usitatus reperitur; etenim ex Historia constat Numam Pompilium cremationem sui cadaveris expresse vetasse, et Tullius Cicero narrat Marium inhumatum fuisse, atque e contra Syllam ejus rivalem exstitisse primum ex familia Cornelia flammis traditum.

Quoad caeteras Occidentis gentes, juxta probabiliorem conjecturam, Harii, qui, ex regionibus montanis Pamir exorti, germina novae culturae et ulterioris progresus in Europa jecere, usum cremationis pro mortuis propagare coeperunt.

Apud Christianos vero semper invaluit humatio, sive quia exemplum Patriarcharum et Populi Dei sequi maluerunt, sive quia morem humandi apostolico praecepto inductum censuere, sive demum quia ejusmodi ritus notioni christianae mortis et salutari spei futurae resurrectionis magis consonus et adaequatus videtur, siquidem christianus, qui pie obit, *dormit* et in pace *requiescit exspectans* secundam et aeternam sui corporis cum anima conjunctionem, ideoque ejus residua morta-

lia integre servanda, tranquille relinquenda et religiose colenda sunt (1).

77. Nunc vero, reliquum est de hac controversia disserere sub aspectu *juridico* ac *religioso,* inquirendo quinam modus praeferendus sit utpote naturali pietati, sensui christiano et morali significationi magis consentaneus.

Qui cremationem contendunt pro sua sententia tuenda adducere solent symbolismum, convenientiam, pietatem, fundamentum scientificum atque oeconomiam hujusce ritus: *symbolismum,* quia crematio seu dissolutio corporis in vapores quadam poetica ratione et mystico sensu animae ascensionem in coelum aptissime significat; *convenientiam,* quia vitatur magna irreverentia et conspectus vere horrendus, quae in humatione necessario habentur, quippe, hujusmodi ritu servato, corpora defunctorum in tabem converti, muribusque ac vermibus manducari devenient; *pietatem,* quoniam, semel facta combustione, cineres in ipsis domibus asservari possunt, ut ita foveantur pii ac naturales affectus superstitum, quibus dulce solatium atque ingentem laetitiam affert cum suis caris conversari, eorumque reliquias prae oculis habere; *fundamentum scientificum,* quandoquidem plurimae rationes in ipsa hygiene publica innixae cuique aperte persuadent ritum cremationis absolute esse anteponendum; compertum namque est celerem dispersionem in aerem exalationium corporis humani publicae saluti nullo pacto nocere, sed custodiam cadaverum eorumque in sepulcra illationem aut humationem damnis positivis occasionem praebere, quia tum aer circumstans, tum aquae potabiles infici possunt; *oeconomiam,* siquidem in crematione minime

---

(1) Qui de origine et vicissitudine utriusque ritus, tam *humationis* quam *cremationis,* uberiorem notitiam addiscere velit, adeat Opus nostrum, cui titulus: Manual de Arqueologia Prehistórica, Par. 2.ª cap. I, art. III.

necesse est tot territoria occupare tantaque dispendia sustinere ad cadavera servanda, cum cineres facile et sine expensis custodiantur in vasibus vel urnis funerariis.

At rationes, quas in medium afferunt patrocinatores cremationis, si recte perpendantur, videntur futiles et parvi momenti, uti levissime ostendemus: quoad *symbolismum*, Ecclesia potius intendit in memoriam revocare futuram resurrectionem quam animae in coelum ascensum significare; quoad *congruentiam*, supervacaneum est animadvertere quidquid accidere posse cadaveri minus conveniens et visui valde repugnans, hoc totum oculte verificari, etenim tabes non apparet, et mures atque vermes in secreto laborant; quoad *pietatem*, perfacile est conjicere asservationem cinerum in privatis domibus, suppositis hominum conditione, naturali rerum vicissitudine, temporum injuria atque familiae dissolutione, frequenter ansam dare oblivioni, incuriae et profanationi; quoad *rationem scientificam* ex praescriptionibus hygienicis desumptam, ejusmodi fundamentum omnino corruit, cum exploratum sit, et testimonio plurium sapientum optimae notae confirmatum habeatur nostris diebus hygienem neutiquam humationi obstare; et quidem haud pauci medici ac physiologi praesentis aetatis, quorum judicium hac de re nobis suspectum esse nequit, eo quod ut plurimum in scholam materialistam seu naturalistam cooptati sint, experientia et propriis observationibus suffulti, demonstrarunt corpora defunctorum facile inhumari posse, quin detrimentum patiatur publica hygienes, dummodo mortalia residua crusta altiori terrae tegantur, quo operimento certe obtinetur lenta dissolutio, quae vapores atque emanationes per terrae filtrationem spargens, neque aerem inficit, si servetur debita distantia a locis habitatis, simulque consulatur ventorum directio, neque aquas potabiles corrumpit, si coemeteria procul fontibus pu-

blicis exstruantur, et ante oculos habeantur stratus et inclinationes terrae; quoad *oeconomiam*, hoc argumentum vel potius inepta atque gratuita assertio prorsus parvipendenda est, etenim certissime constat in iis regionibus, ubi interdum permissa vel concessa fuit crematio, pro adimplendo hoc ritu majora impensa et sumptus vere effusi facti sunt; aliunde autem cuique patet territorium a coemeteriis occupatum valde exiguum esse, si comparetur cum vasta universi orbis extensione.

78. Ii autem qui ritum humationis pro aris et focis vindicant, in corroborationem suae opinionis hodiedum in praxim universalem reductae, sequentia rationum momenta promunt: 1.° *reverentiam* et venerationem erga mortales exuvias, quae profecto cadaveribus melius praestatur tumulando quam comburendo, quia, dum in humatione dissolutio corporis humani perficitur quadam lentitudine ac viribus naturae, in crematione hoc fit modo violento et artificiali; 2.° *decentiam*, nam corruptio seu putrefactio corporis in sepulcro conditi operatur occulte et paulatim, in combustione autem confrixio cadaveris in aperto et statim succedit, quod absque ullo dubio et conspectui repugnat et ab humanitate absonum videtur; 3.° *significationem*, enim defunctorum confuneratio sensui religionis et ideae christianae mortis rite respondet, siquidem etiam modo materiali custodiendi humana residua melius et aptius representatur dormitio spiritualis, vi cujus corpora fidelium quiescunt, donec in fine temporum a tuba angelica excitentur, et propriis animabus aeterno et indissolubili vinculo copulentur; 4.° *praestantiam juridicam*, quoniam viri in medicina periti atque in disciplinis physiologicis versati sat norunt humationem adhuc possibilem reddere corporum inspectionem, si emergat quaelibet suspicio mortis dolosae aut violentae, dum crematio ad summum sinit veneni residua comprobare, et hoc, si rite fiat combu-

stio; eapropter caetera mortis violentae genera vel nunquam detegerentur, vel necessaria esset praevia cadaverum inspectio; quae equidem aegre aut valde negligenter fieret, maxime vero in locis ab urbibus dissitis, cum nulla in actu mortis exstaret suspicandi ratio: hac de causa viri alto magistraturae exercitio vel nobili advocatiae professioni dediti sententiam cremationi contrariam propugnare solent.

79. Denique probandum remanet Ecclesiam non teneri servare leges civiles, quae Status ferret pro urgendo ritu cremationis; quamvis enim Ecclesia leges justas a civili auctoritate de re hygienica conditas suscipere et adimplere cogatur, eas tamen recipere atque observare debet salva sua independentia, hoc est, integra manente potestate, quae ipsi competit, inspiciendi utrum praefatae leges innitantur necne justitiae et aequitati.

Nunc vero, facile evincitur justas causas deficere pro ferenda lege obligatoria cremationis, ac proinde Statum abusive et injuriose actum ire, si hac super re leges condere auderet: 1.° quia fundamenta, quibus lex civilis nititur, non a divina revelatione petuntur, cujus custodia atque interpretatio saeculari potestati concredita sit, sed ex lumine naturali sumuntur, quo etiam fruitur Ecclesia, ideoque judicare potest an leges civiles utiles vel noxiae sint, num observare vel contemnere aut praetermittere oporteat; 2.° quia ad Statum non spectat jure proprio praescribere positive rationem curandi cadavera ab omnibus servandam, sed tantum invigilare, ut hoc absque salutis et securitatis publicae jactura fiat; 3.° quia licet civilis potestas, hygienis et securitatis causa, privatos adigere posset ad ritum unicum et uniformem sequendum, nunquam tamen jus habet hunc vel illum modum determinatum Ecclesiae praescribendi, quippe haec societas superior est, et pro peragendis actibus religiosis nullo pacto obstringi aut

alligari valet lege non necessaria societatis inferioris, quin eo ipso supremam suam independentiam, atque indirectam supra Statum superioritatem amitteret.

CAPUT III.

QUAESTIONES SPECIALES DE POTESTATE PLENA ECCLESIAE.

ARTICULUS I.

SUMMARIUM.

80. Potestas *plena* Ecclesiae.—81. Jura quae ipsi competunt ratione finis *necessarii*.—82. Disciplina Ecclesiastica.—83. Jus Ecclesiae ad suam *Disciplinam* statuendam atque moderandam.—84. Probetur institutionem et ordinationem Disciplinae *externae* appellatae Ecclesiae tantum, minime vero Principibus competere.

80. Potestas *plena* Ecclesiae recte dici potest: *Complexus jurium quae ratione* "internae constitutionis" *ex* "necessitate" *finis pendentis Ecclesiae competunt tamquam societati inaequali, visibili et externae.*

81. Ecclesia autem, praeter septem media *interna* fini proximo assequendo proportionata, hoc est, ad fidelium sanctificationem obtinendam, asservandam, augendam, perficiendam atque consummandam recte ordinata, quae quidem totidem jura praesupponunt capite superiori exposita, potestate etiam gaudet omnia illa media *externa* proponendi, adhibendi et exigendi, quibus

uti valet quaelibet societas perfecta atque visibilis pro adipiscendo fine *necessario* sibi praestituto, cunctisque adsociatis communi.

Jam vero, omnis societas perfecta juxta unanimen juristarum consensum facultatem habet: 1.° *leges* et statuta *ferendi* ad bonum regimen et regularem consociationis ordinem; 2.° magistratus inferiores *eligendi* pro recto potestatis exercitio; 3.° bona *adquirendi*, ut sumptibus atque necessitatibus societatis externae, membris seu humanis individuis coalescentis, ocurrere possit; 4.° temporales divitias seu res proprias *administrandi*; 5.° *tributa imponendi* pro oneribus publicis sublevandis, cum bona communia huic scopo adimplendo non sufficiant; 6.° *extendendi* atque *applicandi* suam auctoritatem, legislationem, privilegia et vectigalia quibuslibet *territoriis* seu dominiis justo titulo antiquis possessionibus *adnexis*; 7.° veram *suprematiam* plenamque *independentiam* agnoscendi, constabiliendi ac vindicandi Summo adsociationis Moderatori vel Magistratui, sive subjectum auctoritatis socialis persona physica sit, sive moralis.

Hinc Ecclesia vi potestatis *plenae* ratione finis *necessarii* eidem respondentis septem recensita media proponere et adhibere valet, veluti quaelibet alia societas inaequalis, externa atque visibilis; age jam, usus et applicatio ejusmodi mediorum ipsi conferunt sequentia jura in hoc III capite enucleanda: 1.° jus instituendi ac temperandi suam *Disciplinam*, id est, leges condendi pro sua externa politia moderanda; 2.° jus propriam *Organizationem* (territorialem, personalem et mixtam) statuendi; 3.° jus *adquirendi* atque *possidendi* bona mobilia et immobilia; 4.° jus res temporales *administrandi;* 5.° jus *tributa* et subsidia a fidelibus *exigendi;* 6.° jus *Jurisdictiones temporales* titulo legitimo obtinendi; 7.° jus exercendi ac retinendi (hodieque, consummata iniqua expoliatione, recuperandi), *Principatum civilem* seu Do-

minium temporale ex Dei providentia Romanis Pontificibus collatum ad plenam et necessariam Sanctae Sedis independentiam.

82. Primum itaque, Ecclesiae inest jus indubium atque exclusivum suam Disciplinam statuendi et moderandi: praetermissis hoc in loco praecipuis Ecclesiasticae Disciplinae divisionibus, quibus addiscendis vel reminiscendis consuli potest nostra *Introductio in Jus Ecclesiasticum* (1), satis est modò pro tuenda potestate Ecclesiae disciplinari iterum memorare notissimam et communem distinctionem Disciplinae ratione *objecti* in *dogmaticam*, *dogmati adnexam*, *liturgicam* atque *externam*.

Disciplina *dogmatica* ea est, quae circa veritates a Christo Domino traditas et a cunctis fidelibus omnino credendas versatur; hujusmodi sunt materia et forma Sacramentorum, itemque forma ecclesiastici regiminis seu ecclesiastica Hierarchia juxta Tridentinam definitionem divinitus instituta: disciplina *liturgica* nuncupatur, quae ad Sacramenta, caerimonias, sacros ritus, rerumque sacrarum dignitatem vel reverentiam pertinet; veluti canones praescripti pro sacris ministrandis, festis celebrandis, precibus vel supplicationibus indicendis, ecclesiis consecrandis, aliisque multis ad formam et organizationem cultus publici spectantibus: disciplina *dogmati adnexa* appellatur, quae cum dogmate ita connectitur, ut aboleri nequeat, quin simul veritati dogmatis detrahatur; talis est disciplina Sanctissimam Eucharistiam cultu supremo *latriae* adorandi, quae cum dogmate realis praesentiae Christi tantam conjunctionem habet, ut eadem disciplina tolli aut mutari nequeat sine maxima catholici dogmatis injuria: disciplina *externa* passim dicitur, quae externam Ecclesiae gubernationem respicit, vel externas fidelium actiones,

---

(1) Cap. I, art. III.

quatenus christiani sunt et Ecclesiae membra, moderatur; hoc genus disciplinae a Theodereto, qui loquens de Patribus Nicaenis ita ait: "Post haec rursus in unum convenientes de ecclesiastica politia viginti leges conscripsere" (1), tritam denominationem *politiae ecclesiasticae* sortitum est.

83. Jam vero, de disciplina *dogmatica, dogmati adnexa* et *liturgica* nulla viget controversia, omnes siquidem unanimi consensu ac libenti animo fatentur cuncta, quae ad doctrinam fidei morumque praecepta, ad Sacramenta et sanctissimum Missae Sacrificium, necnon ad cultum Dei et salutem animarum attinent, tantummodo in potestate Ecclesiae posita esse; nam, ut ait Petrus De Marca: "De ritibus, caerimoniis, Sacramentis, Cleri functione, conditionibus, censura, et disciplina canones a Conciliis, et decreta a Pontificibus Romanis, tamquam de materia sibi subjecta, frequentissime eduntur, et vix ulla proferri potest constitutio veterum Principum, quae hac de re lata fuerit ex mero potestatis saecularis imperio. Secutas quidem hac in parte leges publicas videmus; sed non antecessisse juxta mentem Justiniani, qui Novella 83 ait, ipsas leges post canones et ad illos fovendos edi. Quod discrimen si accurate expendissent neoterici quidam, non adeo se absurdis opinionibus implicuissent, quibus auctoritatem Principum ultra limites a Deo praescriptos porrigunt" (2).

Sed magna adest disputatio circa *externam* disciplinam; etenim Febroniani, Janseniani ac Regalistae nihil non moliti sunt, ut res *externas* vel *temporalibus adnexas* ad Religionem spectantes civili imperio subjicerent. Et sane, patroni ac defensores hujus erroneae et iniquae praetensionis, praepostere interpretantes atque, plus quam aequum est, amplificantes nobilissi-

---

(1) *Histor. Eccles.* lib. I, cap. 8.
(2) Prolegomena ad libros *de Concordia Sacerdotii et Imperii,*

mum officium tuitionis Ecclesiae sacrorumque canonum catholicis Principibus demandatum, *quos scilicet*, prouti docet Tridentina Synodus, *Deus sanctae fidei Ecclesiaeque protectores esse voluit* (1), Reges ac Summos Imperantes ex tutoribus legislatores faciunt; et pro sua sententia constabilienda ad facta etiam confugiunt, afferentes Imperatorum exempla, qui jure tuitionis innixi de externa disciplina leges tulerunt, praesertim vero factum toties citatum Justiniani, qui in rescripto ad Dacianum Metropolitam Bizacii in Africa jus *disciplinae in melius augendae* sibi vindicavit.

84. Adversus novatores omnes, cujuscumque generis et nominis sint, qui Principibus tribuere conantur jus leges condendi circa res religiosas *externas*, sequentem adstruimus propositionem: *Institutio atque moderamen Disciplinae externae supremae Ecclesiae potestati exclusive competit.* Veritatem thesis enunciatae argumentis ex Sacra Scriptura, catholica traditione, doctrina Theologorum, confessione adversariorum atque ipsa ratione desumptis levissime ostendemus, cum de hac disquisitione in decursu nostri Operis saepius et superabunde loquuti simus.

Scriptura. Sacrae Litterae apertissime docent curam ac regimen christiani populi Petro et Apostolis, eorumque Successoribus traditum ab ipso Christo fuisse; atque Doctor gentium luculenter et peremptorie edixit: *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (2): nunc vero, Ecclesia non sola fidei morumque doctrina regitur, sed insuper legibus disciplinae; immo etiam REGERE proprie ac vere significat *ordinare, gubernare, moderari*, quae equidem ad externam gubernationem spectant.

Traditio. Ex quamplurimis sincerisque totius anti-

---

(1) Sess. XXV, cap. XX *de Ref.*
(2) *Act.* cap. XX. v. 28.

quitatis monumentis evidenter colligitur Apostolos, Concilia, Summos Pontifices et Episcopos Disciplinae canones perpetuo et exclusive condidisse, necnon eorum potestatem nunquam ab ullo catholico Scriptore in controversiam adductam esse; age jam, juxta auream Tertulliani sententiam, quam heic proferre jubat ad errores neotericorum evellendos, novissimum Regalistarum commentum veteri traditioni plane adversatur, ideoque tamquam *extraneum* et *falsum* habendum est: *Id scilicet esse dominicum et verum, quod sit prius traditum*; *id autem extraneum et falsum, quod sit posterius immissum* (1).

Doctrina Theologorum. Inter tot testimonia, quae in thesis confirmationem afferri possent, nobis placet luculentissima B. Cardinalis Thomasii verba adducere: "Opinio eorum, inquit hic praeclarus theologus, qui Principibus potestatem tribuunt ferendarum legum de *externa disciplina*, mihi videtur continere *haeresim oppositam revelationi divinae*, quam nobis Dominus manifestavit in libris novi Testamenti. Disciplina enim exterior et visibilis Ecclesiae sita est in regimine Ecclesiae visibilis; quod regimen non homo, sed Deus non Regibus, sed Episcopis dedit, ut Deus ipse revelavit per os Apostoli dicentis: Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos *regere* Ecclesiam Dei„ (2).

Confessio adversariorum. Valde consentaneum ducimus, cum de Disciplina externa Ecclesiae agitur, in memoriam regalistarum ac jansenianorum revocare praestantissimam confessionem scriptoris minime suspecti, videlicet, celeberrimi Beveregii inter Protestantes notissimi, qui ita apposite ait: "Si de fide loquamur christiana, et legibus ad ecclesiasticam spectantibus di-

---

(1) *De praescrip.* cap. XXI.
(2) Tom. VII, *Opusc.* 16.

sciplinam, ipsi etiam Imperatores christiani ingenue multoties professi sunt nihil sibi juris in istiusmodi sanciendis legibus tributum esse. Sic Constantinus Magnus, Valentinianus, Marcianus, Theodosius, alliique. Quin ipse etiam omnium peritissimus legum Imperator Justinianus in ea fuit sententia, leges nempe civiles non praecedere debere, sed sequi ecclesiasticas, idque sine dedignatione„ (1).

Rationum momenta. Postremo eadem *natura, subjectum* ac *finis* societatis religiosae a Christo conditae exclusivam Ecclesiae competentiam ad externam disciplinam constabiliendam atque moderandam ineluctabiliter evincunt.

Et re quidem vera, Ecclesia in primis *natura sua* est societas perfecta, inaequalis et independens; sed in omni societate juridice perfecta, uti saepenumero ostendimus, exstare debet auctoritas socialis jure proprio instructa leges condendi ad rectam gubernationem ordinatas; igitur Ecclesiae inest vera et nativa potestas ea omnia statuendi, quae ad ejus politiam ac publicum regimen spectant.

Praeterea, Ecclesia ratione *subjecti* est societas externa et visibilis; quamvis enim, ejus *origine* inspecta, divina sit, attamen quoad *membra*, quibus coalescit, humana quoque nuncupari valet; jam vero, quaelibet adsociatio externa, visibilis et humana necessario adhibere tenetur media externa et sensibilia ad finem communem assequendum; at usus et applicatio hujusmodi mediorum ad supremam potestatem legiferam in societate constitutam pertinet; ergo institutio atque ordinatio disciplinae externae, quae est equidem medium potissimum ad finem societatis christianae tutius et effi-

---

(1) Prolegomena *ad Synodicon* sive Pandectas canonum ab Ecclesia Graeca receptorum, num. 2.

cacius comparandum recte ducens, Ecclesiae exclusive competunt.

Demum, Ecclesia ex positiva sui Divini Fundatoris voluntate est societas spiritualis pro scopo peculiari habens *finem* supernaturalem, nimirum, fidelium sanctificationem et adeptionem vitae aeternae; nunc vero, pro ejusmodi fine cunctis adsociatis praestituto obtinendo, praeter media interna fidei, gratiae, doctrinae ac sacramentorum, et ultra leges fundamentales, quibus determinatur potestas socialis, requiruntur etiam media exteriora et regulae practicae ad fideles in finem proprium et supernaturalem perducendos, vinculum unitatis penes ipsos arctissime custodiendum, necnon actus religiosos rite ordinandos; sed haec omnia proponere, praescribere ac moderari societati christianae tantum incumbit, quoniam relationem vel connexionem cum fine ordinis altioris et supernaturalis habent, cujus cura eidem demandata est; Ecclesiae idcirco tribuendum est jus proprium et exclusivum praecipiendi, statuendi atque temperandi omnia, quae externam disciplinam respiciunt.

Quod vero attinet ad nonnulla facta ex Historia seu vetustis Codicibus sumpta, exempla Imperatorum aut Regum, utut catholici vel etiam piissimi supponantur et reapse fuerint, nihil pro causa Regalistarum probant, quippe ipse Justinianus, quem adeo neoterici extollunt, decrevit—*non exemplis, sed legibus judicandum* (1); et Summus Pontifex Innocentius III aperte docuit—*Non debemus attendere solummodo quid factum sit, sed potius quid sit faciendum* (2).

---

(1) Leg. XIII Cod. *de sent. et interloc.*
(2) Cap. XXVII *de elect.*

ARTICULUS II.

SUMMARIUM.

85. Jus Ecclesiae ad suam *Organizationem*.—86. Quid et quotuplex sit ecclesiastica organizatio.—87. Jus Ecclesiae ad organizationem *territorialem*.—88. Quid nomine Ecclesiae in substrata materia veniat.—89. Competentia exclusiva Ecclesiae statuendi ac moderandi organizationem *personalem* seu *hierarchicam*.—90. Potestas Ecclesiae organizationem *mixtam* stabiliendi atque impertiendi Religiosis.—91. Jus Summorum Pontificum concedendi exemptiones.

85. Praeter potestatem disciplinarem ad externam politiam regulandam, Ecclesia quoque gaudet libera et independenti facultate propiam *Organizationem* statuendi pro recto jurisdictionis exercitio, consentanea unitatis tutela et conservatione, atque plebis christianae spirituali bono; nemo equidem inficias ibit Ecclesiae competere istiusmodi facultatem constituentem (*organizadora)*, cum ipsa naturalis ratio cuique suadeat societatem a Christo conditam non solum instructam esse debere pleno jure atque absoluta independentia ad exsequenda omnia suo fini necessaria vel utilia, verum etiam propria et suprema auctoritate judicium authenticum ferendi hac de necessitate vel utilitate.

Jam vero supervacaneum omnino foret diutius immorari in ostendenda necessitate et utilitate organizationis tum territorialis, tum personalis, rectae Ecclesiae gubernationi animarumque saluti promovendae; etenim ejus visibile Caput Romanus Pontifex vi Primatus divinitus fundati non tantum constitutus est centrum unitatis atque communionis catholicae, sed ei insuper incumbit generalis et suprema cura, sollicitudo ac superintendentia in universum orbem christianum ad servandam sua auctoritate fidei et generalis disciplinae unitatem atque integritatem, ad canonum observantiam urgendam tuendamque, ad Praelatos a propiis officiis

deficientes in sui muneris adimpletionem reducendos, ad eorum negligentiam et in cura pastorali defectus supplendos, summatim, ad ea omnia exsequenda, quae deposcere valeat Ecclesiae universalis et populi christiani salus, utilitas vel necessitas.

Sed haec aliaque similia negotia in Ecclesia toto orbe diffusa Pontifices Maximi personaliter plerumque expedire nequeunt, quia quamplurimis distenti impedimentis tot necessitatibus occurrere minime possunt. Igitur ipsis integrum et exclusivum erit non modo in participationem pastoralis sollicitudinis Episcopos vocare, juxta mentem Divini Fundatoris, *dioeceses* ubivis gentium creando, verum etiam per cunctas mundi plagas tot jurisdictionis gradus *reales* vel *personales* instituere, quot necessarios ducant bono Ecclesiae regimini et tutiori fidelium sanctificationi.

86. Priusquam vero Ecclesiae vindicemus insitam et plenissimam competentiam sese constituendi, operis pretium erit notionem ecclesiasticae organizationis tradere, diversasque ejus species innuere.

Organizatio ecclesiastica merito definiri potest: *Recta et necessaria distributio territorii, jurisdictionis, vel utriusque ab Ecclesia facta, ut ejusdem ministerium atque regimen populo christiano utile et salutare evadat.*

Organizatio, ut ex allata definitione liquet, tribuitur in territorialem, hierarchicam seu personalem et mixtam, hoc est, simul territorialem et personalem, prouti fit in religiosis: *territorialis* appellatur divisio territorii, quò Ecclesia universalis propagata est, in parochias, districtus seu vicariatus foraneos, dioeceses, provincias, exarchatus vel primatus, atque patriarchatus; *personalis* nuncupatur determinatio vel delegatio ecclesiasticae potestatis in varios jurisdictionis gradus, sive *reales* (Sedi adnexos) vel *personales* (personis tantum vinculatos, tum *transeunter*, tum *stabiliter*), sive *supra-episcopales*, *quasi-episcopales* vel *infra-episcopales*;

determinationem vel *delegationem* denominavimus collationem jurisdictionis ad secernendum gradum Episcopalem divinae institutionis a caeteris gradibus, quae institutionis mere ecclesiasticae sunt; *mixta* vocatur *generatim* designatio territorii conjuncta cum delegatione jurisdictionis, *speciatim* vero, id est, in Religiosis considerata, organizatio mixta nominatur erectio domorum conventualium in provincias distinctas a dioeceseon divisione, una cum jurisdictione superioribus generalibus Ordinum Regularium a Romano Pontifice communicata.

Praemonere oportet organizationem territorialem secum ferre necessario organizationem personalem, quia singulis divisionibus territorialibus praeesse debet aliquis pastor seu Ecclesiae minister cum diverso potestatis gradu.

Animadvertendum etiam ducimus organizationem personalem, si primaeva ejus origo spectetur, in hoc ab organizatione territoriali differre, quod *personalis* generice inspecta a Deo immediate ortum habeat, ideoque juris divini-positivi sit; etenim ipse Christus Episcopos constituit, ut secundum jurisdictionis gradum repraesentarent, licet sub auctoritate et dependentia Summi Pontificis, Supremi Pastoris; *territorialis* autem organizatio positive et in concreto juris humani sit, utpote ab Ecclesia tractu temporis perfecta, quamquam generice et in abstracto juris divinis-naturalis dici posset, quatenus ab ipsa rerum natura postuletur, siquidem, attenta humanae naturae indole, impossibile prorsus est magnam societatem immenso territorio diffusam recte gubernari posse, nisi fiat congrua et ordinata ejusdem territorii divisio.

87. Quoad organizationem *territorialem,* Ecclesia jure pleno et absoluto pollet: [a]) libere ac independenter instituendi paroecias, dioeceses et provincias; [b]) fines earumdem semel constitutos propria auctoritate mutan-

di; c) ipsas absque placito regio vel civilis potestatis venia conjungendi, dividendi, immo etiam supprimendi, quoties totum territorium et populus, extincto ejus titulo, alteri incorporetur.

Enimvero, in dubium revocari nequit, quin Ecclesia, eaque una jure praedita sit faciendi aut statuendi circumscriptiones territoriales, tum majores seu Dioecesium, tum minores seu Parochiarum; hoc enim manifestum est ex natura ipsius rei, quae tota spiritualis est, ideoque potestati solius Ecclesiae obnoxia; agitur namque de spirituali regimine animarum, de portione gregis singulis Episcopis vel Parochis assignanda, de finibus spirituali eorumdem potestati constituendis, ut inter Ecclesiarum Rectores tum ordo, tum unitas servetur; idque facili negotio confirmari valet ex facto Apostolorum, ex decretis Conciliorum, ex Apostolicis Constitutionibus, ac denique ex perpetua et generali totius Ecclesiae disciplina.

Sed quemadmodum Episcopatus per Dioecesis circumscriptionem vel paroecias per minoris Territorii designationem erigere potest Ecclesia, sic etiam eidem liberum et integrum erit hujusmodi territoriales circumscriptiones semel factas conjungere, dividere et supprimere; quamvis suppressio ordinario non fiat, nisi ob gravissimas causas, de quibus ad ipsam Ecclesiam dijudicare pertinet. Et sane, notissima est regula I Juris Canonici: *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur;* huc quoque spectat sequens Juris Civilis regula: *Nihil tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvi quo colligatum est* (1). Hinc improbari debet veluti aperta usurpatio praetensio civilis auctoritatis suam veniam exigentis pro nova Dioecesi aut Parochia fundanda, restringenda vel amplianda.

88. Quoniam autem potestate eorum omnium agen-

(1) Reg. XXXV ff. *de divers. reg. juris.*

dorum Ecclesiam tantum instructam esse affirmavimus, reliquum est investigare ac definire, quinam *Ecclesiae* nomine intelligendi sint, num Pontifices, num Patriarchae, num Metropolitae, num Concilia, num denique singuli Episcopi. Ejusmodi quaestio sub duplici aspectu spectari potest, nempe, *practice* atque *juridice*; quid sub utroque respectu hac de re judicandum sit, brevissime exponemus, attenta tum majori, tum minori territorii circumscriptione.

Ad *factum* itaque quod attinet et relate ad Dioeceseon circumscriptionem, monere oportet Ecclesiae disciplinam in materia de qua agitur, triplicem mutationem subiisse; alia enim fuit ab incunabilis Ecclesiae ad saeculum VI, alia ab hoc saeculo ad saeculum VIII, alia demum a saeculo VIII ad nostram usque aetatem.

1.ª Epocha (a I ad VI saec.). Ab exordio Ecclesiae usque ad saeculum VI, juxta Natalis Alexandri testimonium (1), "novi erigebantur Episcopatus a Synodis Provincialibus, consentiente Metropolitano, postulante Episcopo vel annuente, ad cujus Dioecesim pertinebat Ecclesia, in qua Sedes Episcopalis collocabatur. Id ex canone XV Concilii Africani compertum est; et ex facto S. Augustini, qui Fussalensi Castello millibus quadraginta ab Hippone sejuncto Episcopum ordinari, curavit a Primate Numidiae, Romano Pontifice inconsulto, ut constat ex ipsius Augustini Epistola 261." At vero in Ecclesia Orientali, tota cura atque sollicitudo pro Episcopatibus erigendis Patriarchis Antiocheno et Alexandrino concredita fuit, a quibus, postquam Provinciae Ecclesiasticae illic constitutae fuerunt, ad Metropolitas et Concilia Provincialia dimanavit. In Ecclesia autem Occidentali, uti solidissimis argumentis probat Thomassinus (2), non solum Metropolitae et Concilia Provincia-

(1) *Histor. Eccles.* saec. V, cap. VI, art. 2.

(2) *Vetus et Nova Ecclesiae Disciplina*, part. I, lib. I, cap. 14; et part. II, lib. I, cap. 11.

lia Episcopatus instituerunt, verum etiam "bene multae Episcopales Sedes jam inde ab incunabilis Ecclesiae ab Antistitibus Romanis constitutae sunt„; praesertim vero in Provinciis ad professionem christianam conversis, prout aperte colligitur ex celebri Innocentii I Epistola ad Episcopum Eugubinum, ubi ait: "manifestum esse in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam, et insulas interjacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, vel ejus Successores constituerunt Sacerdotes.„

2.ª Epocha (a VI ad VIII saec.). Hisce tribus saeculis non amplius Metropolitis et Conciliis Pronvincialibus integrum fuit, ut antehac, Episcopatus erigere, nisi simul intercederet Romani Pontificis auctoritas, praesertim vero; [a]) si novi erigendi erant Episcopatus iis in locis, ubi noviter fidei lumen illuxerat; [b]) cum Ecclesiae aggregandae essent novae Provinciae, quò non se protendebat caeterorum Episcoporum auctoritas; [c]) quoties necesse erat dirimere lites jurisdictionis inter Praesules novis Dioecesibus praefectos et finitimos Episcopos obortas; [d]) quando denique in novis constituendis Ecclesiis necessaria foret aliqua Canonum dispensatio, quae a prima Sede tantum impertiri potest. His tamen saeculis, atque etiam in omne posterum tempus, praecipua quoque Summorum Principum ratio in erectionem Episcopatuum habita est propter Ecclesiae utilitatem et expeditiorem regiminis spiritualis exercitium.

3.ª Epocha (a saec. VIII ad nostra usque tempora). Elapso saeculo VIII, non quidem illico, nullaque interposita mora, sed sensim ac pedetentim Ecclesiae disciplina hac in re usque eo mutari coepit, ut tandem ad solum Pontificem rediret potestas Episcopatus erigendi; nam, uti ait atque praeclare exponit Thomassinus: "Longa temporis serie rerumque vicissitudine factum est, ut constituendi Episcopatus novos

potestas pene solum Romanum Pontificem esset„ (1).

Quod autem ad *jus* spectat, quaeri potest quo jure Romani Pontifices, Metropolitis Conciliisque provincialibus amotis, erectiones, divisiones, suppressiones Episcopatuum, aliaque id genus sibi solis tribuerint: dicendum autem est id jure optimo fecisse; etenim communis Doctorum sententia tamquam rem certam atque exploratam tenet eam potestatem ad Summos Pontifices pertinere jure Primatus, vi cujus ordinaria evadit in Petro, ejusque Successoribus Romanis Pontificibus (2); unde recte et sapienter inquit S. Bernardus: *Plenitudo potestatis super universas orbis Ecclesias singulari praerogativa' Apostolicae Sedi donata est... Potest, si utile judicaverit, novos ordinare Episcopatus, ubi hactenus non fuerunt. Potest eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimari, prout ratio sibi dictaverit, ita ut de Episcopis creare Archiepiscopos liceat, et e converso, si necesse visum fuerit* (3).

Sin vero sermo sit de divisione territorii in Ecclesias minores, quae Parochiae nuncupantur, proculdubio per *Ecclesiam* intelligendi sunt Episcopi, quibus de *jure* et *facto* adjudicanda est ejusmodi secundaria organizatio; nam uti in Jure Communi statuitur: "Sicut unire Episcopatus, atque potestati subjicere alienae ad Summum Pontificem pertinere dignoscitur, ita Episcopi est Ecclesiarum suae Dioecesis unio et subjectio earumdem„ (4); quod quidem ex potestate utriusque evidenter colligitur: quemadmodum enim Romanus Pontifex Episcopatus ubique erigere, unire, dividire vel supprimere potest, quia ratione Primatus in universam Ecclesiam jurisdictionem obtinet, ita etiam Episcopus solas suae

---

(1) *Op. cit.* lib. I, part. I, cap. 56, n. 14.
(2) De hoc argumento doctissime agit Petrus Ballerini—*De Potest. Eccl.* cap. II, n. 5.
(3) Epist. CXXXI.
(4) Cap. SICUT *de exces. Praelat.*

Dioeceseos Ecclesias erigere, conjungere aut dividere valet, propterea quod ejus potestas finibus Dioecesis continetur.

89. Ecclesiae insuper exclusive competit organizatio *personalis* seu *hierarchica* tum quoad gradum *episcopalem* divinae institutionis, tum quoad caeteros gradus *reales* vel *personales* ecclesiasticae institutionis, sive supra-episcopales, sive quasi-episcopales, sive demum infra-episcopalis sint.

At primo quidem organizatio gradus *episcopalis* exclusiva competentia Ecclesiae incumbit; quamvis enim Episcopatus juris divini sit, tamen usus seu exercitium atque intensitas seu quantitas potestatis episcopalis a jure ecclesiastico pendet, utpote Summo Pontifici subordinata et limitibus circumsepta.

a) Exploratum namque est per territorii circumscriptionem seu Dioecesis designationem jurisdictionem Episcoporum determinari, ita ut Episcopus ad Episcopalem Cathedram legitime evectus, mox Episcopalem jurisdictionem in fideles omnes, qui intra fines Dioeceseos sunt, exercere possit, sed ultra eos fines ei progredi nunquam licet; quia, juxta canonem IX Concilii Antiocheni, "Episcopus nihil agere debet, nisi ea tantum quae ad suam Dioecesim pertinent secundum antiquam a Patribus nostris regulam constitutam„: jam vero, antiqui Patres hujusmodi regulam ab ipsis Apostolis receperunt, quandoquidem Apostoli in fundandis Ecclesiis potestatem Episcoporum coercerunt certis locorum limitibus. Et sane, ex authenticis documentis scimus S. Paulum Thimoteum Ephesi Episcopum fecisse, Titum insulae Cretae atque Dionysium. Areopagitam Corinthi constituisse Episcopos; S. Joannem Polycarpum Smyrnae dedisse Episcopum; unde optime asserere potuit Divus Cyprianus Carthaginensis: *Singulis Pastoribus portio gregis fuit adscripta, quam regat unusquisque et gubernet* (1).

(1) Lib. *de unit. Eccles.*

b) **Caeteroquin extra omnem dubitationem positum est Episcopos, facta legitima** assignatione plebis, quamquam veri et proprii Pastores sint, non tamen plenitudinem potestatis exercere posse, sed pro temporum et locorum adjunctis Romano Pontifici integrum esse ipsorum auctoritatem ampliare vel restringere; licet enim Episcopatus, ut docet S. Cyprianus, unus sit, quemadmodum Ecclesia una est, ac proinde pars Episcopatus ab unoquoque Episcopo *in solidum* teneatur (quatenus unusquisque Episcopus regit suam peculiarem Ecclesiam, quae totius Ecclesiae pars est), sicut sunt, juxta phrasim laudati Patris, multi arboris rami, sed una arbor; nihilominus profiteri necesse est tamquam veritatem dogmaticam omnino tenendam Episcoporum potestatem in ejus usu Summi Pontificis auctoritati et Sacrorum Canonum decretis esse obnoxiam; secus enim, si peculiares Episcopi in suis Dioecesibus omnia possent, neque ulli superiori potestati subjacerent, tot haberentur distinctae et independentes Ecclesiae, quot Episcopatus, quemadmodum plures rami arboris a radice et reliquo corpore disjuncti jam unam arborem non efficerent, quod equidem Ecclesiae unitati et divinae institutioni Episcopatus plane adversatur.

Supervacaneum nobis videtur heic Ecclesiae vindicare jus indubitatum et proprium constituendi ac determinandi reliquos jurisdictionis gradus reales vel personales, singulares vel collegiales, superiores, aequales vel inferiores Episcopatu, cum omnes juris humani sint, utpote ecclesiastica auctoritate instituti.

Hinc ad Ecclesiam spectat: [a]) organizatio *singularis* graduum *supra-episcopalium,* qui *reales* dicuntur, nempe, metropolitarum, exarcharum vel primatum et patriarcharum, cum hi omnes jure delegato procedant et plus minusve jurisdictionis eis concedatur pro temporum et locorum opportunitate, ideoque quidquid habent, a Sede Apostolica accipiunt, utpote supremae

auctoritatis emanationes; [b]) organizatio *collegialis* eorumdem graduum *supra-episcopalium*, etenim singulis gradibus potestatis supra-episcopalis respondent collegia Pastorum, quae in Conciliis adunata leges ferunt; hinc concilia *provincialia* sub metropolita, *nationalia* sub primate vel patriarcha; quae pariter collegia cum sint ecclesiasticae originis, modo ampliorem, modo minorem habuerunt vel habent auctoritatem, juxta mensuram Pontificiae concessionis; [c]) organizatio graduum *supra-episcopalium*, qui *personales* vocantur, utpote jurisdictione pontificia delegata insigniti, cum nequeat ipse Romanus Pontifex personaliter invigilare ubique, Ecclesiasque omnes visitare; hujusmodi habendae sunt variae Legatorum species, sive hi *extraordinarii* sint, nimirum, ad peculiare negotium expediendum missi, quorum proinde officium absoluto negotio exspirat, velut Legati a Summis Pontificibus nominati ad cogenda generalia Concilia, eisque praesidendum, sive *ordinarii* fuerint, nempe, non tantum alicui peculiari negotio addicti, sed ad quascumque causas ecclesiasticas missi, quorum idcirco officium diuturnum atque perpetuum censetur; hujus generis fuerunt antiquis temporibus Responsales seu *Apocrisarii*, qui assidue apud Principes Legati erant, ut omnia quae emergerent negotia expedirent, et responsa seu mandata exsequerentur eorum a quibus missi fuerant; a V ad IX usque saeculum *Vicarii Apostolici*, qui nomine Pontificis auctoritatem supra-episcopalem sibi personaliter commissam in determinatis provinciis exercebant (a IX ad XV saeculum invaluerunt *Legati nati* seu Primates, qui ex Vicariis Apostolicis originem duxerunt, nam quidam Episcopi quibusdam illustribus civitatibus praefecti et hoc munere decorati, Ecclesiarum suarum praetextu ita legationis honorem sibi vindicarunt, ut tandem generali concessione aut quadam consuetudine jus Apostolici Vicariatus Sedibus ejusmodi illustrium civi-

tatum adnecteretur, earumque Episcopi non amplius *personalem*, sed *realem* dignitatem obtinerent); a saeculo XV ad nostram usque aetatem in eorum locum suffecti sunt *Legati missi*, hoc est, *Cardinales a latere Pontificis missi*, atque *Nuntii Apostolici*, qui apud aulas regias aut exteras nationes legatorum munere funguntur, quamvis a Legatis a latere in multis dignitate et auctoritate differunt, uti Expositores Juris Canonici ostendunt; d) organizatio graduum *quasi-episcopalium*, qui pariter sunt emanationes Summi Pontificatus, utpote immediata Romani Pontificis auctoritate constituti, sive per modum exceptionis puta Praelati *nullius* aut *vere nullius* nomine Papae jurisdictionem exercentes, sive ex dispositione transeunte uti hodierni Vicarii Apostolici, qui potestate a Pontifice delegata procedunt in locis Missionum, cum eidem tantum competat apostolatus seu jus Evangelium infidelibus praedicandi; e) organizatio graduum *infra-episcopalium*, qui possunt esse et regulariter sunt derivationes potestatis episcopalis; etenim potestas jurisdictionis delegari valet tum transeunter, tum stabiliter, atque in qualibet numerosa societate locum habet delegatio, ut in ejusdem regimine et administratione rectus ordo servetur.

90. Ex potestate Ecclesiae organizandi territorium suae jurisdictioni subjectum plane consequitur ipsi tribuendum esse jus insitum et liberum specialem organizationem impertiendi quibuslibet religiosis adsociationibus, praesertim vero Ordinibus Regularibus.

Et re quidem vera, ad Religiosos quod attinet, nemo profecto inficiabitur organizationem Regularium, quae *mixta* nuncupatur, id est, territorialis et personalis, Ecclesiae plene et absolute competere, quippe Summus Pontifex potest illos et *territorialiter* in provincias distribuere prorsus distinctas et sejunctas a circumscriptione dioeceseon, et insuper *personaliter* eximere a jurisdictione Episcoporum, ita ut Superiores ipsorum

Generales immediate pendeant a suprema sua auctoritate.

Jus Pontificium eximendi viros religiosos ab Ordinariorum jurisdictione vix demonstratione indiget, quandoquidem indeclinabilis sequela et legitimum consectarium est potestatis plenae, supremae atque immediatae, qua in omnes Christi fideles pollent Successores Petri vi Primatus divinitus instituti; quamvis enim gradus episcopalis ex Dei dispositione constitutus sit, ut Pastores secundi ordinis dependenter a Supremo Pastore immediata etiam auctoritate fruerentur in partem gregis sibi commissam, quia penitus impossibile erat ob Ecclesiae universalitatem unicum Pontificem seu Episcopum immediate regere cunctum populum christianum, attamen auctoritas Episcoporum nullo pacto praepedire, moderari aut restringere potest jus supremum et ordinarium Romanorum Pontificum, cujus exercitium pro diversis temporum, rerum et necessitatum adjunctis a sua voluntate et judicio omnino pendet. Hinc Pontificibus Maximis semper inest propria et exclusiva facultas exemptiones, qua opportunas judicaverint, concedendi non solum Ordinibus Regularibus, verum etiam Capitulis aut aliis Ecclesiis vel personis.

91. Sed cum organizatio *mixta* religiosorum in potestate Romanorum Pontificum immunitates ac privilegia elargiendi tota fulciatur, pro hac asserenda et vindicanda nonnihil,, etsi leviter, dicendum est de jure concedendi exemptiones: et quidem sive *ratio* consulatur, sive *traditio* christianae antiquitatis scrutetur, sive demum Conciliorum *decreta* spectentur, meridiana luce patet Romano Pontifici esse adscribendum jus exemptionum concedendarum, ex hodierna disciplina ipsi tantum reservatum.

Ratio. In dubium vocari nequit, quin ordo Episcopalis divinitus sit institutus, sive, ut ait Apostolus in loco centies laudato, *Episcopi positi sint a Spiritu Sancto*

regere Ecclesiam Dei; tamen portio gregis, quem quisque regat, a Christo determinata non fuit, sed prudenti Ecclesiae arbitrio relicta; proinde nulla fit injuria divinis Episcoporum juribus, dum Ecclesia, Monasterium, vel persona aliqua ratione muneris aut dignitatis, aliave justa de causa a jurisdictione alicujus Episcopi eximitur; sicut enim in potestate Romani Pontificis positum est portionem gregis, puta oppidum ejusque incolas, uni Dioecesi subtrahere et alteri subjicere, ita etiam suae jurisdictioni reservare poterit Ecclesias vel Monasteria in aliqua Dioecesi sita. Quapropter ipse Natalis Alexander, licet contendat Episcopos immediate a Deo jurisdictionem accipere, nihilominus explicite fatetur: "Dioecesium divisio subditorumque designatio a Romano Pontifice pendet, qui et justis de causis immunitates ac privilegia ecclesiis, vel monasteriis concedere potest, quibus ab ordinaria jurisdictione solvantur et eximantur" (1).

Traditio. Exemptiones insuper moribus antiquitatis et Ecclesiae traditione proculdubio innituntur: et sane, a) compertum plane habetur Patriarchas Orientales jam inde a priscis Ecclesiae saeculis nova monasteria in Episcoporum Dioecesibus aedificata jure *Stauropegii* (2) declarasse sibi in posterum subjecta; b) ex Ecclesiastica Historia (3) constat saeculo VII exstitisse in Pa-

---

(1) Dissert. 12 in saec. XVI *de Syn. Trid.* art. 16, num. 14.

(2) Vox graeca *Stauropegium* interpretatur juxta ejus etymon *Crucis confixio* seu *erectio,* atque in ecclesiastica disciplina varias obtinet acceptiones: a) significare potest caerimoniam erectionis Crucis in loco ab Episcopo consecrando, ut in Caerimoniali Episcoporum habetur; b) usurpatur etiam pro Dioecesi, quia talis caeremonia exerceri nequit ab Episcopo, nisi intra limites suae jurisdictionis; c) sumitur quoque pro extensione jurisdictionis in aliquem locum vel ecclesiam mediante Crucis affixione: hinc Patriarchae Orientis, praecipue autem Constantinopolitanus, uti refert Georgius Pachimera (in sua *Graeca Historia* lib. IV, cap. XI), quando aliquod Monasterium, sive aliam Ecclesiasticam possessionem ab Ordinario loci eximere intendebant, ibidem Crucem erigebant.

(3) Conf. Thomassinum—*Nova et Vetus Eccl. Disciplina*, part. I, lib. III, cap. 31, num. 15.

triarchatu Constantinopolitano bene multa coenobia ab Episcoporum Dioecesanorum spirituali jurisdictione prorsus absoluta, et uni immediate subjecta Patriarchae Constantinopolitano et Exarchae Patriarchali, quem ille ad omnium monasteriorum administrationem delegabat; c) Labbaeus in sua magna Conciliorum Collectione Synodum Carthaginensem sub Bonifacio Episcopo anno 525 habitam memorat, in qua monasterio Abbatis Petris concessa fuit exemptio a jurisdictione Liberati Episcopi, cui, cum dissentiret, per Bonifacium exhibita fuere quamplurima monumenta antiquitatis et decreta Conciliorum exemptiones statuentia: age jam, si Patriarchae et Synodi provinciales privilegia immunitatesque impertiri potuerunt, optimo et potissimo jure id licebit Romano Pontifici, in quo plenitudo potestatis residet.

Decreta Conciliorum. Postremo, omnes aperte norunt quinque Oeccumenica Concilia, videlicet, Viennense, Constantiense, Lateranense IV, Lateranense V, et Tridentinum de exemptionibus pertractasse, ita tamen ut neque jus Summi Pontificis in dubitationem aut controversiam adductum sit, neque exemptiones sublatae fuerint, quamquam sapientissimae regulae conditae fuere, praesertim vero in Tridentina Synodo, ad abusus corrigendos, simulque Ordinariorum auctoritatem roborandam atque tuendam; etenim Concilia et Pontifices assiduam et indefessam curam impenderunt rite perpendendis legitimis ejusmodi exemptionum causis, earumque usui moderando, "ne privilegia et exemptiones, prouti loquuntur Tridentini Patres (1), quae variis titulis plerisque conceduntur, perturbationem in Episcoporum jurisdictione excitarent, et exemptis occasionem laxioris vitae praeberent".

---

(1) Sess. XXIV, cap. XI *de Reform.*

ARTICULUS III.

SUMMARIUM.

92. Jus Ecclesiae *acquirendi* et *possidendi* bona temporalia.—93. Argumentum *juridicum*.—94. Probatio *historica*.—95. An Princeps vel potestas saecularis *limites* ponere queat acquisitionibus Ecclesiae —96. *Desamortizatio*. -97. Desamortizatio *activa*.—98. Desamortizatio *passiva*.

92. Potestas Ecclesiae plena et independens bona cum mobilia tum immobilia acquirendi ac possidendi res plane comperta et prorsus indubia est, utpote *jure* et *facto* invictissime comprobata.

Et quidem jus liberum atque integrum Ecclesiae competens ad acquirendas, retinendas et usufruendas quascumque res temporales, sive stabiles, sive frugiferas manifestum fit duplici argumentorum genere, nempe, probationibus ex fonte tum *juridico*, tum *historico* derivatis.

93. Et ad *jus* quod attinet, Ecclesia bona temporalia et praesertim praedia resque immobiles acquirere et possidere potest triplici jure *fulcita*, nimirum jure naturali, jure divino-positivo, atque jure civili.

1.° *Jure naturali*; a) etenim Ecclesia ex sui *specificatione*, sicut caeterae adsociationes imperfectae eidem homogeneae, est societas hominum, cui sunt onera ferenda et sumptus faciendi; sed humana societas jus habet ad bona et redditus temporales, sine quibus onera sustineri et sumptus fieri nequeunt; ergo Ecclesia jure pollet bona temporalia legitimis mediis acquirendi. b) Ecclesia insuper ex sua *interna constitutione* facultate gaudet possidendi non modo bona temporalia, quae immediate deserviunt exercitio cultus et vitae spirituali alendae, verum etiam redditus necessarios, qui mediate in finem suum obtinendum conferunt; quia societas bene ordinata jus habet possidendi media idonea et tuta

ad sui finis consecutionem; age jam, exploratum apud omnes est bona immobilia non solum idonea sed magis tuta et naturalia esse ad redditus stabiles et utiliores producendos; igitur Ecclesiae inest jus bona stabilia habendi atque retinendi. c) Ecclesia denique, cum ex *statu ejus juridico* sit societas a civili independens, valide et licite acquirere potest facultate sibi insita, ideoque adhibitis tantum mediis et conditionibus a jure naturae praescriptis, quin leges civiles servare teneatur, nisi eas ratas habeat; eapropter in Jure Canonico valida existimantur legata et testamenta pro causis piis, etsi praetermissae sint solemnitates civiles, dummodo impleta fuerint substantialia de jure naturae (1); nihilominus, cum de actibus inter viros agitur, leges civiles de translatione domini ratas habere solet, quia vita fruentes suos actus corrigere et priorem voluntatem retractare queunt.

2.° Deinde potestas, quae Ecclesiae competit, bona mobilia vel immobilia acquirendi et custodiendi *jure divino-positivo,* hoc est, Dei institutione innititur: enimvero, Christus Dominus in Dei cultum et animarum salutem Ecclesiam instituit, et quoniam perpetuam esse voluit, minime dubitare licet, quin eam quoque voluerit iis omnibus potiri, quae necessaria forent ad finem suum assequendum: jam vero, ad Dei cultum et salutem animarum exstruenda sunt templa et altaria, comparanda ornamenta et vasa sacra, aliave ad divinum cultum spectantia, alendi sunt Episcopi, Presbyteri ac Ministri qui Ecclesiae serviant, et toto animo atque opera aeternae hominum saluti curandae incumbant, Clerici in litteris et bonis moribus instituendi, pauperes et infirmi attendendi, aliaque multa ejus generis procuranda; quae quidem omnia sine aedibus, sine censu, sine

---

(1) Cap. Relatum *de testamentis.*

copia rerum, uno verbo, sine magnis sumptibus fieri non possunt: igitur Ecclesia ex sua institutione et divini Fundatoris voluntate jus habet sibi comparandi, acquirendi ac possidendi sive pecunias, sive bona stabilia et frugifera, quibus communia onera perferat, quemadmodum civili societati jus est exigendi praestationes et tributa, vel etiam bona mobilia et immobilia possidendi, ut publicae necessitati atque utilitati prospicere valeat.

3.° Demum, facultas Ecclesiae ad praedia et quascumque alias res temporales comparandas retinendasque *jure* etiam *civili* plane confirmatur: ex quo enim Imperatores Romani religionem christianam amplexati sunt, reverentia ac pietate erga Sanctam Ecclesiam ducti quamplurimas leges edidere, quibus haec copiosis largitionibus munificentissime locupletabatur, atque simul ejus sacratissima jura palam agnoscebantur. Et sane, primus omnium Constantinus Magnus legem tulit potestatem omnibus tradens Ecclesiis testamento relinquendi quidquid ex suis bonis vellet: "Habeat unusquisque licentiam sanctissimo, catholico, venerabilique Concilio decedens bonorum quod optaverit relinquere. Non sint cassa judicia ejus; nihil est, quod magis hominibus debeatur, quam ut supremae voluntatis, postquam aliud jam velle non possunt, liber sit stylus, et licitum, quod iterum non redit, arbitrium„ (1). Item alii Imperatores liberum cuique permiserunt arbitrium, vel testamentaria successione, vel actibus inter vivos quaecumque bona in Ecclesiam transferendi (2). Insuper templa Gentilium, eorumque redditus, necnon conventicula haereticorum, et praedia ad eadem spectantia ex Imperatorum liberalitate Catholicae Ecclesiae ad-

(1) Leg. *Habeat unusquisque* C. de *SS. Ecclesiis.*
(2) Leg. 19 Cod. de *SS. Ecclesiis.*

dicta fuerunt (1). Postremo, ne longiores simus, cum de re apud juristas plane comperta agatur, bona Clericorum vel Monachorum, qui, nullis legitimis haeredibus relictis, intestati decessissent, adscribebantur vel devolvebantur Ecclesiae vel Monasterio, cui addicti erant (2).

Supervacaneum nobis videtur testimonia ex recentioribus Codicibus deprompta proferre, quippe res omnino explorata habetur legislationem cunctarum gentium post christianismum conditam quavis aetate, quolibet loco et quacumque natione jus legitimum acquirendi Ecclesiae agnovisse, vindicasse et consecrasse, etiam his novissimis temporibus, in quibus adversus *manus mortuas* tantum declamatum est, atque tot nequissimae *desamortizationis (incautación!)* leges latae fuere, teste locuplete nostra Hispania, ubi, postquam Ecclesia suis bonis atque divitiis justissimo titulo acquisitis prorsus expoliata fuit, tandem, cum nihil aut fere nihil haberet quo privari possit, Gubernium in Concordato 1851 (3) et in Conventione 1860 (4) publice agnovit et solemniter declaravit plenam et independentem Ecclesiae facultatem acquirendi, retinendi et usufruendi.

94. Sed jam ad secundam probationem deveniamus, videlicet, ad *factum* luculentum atque ineluctabile longo saeculorum tractu comprobatum, quod quidem

---

(1) Leg. 20 Cod. Theod. *de Paganorum Sacrif.* et *Temp.*; et Leg. 52 Cod. *de Haereticis.*

(2) Leg. 20 Cod. *de Episcopis.*

(3) Art. XLI: «Ecclesia insuper jus habebit novas legitimo quolibet titulo acquirendi possessiones, ejusque proprietas in omnibus quae nunc possidet, vel in posterum acquiret, inviolabilis solemniter erit. Proinde quoad antiquas novasque ecclesiasticas fundationes nulla vel suppressio vel unio fieri poterit absque interventu auctoritatis Apostolicae Sedis, salvis facultatibus a Sacro Tridentino Concilio Episcopis tributis».

(4) Art. III: «Agnoscitur iterum atque formaliter liberum et plenum jus Ecclesiae ad acquirendum, retinendum, usufruendum pleno proprietatis titulo sine limitatione, restriccioneve ulla».

argumentum verae praescriptionis nobis suppeditat pro Ecclesiae denuo vindicanda potestate acquirendi et possidendi: enimvero, certissime constat Ecclesiam Catholicam a suis incunabulis ad nostra usque tempora jus bona temporalia etiam immobilia comparandi ac retinendi indesinenter exercuisse, tum ante pacem constantinianam, tum post libertatem per Edictum Mediolanense adeptam.

1.° Antequam vero Constantinus Magnus pacem Ecclesiae concederet, ipsa bona temporalia sive stabilia sive frugifera acquisivit et possessit tam aetate apostolica, quam epocha persecutionum: *aetate apostolica;* nam, si primordia Ecclesiae spectentur, dubitari nequit, quin haec illis pristinis et apostolicis temporibus bona habuerit, uti aperte colligitur ex Actibus Apostolorum: *Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quae vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum* (1): *epocha persecutionum;* quamvis enim, saeviente persecutione, Ecclesiae bona fuerunt plerumque res mobiles ex fidelium spontaneis largitionibus comparatae, Ecclesia tamen per illud temporis spatium bonis stabilibus non penitus caruit, uti manifeste eruitur: [a]) ex sententia ab Imperatore Alexandro Severo lata, qui, teste Lampridio (2), "cum christiani quemdam locum, qui publicus fuerat, occupassent, contra popinarii dicerent sibi eum deberi, rescripsit melius esse ut quomodocumque ibi Deus colatur, quam popinariis dedatur"; [b]) ex decisione Imperatoris Aureliani, qui, "cum Paulus Samosatenus, juxta Thomassini testimonium (3), morem gerere detrectaret decreto Concilii Antiochiae adversus eum congregati, nec *domo Ecclesiae* excedere vellet, jussit illi eam ad-

(1) Cap. IV, vv. 34 et 35.
(2) *Hist. August.* pag. 151, edit. Paris.
(3) *Nov.* et *Vet. Eccl. Discipl.* part. III, lib. I, cap. 3.

dici, ad quem *Episcopi Italiae* et *Romanus Praesul* rescripsissent"; c) ex Edicto Constantini et Licinii anno 313 promulgato, ubi inter alia sic decernitur: *Omnia ergo, quae ad Ecclesias visa fuerint pertinere, sive domus possessio sit, sive agri, sive horti, seu quaecumque alia, nullo jure, quod ad dominium attinet, imminuto, sed omnibus integris manentibus, restitui jubemus* (1).

2.° Postquam autem pace constantiniana res Christianorum florere coeperunt, apud omnes notum est ex ipsis Imperatorum largitionibus et legibus superius relatis Ecclesiam fundos magna copia comparasse sive per testamentum, sive *ab intestato*, sive per donationes *inter vivos* (2): dein vero praeter legalem sanctionem et imperialem liberalitatem aliis legitimis titulis paullatim crevit Ecclesiae patrimonium, magnis praediis et copiosis bonis eidem accessis, tum per haereditates et donationes Clericorum et Monachorum, quia ipsorum plerique, dum se altari vel monasterio dedicarent, bona sua aut eorum partem in Ecclesias vel Monasteria transferebant, et aliunde omnia quae Monachi haereditarie acquirebant, Monasterio acquirebant; tum per *precarias* (3), census vel feuda; tum per eleemosynas *ad redimendas poenitentias;* tum per pias Summorum Principum et christianae gentis largitiones: sed praecipue Ecclesiae acquisitiones uberiores factae sunt atque maximum incrementum receperunt ex utentium parsi-

---

(1) Apud Eusebium, lib. II *de Vita Constantini*, cap. 39.

(2) Animadvertendum est Ecclesiam donationes benefactorum nunquam acceptasse cum detrimento filiorum vel haeredum qui *necessarii* dicuntur; hinc, quoties de filiis aut propinquis valde proximis ageretur, semper usurpavit notissimum S. Augustini effatum: *Qui haeredem sibi vult, suis spretis, alium episcopum quaerat, non Augustinum* (Selvagius—*Inst. Canon.* lib. II, tit. XVI, num. 5.°).

(3) *Precariae* vocabantur quaedam donationes praediorum Ecclesiae per fideles factae, servato tamen sibi vel filiis aut propinquis eorumdem usufructu cum duplici seu triplici redditu juxta pactionem initam.

monia, provida administratione, ac potissimum ex laboriosa soli cultura (1).

95. Acquisitio praediorum ex parte Ecclesiae magno dissidio inter sacerdotium et imperium occasionem dedit, atque gravissimae juristarum controversiae, qui tandem in duplicem sententiam abierunt, duas celeberrimas ac prorsus distinctas scholas constituentes, quarum placita in trutinam revocare oportet.

Schola *regalistica* contendit Principem, sicut valet jure propriae conservationis et existentiae privatorum acquisitioni limitem ponere, utpote defensor juridicus societatis civilis facultate praeditus omnia removendi, quae illam laedere queant, ita etiam conditiones ac limites Ecclesiae acquisitionibus assignare posse; secus enim, ajunt, sequeretur cuncta bona stabilia paullatim fieri Ecclesiae, ac proinde Principibus saecularibus deficere territorium in quo jura sua explicarent, aut a quo societas civilis tributa hauriret ad onera publica ferenda.

Schola autem *catholica,* quam neoterici *ultramontanam* denominare solent, hoc Regalistarum deliramentum penitus respuit, totisque viribus pro aris et focis tuetur nullo pacto Principi vel civili Statui competere praetensum jus limitationibus circumscribendi acquisitiones Ecclesiae: ejusmodi potestatem catholici a Statu abjudicant: [a]) quia laederetur ecclesiastica immunitas; nam, semel admissa facultate Principum ad suo lubitu restringendam vel omnino prohibendam fundorum acquisitionem, Ecclesia suam supremam independentiam amitteret, et a voluntate Summorum Imperantium in administratione rerum temporalium penderet; [b]) quia haud raro Ecclesia devenire posset in conditionem adeo

(1) Qui plura de hoc argumento cupiat, consulat praeclarum Opus Mamachii italice scriptum, cui titulus: *De libero Ecclesiae jure acquirendi et possidendi.*

luctuosam et precariam, ut etiam mediis cultui peragendo et sacris ministeriis obeundis absolute necessariis destitueretur; c) quia in hypothesi adversariorum magna Ecclesiae injuria duo apprime secernenda permiscentur, nempe, jus et ordinatum exercitium juris; quamvis enim societas religiosa jure polleat acquirendi et possidendi pro fine suo obtinendo, attamen absque proportionata causa nunquam societatem civilem gravat, sed, cum ex Dei ordinatione utraque in mundo perseverare debeat, Ecclesia ita sua jura exercet, ut minime impossibilem reddat ordinatam civilis societatis existentiam; d) quia Ecclesia est societas superior, ideoque non est Status civilis ejus acquisitionibus limites apponere, sed ad ipsam exclusive spectat judicare et definire quousque se protendat legitima evolutio suorum jurium, et quinam termini in eorumdem exercitio servandi sint, ne laedatur societas civilis: unde potest vel nova legata, saltem immobilium, non acceptare, si vere id Statui civili noceret, vel opportunas Principum reclamationes suscipere, eisque benigne indulgere, si ita pro bono communi et mutua concordia asservanda melius expedierit. Cum vero de re magni momenti agatur, hujusmodi quaestionem distincte atque summatim pertractare necessum est.

96. Ex commento Regalistarum Principibus tribuentium jus coarctandi potestatem plenam et integram, quae Ecclesiae competit ad comparandum et retinendum dominium stabile bonorum temporalium, recto tramite prodiit perniciosa et erronea *Desamortizationis theoria*, ejusque iniqua atque damnata *praxis*.

Desamortizatio, juxta modum loquendi apud regalistas et liberales passim usitatum, duplici sensu usurpari potest, activo et passivo: desamortizatio *activa* nuncupatur, quando temporalia Ecclesiae bona profanantur, et in dominium privatum et hominum commercium veniunt; *passiva* autem nominatur, cum prohibetur

donare Ecclesiae praedia, vel huic in acquisitionibus opponuntur restrictiones et gravamina.

97. De desamortizatione *activa* disserere supervacaneum nobis videtur, siquidem, sumpto vocabulo in hac acceptione, quaestio tota versatur in declarando atque definiendo facto apertissimo, nimirum quodnam nomen mereatur, quam censuram obtineat, vel quavis punitione sit digna direptio seu expoliatio bonorum ecclesiasticorum, quam juris moderni patrocinatores vulgo *incautationem* appellant.

Nunc vero, res valde obvia est; agitur enim de doctrina comperta et jamdiu decisa, quandoquidem Tridentina Synodus raptores bonorum Ecclesiae et *usurpatores* vocavit, et *anathematizatos* declaravit, aliasque gravissimas *poenas* contra eos tulit: "Si quem Clericorum, vel Laicorum, *quacumque is dignitate, etiam Imperiali, aut Regali, praefulgeat,* in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus Ecclesiae, seu cujusvis saecularis, vel regularis beneficii, Montium Pietatis, aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, census, ac jura, etiam feudalia, et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quae in ministrorum, et pauperum necessitates converti debent; per se, vel per alios vi, vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas Clericorum, aut Laicorum, seu quacumque arte, aut quocumque quaesito colore, in proprios usus convertere, illosque *usurpare* praesumpserit, seu impedire, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur, is *anathemati tamdiu subjaceat, quamdiu jurisdictiones, bona, res, jura, fructus, et redditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositae personae pervenerint, Ecclesiae, ejusque administratori, sive beneficiato integre restituerit; ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit.* Quod si ejusdem Ecclesiae patronus fuerit, etiam jurepatronatus, ultra praedictas poenas, eo ipso

privatus existat. Clericus vero, qui nefandae fraudis, et usurpationis hujusmodi fabricator, seu consentiens fuerit, eisdem poenis subjaceat; necnon quibuscumque beneficiis privatus sit, et ad quaecumque alia beneficia inhabilis efficiatur, et a suorum Ordinum exsecutione, etiam post integram satisfactionem, et absolutionem, sui Ordinarii arbitrio suspendatur„ (1).

Integrum Tridentini textum retulimus, ut ex ipsis Sacrosancti Concilii luculentis, explicitis ac decretoriis verbis manifestum fiat quot poenis gravissimisque censuris irretiti maneant et quovis tempore tanti criminis rei erunt occupatores, detentatores atque usurpatores bonorum Ecclesiae, quin opus sit sermonem specialem instituere de *activa* desamortizatione pro ostendenda injustitia hujus iniquissimae expoliationis ubivis gentium per Principes eorumque Gubernia novissimis temporibus consummatae, alias specie quadam juridica, hoc est, legibus insidiosis latis ad tutiorem bonorum ecclesiasticorum direptionem, alias autem forma aperte hostili, id est, vi, saevitia et oppressione adhibitis, veluti fieri solet a vulgaribus raptoribus: enimvero, auctores, fautores et cooperatores ejusmodi scelerati et sacrilegi processus recentiori aetate usurpati nequissima mente et depravato fine rem alienam, et quidem sacram religiosamque, rapiendi, graphice ac mirifice descripti habentur in laudato Decreto Tridentinae Synodi, ubi debito rigore plectuntur occupatores bonorum cujuscumque Ecclesiae aut pii loci.

98. Sed non possumus quin aliquid delibare pro munere nostro adimplendo de desamortizatione *passiva*, quippe cum ea intime connectuntur, vel rectius ac proprius loquar, ipsi originem, formam, nomen ac speciem praebuere leges quae *amortizationis* seu *manuum mortuarum* cognominantur: quamobrem, spectata hujus con-

---

(1) Sess. XXII, cap. XI *de Reformatione*.

troversiae praestantia propter frequentem potestatis civilis invasionem in regimen atque administrationem Ecclesiae, istiusque jurium iniquam violationem, hanc disputationem sequenti articulo singillatim tractandam relinquimus.

ARTICULUS IV.

SUMMARIUM.

99. *Amortizatio.*—100. Leges *amortizationis.*--101. Ostendatur hujusmodi leges esse omnino improbandas.—102. An bona Ecclesiae, quae vulgo nuncupantur *manuum mortuarum*, reputari possint commercio nociva.—103. Utrum industriae vere officiant.—104. Num indefinitae Ecclesiae acquisitiones Principibus saecularibus detrimentum inferre valeant.—105. An Rempublicam aut civilem societatem laedere queant.

99. Vocabulum *amortizatio* est quidem hispanice vox barbara et exotica, utpote originem ducens a lingua gallica, nimirum, a verbo *amortir,* quo significare intenditur bona Ecclesiae esse censenda tamquam mortua, stataria vel detenta, quia, juxta scholam oeconomicam, in ordine productivo et pecuniario vita in motu sita est, nempe, in alienatione, translatione dominii, permutatione praediorum, rerum commercio, aliisque multis quae motum requirunt, quatenus mutationi subsunt, diversasque modificationes subire queunt. Jam vero, cum bona Ecclesiae, effutiunt patroni amortizationis, alienari non possint, quia hoc per sacros canones et leges etiam civiles prohibitum est, optimo jure spectari debent uti posita extra humanum commercium, extra motum productionis, ideoque extra vitam propriam bonorum materialium seu temporalium.

Sed ex nunc praemonere oportet nec omnia, quae extra commercium sunt, esse mortua, neque vitam aut productionem praediorum in motu seu in transmissione dominii consistere; etenim mortua vere dici debent ea

bona quae inutilia et improductiva sunt, quamvis commercio, permutationi et alienationi obnoxia sint; bona autem Ecclesiae, etsi inalienabilia et extra commercium posita, utilia et productiva sunt, et profecto plus quam alia bona ab aliquibus laicis possessa; cum igitur redditus producant et fructus ferant, mortua *(amortizados)* vel detenta *(estancados)* recte et proprie dici nequeunt.

100. Leges *amortizationis*, quas etiam *manuum mortuarum* dictitant, nominantur: *Edicta Principum, quibus generatim statuitur ne res immobiles in Ecclesiam, aliaque Loca pia, sive actibus inter vivos, sive successione testamentaria transferantur sine litteris* AMORTIZATIONIS, *id est, sine consensu civilis potestatis.*

Hujusmodi leges in prohibitivas et restrictivas tribui possunt: *prohibitivae* dicuntur quae Ecclesiae absolute vetant quamlibet bonorum immobilium acquisitionem sive per contractum inter vivos, sive per ultimas voluntates, absque Regia permissione; *restrictivae* appellantur quae praediorum acquisitiones Ecclesiae consentiunt, impositis tamen nonnullis gravaminibus vel subauditis quibusdam limitationibus. Utrasque penitus rejiciendas utpote invalidas atque iniquas probare aggredimur.

101. Et re quidem vera, non difficile opus videtur demonstrare leges, quae sub nomine *amortizationis* seu *manuum mortuarum* usuveniunt, esse omnino reprobandas utpote Ecclesiae *injuriosas*, evidenter *injustas*, sacrae immunitatis *laesivas* et prorsus *arbitrarias.*

1.° Leges amortizationis magnam *injuriam* Ecclesiae inferunt; licet enim verbo tenus in laicorum bona edantur, reapse tamen in detrimentum Ecclesiae vertuntur, quandoquidem vetantur laici bona sua in Ecclesiam transferre, non utique propter laicos ipsos, sed propter Ecclesiam, ne scilicet societas religiosa rebus et divitiis augeatur. Cum itaque hujusmodi leges verbis quidem in laicos concepta sint, sed earum intentio et

vis omnis in Ecclesiam feratur, nullus locus dubitandi relinquitur, quin juribus Ecclesiae adversentur, atque supremae ejus auctoritati gravissimam injuriam irrogent.

2.° Manifestum etiam est praedictas leges *justitiae* directe refragari, sive spectentur cives, sive ipsa Ecclesia attendatur: injustae prorsus sunt habita ratione civium, quia, dum privati possunt res omnes, quarum dominium habent, alienare, donare, testamento relinquere, atque etiam, prout iis libuerit, consumere et disperdere, dummodo ne in Ecclesias et Loca pia quidquam omnino conferant, ipsis adimitur libera potestas sua bona vel ullam bonorum suorum partem transferendi in Ecclesias, Religiosas Adsociationes vel Pias Causas; injustae quoque censeri debent habita ratione Ecclesiae, cui impedimento sunt, quominus jure acquirendi et possidendi frui possit, quod quidem, uti superius ostendimus, notissimis *juris* principiis et irrefragabili *historiae* testimonio plane repugnat.

3.° Insuper memoratae leges Ecclesiae libertatem, ejusque sacram immunitatem aperte *laedunt;* etenim, prout disserte ait Pirhing: "illa sunt contra libertatem Ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum, per quae non tantum violantur privilegia ipsis concessa jure communi positivo, sive canonico, sive civili, sed etiam, imo multo magis, per quae auferuntur Ecclesiis et Ecclesiasticis personis jura, quae ipsis jure divino, seu naturali et gentium competunt, sive ea, quae ipsis communia sunt cum aliis membris reipublicae etiam laicis. Sed per talem legem *(amortizationis)* vel statutum hoc fit; ergo per illud derogatur libertati Ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum etiam naturali, sive quae jure naturali et gentium ipsis competit" (1).

---

(1) Comm. in quinque lib. Decret. ad tit. *de Constitutionibus*, sect. II, § 2.

4.° Demum leges amortizationis prorsus ***arbitrariae*** habendae sunt, siquidem solido fundamento destitutae, rationibusque vere speciosis suffultae apparent: enimvero, quatuor potissima argumenta a Regalistis adducta pro vindicanda justitia aut necessitate hujusce legum, atque ex damnis desumpta, quae, spectata copia et inalienatione bonorum Ecclesiae, commercio, industriae, Principibus et civili societati irrogari possunt, falsa praesumptione nituntur, ideoque nullius ponderis sunt ac funditus ruunt, velut evidenter patefiet singula eorum summatim expendendo.

102. Primum itaque, bona Ecclesiae, quae improprie ac injuriose ***manuum mortuarum*** denominantur juxta asseclas regalismi et liberalismi, neutiquam spectari possunt velut commercio nociva ob suam immobilitatem, quod facili argumentatione probatur: etenim, [a]) si de dominio ***directo*** agatur, exploratum est perseverantiam ejusdem domini nullo pacto commercio aut productioni nocere, sed potius maximopere conferre ad praedia magis frugifera et utiliora reddenda, simulque agriculturam efficaciori cura et continuis operis fovendam; [b]) quod si de dominio ***indirecto*** sermo fuerit, cunctis apertissime patet usufructum bonorum Ecclesiae et universae societati humanae prodesse et constanti mutationi esse obnoxium; nam cum in Ecclesia nec sacerdotium nec clericalia munera sint haereditaria, familiae usufruentium continuo mutantur, quamvis bona nomine Ecclesiae semper inscribantur, et aliunde omnes eisdem frui possunt, licet humiliores et pauperrimi, dummodo ad ecclesiasticos gradus promoveantur; [c]) inalienatio seu immobilitas fundorum et rerum stabilium, quam adeo exaggerant statolatri, ut Ecclesias et pias adsociationes ***manus mortuas*** appellent, sua praedia et possessiones improductivas et detentas nuncupent, atque ejusmodi futili praetextu ore pleno necessitatem conclament ferendi leges amortizationis, non est tam

absoluta, firma atque perpetua, ut damna positiva commercio, bono publico, vel culturae agrorum ineluctabiliter, jugiter et absque ulla exceptione gignere possit; etenim, quamquam alienatio bonorum ecclesiasticorum prohibita sit jure canonico (1), jure civili (2) atque etiam in jure divino saltem fundamentum habeat (3), attamen prohibitio Ecclesiae versatur circa alienationem sine legitima causa atque canonicis requisitis factam, quia esset dilapidare bona ad pios usus unice collata, et hoc sensu patrimonium Christi constituentia sub sola Praelatorum fideli custodia; necnon circa alienationem privata beneficiati vel administratoris auctoritate peractam, quippe beneficiatus non dominium sed merum usufructum habet bonorum sui beneficii; Praelatus autem aut Rector Ecclesiae, de bonis ejusdem distinctis a mensa vel beneficio suo, neque usufructum habet, sed meram administrationem: verum interdictum alienandi minime complectitur alienationes, quae fiunt interveniente Sanctae Sedis consensu seu Beneplacito Apostolico (juxta decretum Gregorii X in Concilio Lugdunensi

---

(1) Satis sit afferre cap. V *de rebus Ecclesiae alienandis, vel non* lib. III Decretalium: «Nulli liceat alienare rem immobilem Ecclesiae sive agrum, sive rusticum mancipium; neque specialis hypothecae titulo obligare. Alienationis autem verbum continet conditionem, donationem, venditionem, permutationem, et emphyteuticum perpetuum contractum. Unde omnes Sacerdotes ab hujusmodi alienatione abstineant: poenas timentes, quas Leonina constitutio comminatur».

(2) Ita enim optime sanxerunt Imperatores Leo et Antemius: «Ea quae ad beatissimae Ecclesiae jura pertinent, vel posthac forte pertinuerint, tamquam ipsam sacrosanctam et religiosam Ecclesiam, intacta convenit venerabiliter custodiri, et sicut ipsa Religionis et fidei mater perpetua est, ita ejus patrimonium jugitur servetur illaesum.» (Leg. 14 JUBEMUS Cod. *de SS. Ecclesiis*). Idem decreverunt Anastasius in Leg. 17 Cod. ejusdem tit., et Justininianus in Novellis 7 et 120.

(3) Nam Deus ipse in Lege Mosaica Israelitis rerum eidem oblatarum alienationem et distractionem hisce verbis interdixit: *Omne quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager*, NON VENDETUR, NEC REDIMI POTERIT (Levit. cap. XXVII, v. 28): exinde nonnulli canonistae colligunt ex ipso naturali jure et divino nefas esse ecclesiastica bona alienare, quod quidem verum est, si de alienatione rei ecclesiasticae sine justa causa facta agatur.

II, Oecumenico XVI, latum, ac praecipue ex celebri Pauli II constitutione *Ambitiosae cupiditati* anno 1468 edita), legitima et probata causa accedente *(necessitate* Ecclesiae, ejusdem *utilitate* vel *pietate* erga pauperes, praesertim in publicis et magnis calamitatibus), ac demum servatis solemnitatibus per Sacros Canones praescriptis (quarum recensio et expositio ad professores Juris Privati Ecclesiastici spectat).

103. Praeterea falsum omnino est bona Ecclesiarum, Associationum Religiosarum vel Piorum Locorum industriae nocere eo quod non bene et fructuose excolantur; futilitas enim hujus injuriosae atque ementitae assertionis fit palam manifesta ineluctabili *historiae* et *rationis* testimonio.

Historia nobis luculenter testatur personas morales, praesertim vero Ordines Religiosos et Instituta Monastica, inter quae speciali mentione ac praecipua laude digna censetur Congregatio Benedictina, ejusque multiplices surculi et propagines, optime de agrorum cultura et humanae industriae progressibus merita esse, cum regiones desertas in floridos agros jugi labore et mirabili patientia converterint, simulque etiam incrementa artium ubique promoverint. "Quot enim, apposite ad rem ait doctissimus Cardinalis Soglia, horridae solitudines, et quondam ferarum latibula in amoena diversoria, quot spineta in hortos, quot fundi squallentes in agros et prata, quot deserta loca et inaccessa in praediola belle aedificata et fertilia conversa sunt, postquam ea Clerici, et praesertim Monachi industria et labore suo excoluerunt?" (1). Unde recte colligere fas est bona immobilia copiosasque divitias Ordinum Monacalium et Congregationum Regularium, quibus manifesta injustitia novissima aetate expoliati sunt, fuisse magna ex

(1) *Inst. Jur. Priv. Eccl.* lib. II, cap. I, § LXXVIII.

parte fructus laborum suorum, et non gratuitas donationes morientium vel benefactorum.

Ratio quoque liquido evincit corpora moralia, maxime vero Ordines Religiosos potiusquam privatos, agros melius excolere ac praedia ruralia cum ingenti industriae fomento fructifera et efficacius productiva reddere: [a]) quia in ordine artium, industriae atque productionis, sicut in ordine sociali, politico et oeconomico vis unita fortior putatur; [b]) religiosae familiae, non indigentes ut plurimum quotidianis praediorum rusticorum fructibus propter ipsam numerositatem possessionum, una cum agris jam excultis nonnullos saltus, silvas, lucos, aliave loca inculta habere possunt, in quibus magni labores fiant et novae industriae exerceantur pro agricultura fovenda, copiosisque fructibus percipiendis; dum privati coloni et agricultores non multa praedia possidentes, solent ex eis quotidianis et continuis operis statim educere meliorem fructum hic et nunc possibilem, quin arva inarata et quieta aliquid temporis relinquant; [c]) privati agricolae morti subjiciuntur, unde quamplurimae vicissitudines et necessariae mutationes, quae passim afficere assolent sive statum familiarum, sive culturam agrorum; sed e contra corpora moralia perpetuitate gaudent, quae equidem facilitatem ac securitatem praebet opera longiora assumendi ad majorem productionem obtinendam, siquidem corporationi religiosae inest certitudo prosequendi labores incoeptos, cum clarissime sciat neque voluntatem neque conditionem Monasterii ex *ordinarie* contingentibus mutatum iri, donec compleantur opera pro cultura soli jam aggressa.

104. Levissima etiam ratiocinatione ostenditur indefinitas Ecclesiae acquisitiones *(speculative* loquimur, nam *practice* Ecclesia aequiparari potest *Dominae* quondam locupleti, hodiedum vero a propriis subditis prorsus expoliatae, atque *Matri* olim divitiis affluenti, nunc autem per ejus ingratos filios in miserrimam conditio-

nem reductae, et fortasse in posterum majori pressura et saeviori oppressione vexandae) nullo pacto Principibus saecularibus nocumentum afferre, uti cuilibet elucebit, sive res sub aspectu *politico* ac gubernativo inspiciatur, sive ordo *oeconomicus* et administrativus spectetur.

Sub respectu *juridico* imperium (*Soberania*) Principum majori vel minori accumulatione bonorum stabilium aut divitiis plus minusve copiosis Ecclesiae nec laeditur nec imminuitur, quandoquidem praedia sacra non sunt immunia a jurisdictione saeculari Regum, sed tantum templa, coemeteria, aliaque loca assimilata; ideoque civilis Summorum Imperantium auctoritas etiam exercetur in incolas possessionum seu praediorum Ecclesiae, qui profecto potestati legiferae, judiciali et exsecutivae Principum omnino subjiciuntur.

Quod vero ad ordinem *oeconomicum* et administrativum attinet, jus Principum exigendi tributa vel percipiendi vectigalia ex bonis immobilibus ad publica onera sublevanda nullum detrimentum pateretur ob frequentes vel pingues acquisitiones Ecclesiae; quamvis enim immunitas *realis* triplici conceptu adscribenda et agnoscenda sit societati a Christo conditae, scilicet, tamquam *jus* sacratissimum, quia Ecclesia cum omnibus bonis et rebus suis est independens a civili potestate, ac proinde ejus praedia ex mero jure immunia habentur a tributis; velut *privilegium* caeteroquin justissimum, quoniam Ecclesia societatem civilem adjuvat, atque idcirco aequum est in compensationem sibi vindicare possit aut eidem sponte tribuantur quaedam privilegia, inter quae recte computari valet exemptio a tributis; uti *commodum* sociale aliunde utilissimum, quia societati christianae inest obligatio Ecclesiae suppeditandi omnia quae ei necessaria fuerint; si igitur aliqui generosi benefactores Ecclesiae bona temporalia offerant, eo ipso ejusmodi pii donantes caeteros seu integram societatem ex

toto vel ex parte exonerant a subsidiis Ecclesiae praestandis: attamen, salva semper ac recognita hac triplici ratione pro *jure* Ecclesiae vindicando, de *facto* si quando verificaretur hypothesis, hoc est, si denuo Ecclesia divitiis abundaret (quod nobis videtur valde difficile et fere impossibile) et jam non indigeret immunitate a tributis, huic exemptioni nuntium mittere posset, et aliter debitam compensationem quaerere vel satis se compensatam habere ex protectione ministeriali Status, qui vi armata promptus esset tueri sua bona caeteraque ejus jura.

Monitum tandem volumus Ecclesiam in praefata hypothesi permittere posse ut imponerentur tributa tantum praediis suis, quae *mediate* conferunt ad finem proprium et spiritualem assequendum, id est, illis bonis, ex quibus educuntur redditus necessarii ad exercitium cultus divini, minime vero aedificiis sacris, quae *immediate* deserviunt cultui divino peragendo, religioni publice profitendae aut charitati erga pauperes, infirmos vel pueros exercendae, uti Ecclesiae, Monasteria, Xenodochia, Orphanotrophia, etc.; etenim hujusmodi loca semper habita sunt ut exempta a tributis, etiam nostris temporibus et ab ipsis Guberniis, quae in reliquis ecclesiasticam immunitatem non agnoscunt.

105. Denique pro hac discussione contra regalistas absolvenda videndum superest, utrum nimiae divitiae Ecclesiae vel bona *manuum mortuarum* Reipublicae aut civili societati damnum reapse intulerint vel inferre possint: age jam, doctissimi scriptores atque insignes apologistae validissimis rationibus demonstrarunt, monumentisque historicis comprobarunt bona in Ecclesiam, Religiosas Adsociationes et Loca Pia translata Statui minime nocuisse, sed e contra civile Imperium ex opibus Ecclesiae ac Monasteriorum magnum profectum et copiosas utilitates percepisse (1), unde optimo jure

(1) Cons. inter alios P. Antonium Desing integro libro, qui inscribitur: *Opes Sacerdotii num reipublicae noxiae.*

collegerunt leges amortizationis prorsus irritas et omni vi destitutas esse, siquidem lex falsa praesumptione facti innixa nullo pacto valorem obtinere potest.

Speciminis gratia, tria potissima rationum momenta ex historia, ecclesiastico jure atque Romanorum Pontificum agendi ratione in medium proferemus ad hoc postremum Regalistarum subterfugium omnino tollendum.

1.° Ex monumentis historicis plane authenticis et sat luculentis apertissime constat Episcopos et Coenobia saeculis retroactis, prae oculis semper habentia illam egregiam S. Ambrosii sententiam—*Aurum Ecclesia habet non ut servet, sed ut eroget et subveniat in necessitatibus* (1), nunquam destitisse ad sublevandas regnorum calamitates magnas largitiones facere, uti prope innumeris exemplis ostendit laudatus et eruditissimus Thomassinus (2); quae quidem largitiones, juxta opportunam animadversionem Constantini Roncaglia (3), "velut jure naturae dictante fiebant, cum gratitudinis virtus exposcat, eos donis affiici, qui Ecclesias nedum exstruxerunt, sed et locupletarunt„.

2.° Sacri Canones sanxerunt societati civili, quam vera necessitas premit, opem auxiliumque ex bonis Ecclesiae esse ferendum, atque id semper ab Ecclesia factum fuisse quamplurima facta, quae scriptores omnis aetatis et diversae gentis congesserunt, et brevitatis gratia heic praetermittimus, invictissime ostendunt.

Et sane Concilium Lateranense III (can. XIX) indulsit, ut ubi laicorum opes impares essent pro publicis necessitatibus amovendis, id, judicantibus Episcopis et Clero, quod necesse esset ex proventibus Ecclesiae tribueretur; Concilium autem Lateranense IV (can.

---

(1) *De Offic. Ministror.*, cap. XXVIII

(2) *Vet. et Nov. Eccl. Discipl.* lib. I, cap. XXVI et seqq.

(3) Nota ad cap. VII, art. 7 *Hist. Eccl.* Natalis Alexandri, saec. XIII et XIV.

XLVI) eamdem dispositionem tulit, quamvis, ad tollendos abusus, gravissimasque potestatis civilis exactiones vitandas, praeter consensum Episcopi ac Cleri Beneplacitum Sedis Apostolicae in posterum exquisivit, cum aliquid de rebus Ecclesiae Principibus esset tribuendum. Necessitatem vero hujusmodi consensum postulandi nec Principes nec civiles Status aegre ferre debent, quippe tractatores Juris Naturalis communi calculo tradunt nemini fas esse in rem alienam etiam sibi debitam contra domini voluntatem, vel eo inconsulto invadere; primo enim res petenda est, ne violentur sacra dominii jura: "Est ea dominii vis, ait celeberrimus Reformationis jurista Puffendorfius, ut dominus res suas ipse possit dispensare, etiam ad quas alteri tradendas obligatur. Ex quo consequitur, quod res ab altero sibi debitas non statim ipse quis involare queat, sed dominum, ut sibi eas tradat, poscere debeat„ (1).

3.° Demum, rem totam conficiemus praeclara Summorum Pontificum exempla afferentes, qui in gravissimis populorum necessitatibus et publicis nationum calamitatibus, re ad ipsos delata et justitia causae rite cognita, in alienationem bonorum Ecclesiae pro hisce aerumnis removendis facile et saepius consensere.

In confirmationem hujus assertionis satis erit nonnulla potissima facta cum praecitato Thomassino recensere: "S. Pius V ad necessitatem regni Gallici concessit Carolo IX alienare fundos ecclesiasticos ad quindecim mille libras redditu annuo assurgentes. Gregorius XIII consensit in distrahenda praedia ecclesiastica decies centena millia librarum aequantia. Henrico III Sixtus V permisit venditionem fundorum ecclesiasticorum ad centum mille philippaeos redditus annui, licet Clerus jam eo anno contulisset auri decies centena mil-

---

(1) *Jur. Nat. et Gent.* lib. II, cap. 6.

lia et amplius. Quid Ecclesiae et Ecclesiastici ad utilitatem reipublicae praestiterint subsidii his nostris temporibus per dona gratuita tum in Gallia et Hispania, tum in Austria et Italia, exstant illustriora documenta, quam ut adversarii lamentari possint, onera reipublicae solis incumbere laicis. Neque negabit Pontifex, premente reipublicae necessitate, ea praesidia e bonis Ecclesiae inferioris, quae contulit e gazophylacio Ecclesiae Romanae. Refert Auctor Theatri Europaei ad annum 1683 7 Aug. Innocentium XI Imperatori submisisse ter centum mille coronatos, addita amplissima facultate ex ipsis templis vasa sacra et cimelia ad usum belli Turcici in monetas conflandi„ (1).

ARTICULUS V.

SUMMARIUM.

106. Jus Ecclesiae res suas libere *administrandi.*—107. Cuinam competat dominium bonorum ecclesiasticorum.—108. Jus Ecclesiae *subsidia exigendi* vel *tributa imponendi.*—109. Ratio hujusmodi exactionis vel impositionis.—110. Quid de hodierna Cultus et Cleri sustentatione judicandum sit.—111. Oblationes et tributa in favorem Apostolicae Sedis. — 112. Jus Ecclesiae *acquirendi jurisdictiones.*

106. Cum Ecclesia juxta superius demonstrata plena potestate gaudeat bona sua, etiam immobilia, libere acquirendi ac possidendi, logica deductione ipsi adscribendum est jus proprium et liberum eadem quoque administrandi: et quidem administrationem bonorum ac rerum sacrarum ad Ecclesiam, hoc est, ad Praelatos et Rectores Ecclesiarum pertinere, quin tutelae Status subjiciatur, uti nonnunquam inique statuunt leges civiles, triplici argumento disserte evincitur ni-

(1) Op. et loc. alias citt.

mirum, naturali ratione, perpetua Ecclesiae praxi èt perenni traditione totius antiquitatis christianae.

Ratio. Ecclesia in primis vi suae specificationis in genere societatum est consociatio suprema, perfecta atque inaequalis, ideoque sui juris et plane independens in sibi consulendo et externo regimine moderando; sed possessio, usus et usufructus bonorum temporalium, id est, eorumdem administratio atque erogatio medium efficacissimum existimatur, quo Ecclesia utitur, ut sibi consulat, et propriae existentiae, tutae conservationi rectoque ordini intendat; ergo eidem competit facultas nativa et independens res suas libere administrandi. Deinde administratio rerum, juxta tritum axioma—*accessorium sequitur principale*—, ad eos pertinet, qui earumdem rerum dominio potiuntur; age jam, nemo sane dubitare potest, quin Ecclesia, Religiosae Adsociationes et Loca Pia suarum rerum dominium habeant, quandoquidem qui eisdem sua bona tradiderunt, ii profecto transferendi dominii jus habebant, illudque in eos transtulerunt, qui acquisitionis et dominii capaces erant; unde valida et legitima fuit eorumdem bonorum traditio et possessio, ac proinde dominium et proprietas in Ecclesias, Monasteria et Pia Loca transivit; ex quo recte consequitur curam et administrationem ejusmodi rerum mobilium vel immobilium optimo ac perfecto jure ad praefatas personas juridicas spectare.

Praxis. Alterum argumentum ex constanti praxi Ecclesiae, tum Mosaicae, tum Christianae, desumitur: etenim, [a]) in lege veteri ea bona, ex quibus Sacerdotes et Levitae vivebant, necnon Civitates et Suburbana eisdem pro ministerio adjudicata sub ipsorum plena administratione et facultate jugiter manebant; [b]) in novo foedere exploratum est Apostolos collectas fecisse aut faciendas curasse, ipsosque pristinis illis temporibus oblationes fidelium personaliter distribuisse; [c]) deinceps

vèro, uti in Actibus Apostolorum legitur, scimus hujusmodi sanctissimos viros, ne procuratione rerum temporalium a ministerio verbi Ecclesiaeque regimine distraherentur, non laicos sed septem Diaconos constituisse, ut curae earumdem rerum, rectaeque distributioni sedulo incumberent.

Traditio. Ecclesia demum vestigia Apostolorum stricte ac religiose premens sibi perpetuo vindicavit tamquam proprium et plenum jus bonorum suorum administrationem atque dispensationem; et re quidem vera, Sacra Concilia, Summique Pontifices quavis aetate, gente ac regione nihil sanctius et antiquius autumarunt, quam ut manus laicorum ab ecclesiastico patrimonio omnino removerent.

Cum autem tanta monumentorum copia obruamur, satis erit in corroborationem nostrae assertionis luculentum Concilii Lateranensis I testimonium afferre: "Apostolorum Canonibus statutum est, ut omnium negotiorum ecclesiasticorum curam Episcopus habeat, et ea veluti Deo contemplante, dispenset. Item in Antiocheno Concilio statutum est, ut quae sunt Ecclesiae..... conserventur, quae et dispensanda sunt judicio et potestate Pontificis, cui commissus est Populus et animae... Item Stephanus martyr scribit (Epist. II, cap. 10) laicis, quamvis religiosi sint, nullis tamen de ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur unquam attributa facultas, neque deinceps fieri permittimus" (1).

107. Circa personam vel personas juridicas, quibus dominium bonorum ecclesiasticorum tribuendum sit, non adest inter canonistas consensio, sed variae sustentantur opiniones majori vel minori rationum pondere fulcitae, quas heic expendere vacat: satis superque pro re nostra nobis videtur quinque potissimas innuere,

---

(1) *Collect. Conc.* apud Harduinum, tom. VI, part. 2. column. 1895.

ac dein obiter tradere quaenam solidiori fundamento innitatur, simulque cum caeteris omnibus recte componi possit. 1.ª Sententia contendit ecclesiastica bona ad Ecclesiam universalem attinere; 2.ª asserit Romani Pontificis esse; 3.ª docet ad Clerum esse adscribenda; 4.ª tenet ad Ecclesia particulares pertinere, quibus donata fuerunt, vel a quibus legitimo titulo sunt acquisita; 5.ª tuetur pauperes esse habendos tamquam veros dominos divitiarum Ecclesiae.

Ex recensitis opinionibus conflata est 6.ª sententia *mixta* seu *ecclectica*, ut ita dicam, quae videtur anteponenda, quatenus apparet verior, simplicior et prudentior singulis enumeratis: ajunt enim quidam canonistae Ecclesias particulares seu locales censendas esse velut *minores*, cum sint personae juridicae morales sub curatela positae, earumque bona aequiparentur bonis minorum, quippe privilegio restitutionis *in integrum* gaudent et absque Romani Pontificis et Episcopi consensu alienari nequeunt, sicut bona minorum eodem beneficio fruuntur atque sine curatoris, etiamque judicis interventu alienari non possunt. Hinc juxta hujusmodi auctores quoad dominium bonorum Ecclesiae sequens ordo seu gradatio distingui valet: [a]) dominium directum seu proprietas bonorum respectivis ecclesiis localibus tamquam minoribus competit; [b]) dominium indirectum seu usufructus atque administratio eorumdem bonorum ad Clerum cujuslibet ecclesiae attinet; [c]) curatela, directio et custodia ipsorum Episcopo dioecesis deferenda est, quia *Episcopus* ratione proprii nominis reapse est *inspector*, ideoque praecipuus administrator et oeconomus; [d]) dominium *eminens* aut *superius* ad Romanum Pontificem solummodo spectat, cujus beneplacito indigent omnes et singulae ecclesiae ad alienationes faciendas; [e]) inversio fructuum et reddituum fieri debet in obsequium cultus divini, cleri uniuscujusque ecclesiae, pauperumque in genere, sed in specie et potiori jure

eorum, qui intra terminos ecclesiae vel paroeciae degunt.

Hanc semtentiam diximus veritati, simplicitati et prudentiae esse valde consonam: *veritati*, hoc est, clausulis fere omnium fundationum; etenim in donationibus exspectanda est mens donantis; in omnibus autem donationibus praefertur bona illa dari Deo et tali Ecclesiae vel Monasterio nominatim determinato; cum igitur acceptatio facta fuerit juxta mentem donantis, dominium illius erit, cujus ex intentione donantis esse debet, nempe, ecclesiae particularis, cui facta fuit donatio: *simplicitati*, quippe in hac sententia obvie et recte explicatur et interventus Summi Pontificis in alienationibus bonorum ecclesiasticorum et participatio Episcoporum administrationi bonorum ad ecclesias suarum dioeceseon concernentium: *prudentiae*, quoniam ita vitantur non pauca incommoda, servatur omnibus debitus honor, cunctaeque justae opiniones in aliquo sensu et sub legitimo respectu conciliantur.

Ex praejactis liquido colligitur non modo esse rejiciendum velut catholicae doctrinae aperte reluctantem errorem illorum, qui civili Statui tribuunt sacrorum bonorum dominium, eorumque administrationem politicis guberniis, verum etiam ex communi loquendi sermone expungendas esse denominationes improprias atque insidiosas a saeculo XVIII inductas et hodie passim usurpatas, quibus ecclesiastica bona appellari solent bona nationis *(bienes nacionales)* vel bona cleri *(bienes del clero)*; nam, quidquid effutierint ex ignorantia vel malitia juristae et aulici scholae regalisticae adscripti, bona Ecclesiae semper erunt et dicentur *Ecclesiae*, ad cujus patrimonium pleno et perfecto jure pertinent; nunquam vero *Status* seu *Nationis*, quae nulla potestate in res ecclesiasticas potitur, neque proprie loquendo *Cleri*, qui illorum administrationem tantum habet, minime autem dominium.

108. Jus Ecclesiae subsidia exigendi vel tributa fidelibus imponendi pro religione socialiter exercenda, cultu publico Deo exhibendo, et sacris Ministris alendis triplici fundamento innititur, nempe, jure naturali, divino-positivo et gentium: jure *naturali;* nam qui sentit commodum, sentire debet incommodum—*Quis,* ait D. Paulus, *plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat?* (1): jure *divino-positivo;* siquidem Christus Dominus in Evangelio solemniter proclamavit jus operarii legitimam retributionem recipiendi— *Dignus est enim operarius mercede soa* (2) vel *cibo suo* (3)—; et Doctor gentium hoc sacratissimum jus auctoritative iterum promulgavit—*Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt: et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere* (4)—: jure *gentium;* etenim, ut idem Apostolus animadvertit nullum militem suis expensis in bellum proficisci atque praelium committere— *Quis militat suis stipendiis unquam?* (5) —.

Ex utroque igitur jure divino, sive naturali, sive positivo, aperte liquet sustentationem cleri catholici *obligatoriam* esse *in essentia* populo christiano, neutiquam vero *arbitrariam* vel *pactitiam,* uti blaterare ausi sunt nonnulli recentiores regalistae; *in essentia* diximus, quia ad formam quod attinet, nulla fixa inducta est a jure divino, sed Ecclesia varias invexit vel praescripsit, juxta diversa temporum, locorum ac rerum adjuncta (6).

---

(1) Epist. I *ad Corinthios.* cap. IX, v. 7.
(2) Luc. cap. X, v. 7.
(3) Matth. cap. X, v. 10.
(4) Epist. I *ad Corinth.* cap. IX, w. 13 et 14.
(5) Eod. loc. v. 7.
(6) Recenseri possunt tamquam praecipuae formae substentationis sequentia media, quibus Ecclesia a suis incunabulis ad nos usque

109. Ratio subsidia a populo christiano exigendi vel tributa fidelibus imponendi ex triplici etiam fonte sumitur: 1.° ex ***natura*** Ecclesiae; etenim ipsa est societas externa et visibilis, utpote hominibus composita et pro hominibus instituta, ideoque rebus temporalibus indiget, atque simul est ex mente sui divini Fundatoris adsociatio perfecta et inaequalis, utpote imperio proprio et plena independentia praedita, unde jus habet exigendi a suis media sibi necessaria; nunc vero, quamvis Ecclesia a Deo acceperit media supernaturalia, eaque de suo fidelibus conferat, tamen bona materialia a coelo non suscepit, sed eadem in terra sibi procurare tenetur; en igitur potissima ratio a fidelibus quovis tempore exquirendi, ut libenti animo et assidua sollicitudine officio jure naturali, divino-positivo et gentium injuncto incumbant ipsi res temporales et media externa subministrandi. Hinc originem ducunt omnia subsidia Ecclesiae praestita: sive ***voluntaria*** seu sponte oblata, cum aliqui necessitatibus Ecclesiae provident, non modo pro tempore praesenti per ***oblationes*** (1) et eleemo-

---

pro varietate temporum et mutatione rerum usa est: [a]) *oblationes* et *eleemosynae*, velut spontaneae donationes, quibus et Christus et Apostoli vixerunt; [b]) *decimae* et *primitiae*, non ut largitiones, sed uti praestationes ab Ecclesia praescriptae; [c]) *redditus* ex praediis, caeterisque bonis fixis et stabilibus, mobilibus, immobilibus vel semoventibus, census, pensiones, aliaque sive in communi possessa, sive in beneficia et portiones distributa; [d]) *subventio* vel subsidium ab aerario publico collatum titulo compensationis *(indemnización)* ut plurimum pro expilatis Ecclesiae praedictis bonis et redditibus; [e]) *obventiones* et alia charitativa subsidia, vel pro supplenda tenuitate redditunm et snbventionis, vel etiam pro sustentando cultu cleroque, ubi populus pauper nequit alio modo subvenire.

(1) *Oblationes* vocantur *rerum omnium mobilium, sive immobilium largitiones sponte factae;* passim vero per hoc vocabulum in jure canonico significantur res mobiles. Duplicis generis sunt: *ad altare* et *extra altare*; primum genus erat earum rerum quae *ad altare* ferebantur tempore sacrificii, veluti panis et vinum, ex quibus Sacra Eucharistia conficeretur, necnon oleum, incensum, cera, novae spicae, aliaque munera, quae aut altari, aut Clericis alendis inservirent; alterum oblationum genus est earum rerum, quae *extra altare* et sacrificium ad domum Episcopi deferebantur, vel in gazophylacium seu exedram recipiendis et servandis oblationibus in templis constitutam inferebantur ad Ecclesiae, Episcopi, Cleri, pauperumque sustentationem.

synas, sed stabiliter, ut fit *fundando* beneficia, vel bona fabricae Ecclesiae *relinquendo;* et tunc hujusmodi benefactores loco omnium Ecclesiae sucurrunt, atque oblationibus suis caeteros exonerant, qui equidem, si largitiones aut eleemosynae sufficientes fuerint, non sunt cogendi, quippe melior semper aestimatur spontanea oblatio, tum ratione meriti in offerentibus, tum ratione minoris gravaminis: sive *obligatoria,* cum judicio Ecclesiae non sufficiunt spontaneae donationes pro debita Ministrorum sustentatione et necessariis Cultus publici expensis, ac proinde omnes fideles suum concursum praebere debent in forma et quantitate ab ipsa Ecclesia praescripta ad onera religiosa sublevanda.

2.º Altera exactionis vel impositionis tributorum ratio ex *ministerio* Ecclesiae *communi* repetitur: exploratum namque est in Ecclesia quaedam ministrari omnibus simul, seu ipsi communitati religiosae, uti praedicationem verbi Dei, Missae aliarumque communium functionum celebrationem, quaedam autem aliquibus specialissime dispensari aut conferri, puta baptisma, adsistentiam matrimonio, sepulturam, pluraque alia sacramentalia; age jam, sicut in societate civili, juxta axioma juridicum communiter receptum, cuncti cives oneribus socialibus sustinendis contribuere debent pro viribus, quia, cum de societate completa et perfecta agitur, ipsa persona cum omnibus suis juribus et bonis societati addicitur, atque inde procedunt taxae seu contributiones, quae generales et directae dicuntur; ita etiam in societate religiosa propter ministerium commune Ecclesiae, ejusque sociales necessitates omnes fideles concurrere tenentur ad subveniendum in genere fabricae Ecclesiae et Ministrorum sustentationi: hinc proveniunt subsidia obligatoria seu praestationes *generales* et *directae,* quae *decimae* (1) et *primitiae* (2) nuncupantur.

---

(1) *Decimae* sunt *certa pars fructuum, vel lucri*; certa pars, dici-

3.° Adest etiam alia ratio, ut Ecclesia parvas oblationes vel minutas taxas a plebe christiana postulare aut repetere valeat, videlicet, *speciale ministerium;* praeter enim communem bonorum spiritualium dispensationem universo coetui fidelium collatam, Ecclesia quibusdam christianis peculiare ministerium praestat, ut in baptismo, confirmatione, matrimonio, sepultura, et quamplurimis sacramentalibus, quae in utilitatem privatorum conferri possunt; jam vero, quemadmodum in societate civili praeter tributa generalia et directa, quibus unusquisque socius ad expensas sociales ferendas concurrit pro suis facultatibus, adsunt insuper contributiones speciales pro actibus determinatis, quae indirectae appellari solent; pariter quoque in societate ecclesiastica speciales taxae imponi queunt, sicut consuetudine in pluribus casibus inductum est, siquidem aequitati consentaneum videtur specialius concurrere ad Ministros religionis alendos, qui modo particulari et in proprium commodum ipsorum opera et ministerio utuntur: hinc denique ortum habent subsidia obligatoria seu praestationes *speciales* et *indirectae*, quae passim

---

mus, non decima, quia interdum major est, interdum minor juxta diversam locorum consuetudinem. Denominantur autem pars fructuum aut lucri, eo quod vel ex fructibus praediorum, vel ex lucro industriae persolvuntur; hinc praecipua earum divisio in *praediales* et *personales: praediales* dicuntur quae ex fructibus et proventibus praediorum debentur, sive praedia urbana sint, sive rustica; *personales* nuncupantur quae ex rebus industria et arte comparatis, veluti ex lucro negotiationis, militiae, venationis solvi debent, non autem ex rebus titulo lucrativo acquisitis, uti donatione, successione, legato; nam ista bona non sunt fructus praediorum vel humanae industriae. Huic duplici generi Doctores addere solent tertiam Decimarum speciem, quas *mixtas* appellant, eorum nempe fructuum qui partim industria, partim natura comparantur, prout ex pecorum foetu, lacte et similibus.

(2) *Primitiae* nominantur *primi fructus agrorum et pecudum*, quae in veteri lege ex divino praecepto debebantur, et quarum usus apud priscos Christianos receptus est, diuque perduravit; deinde vero contrariis moribus exolevit.

nominantur *obventiones* (1) aut jura utriusque stolae, albae et nigrae (2).

110. Ecclesia plurium saeculorum spatio ad suis necessitatibus consulendum mediis propriis usa est, nimirum, oblationibus fidelium, redditibus deductis ex praediis, caeterisque bonis stabilibus legitimo titulo acquisitis, atque praestationibus obligatoriis sacris canonibus et legibus civilibus sancitis; sed, postquam hoc nefasto saeculo per gubernia, quae *catholica* videri volunt, possessionibus atque divitiis inique expoliata fuit in Hispania, Gallia, Belgio, Italia, Austria, aliisque regionibus, tum Europae, tum Americae Latinae, hisce regnis vel ditionibus sustentationi cultus et cleri attendere tenetur modica subventione loco bonorum suorum ex aerario publico ipsi assignata: hinc quaeri solet quid de hac postrema sustentationis forma nostra aetate inducta judicandum sit sub aspectu juridico, ecclesiastico et practico.

1.° Et ad *jus* quod attinet, ejusmodi novissima forma cultum publicum sustinendi religionisque ministros alendi est quidem onus sacratissimum strictae justitiae; etenim solutio, quae a civili Statu Ecclesiae fit, mininime aestimari potest velut mera liberalitas seu

---

(1) *Obventiones* appellantur *jura stolae seu stipes, quae post administrata Sacramenta, praesertim Baptismi et Matrimonii, post exequias Defunctorum, aliasque religiosas functiones sacris Ministris, praecipue Parochis, tribui solent.* Olim hujusmodi stipes erant sicut oblationes spontanea largitio, quae deinde in laudabilem consuetudinem abiit, et in Concilio Lateranensi sub Innocentio III probata est; etenim in eo statutum fuit Sacramenta et reliqua officia sacra gratis administranda, nulla scilicet temporali re aut petita aut recepta *ante administrationem*; fideles vero ad consuetas oblationes teneri, quin etiam ab Episcopo cogi posse, si offerre detrectaverint.

(2) Cum de obventionibus et emolumentis agitur ob exercitium sacri ministerii religionis Ministris justissime solvendis, abs re non erit animadvertere pauperes et miserabiles personas gratis ad omnia esse admittenda, cum ratione suae paupertatis a quacumque stipe vel oblatione excusentur, atque aliunde jus integrum habeant, sicut caeteri fideles, ad media sanctificationis, quae in societate christiana inveniuntur.

donatio titulo gratioso largita, sed tamquam obligatio vere et proprie juridica, ex contractu oneroso et bilaterali profecta et titulo compensationis fulcita, eadem ratione qua gubernium creditoribus publicis solvere tenetur quod ipsis debetur, quia bonis suis spoliati fuerunt, vel ut dicitur *expropriati* causa publicae utilitatis: et re quidem vera, ad ostendendam existentiam atque naturam hujus contractus bilateralis, onerosi ac titulo compensationis vel indemnizationis debiti, satis esset in medium proferre novissimum Concordatum in Hispania anno 1851 inter Sanctam Sedem (Pium IX) et Catholicam Majestatem (Elisabet II) initum, in quo, antequam Summus Pontifex alienationes bonorum ecclesiasticorum subsanaret, taxatae sunt redditus seu quantitates solvendae Praelatis, clero cathedrali, parochis, cultui ecclesiarum, seminariis et sanctimonialium coenobiis.

2.° Quoad *Ecclesiam*, praefata forma eidem semper visa fuit parum grata, valde deficiens et summopere precaria; attamen Apostolica Sedes pro temporum angustiis et ad majora mala vitanda hunc modum religiosis populi christiani necessitatibus subveniendi permittere et tolerare cogitur ceu remedium ineluctabile atque subsidium possibile hisce luctuosis temporibus.

3.° *Practice* vero spectata recentissima forma apud nationes catholicas inducta maxime inconveniens ut plurimum censenda est, immo vero aliquando tamquam pessima et exitialis haberi meretur ob plurima incommoda, quibus scatet, et quae heic operis pretium ducimus summatim recensere: a) Ecclesiae ministri cultusque divinus deveniunt dependentes a temporalium guberniorum voluntate, inter quae interdum inveniri possunt aliqui ministri indifferentistae, calvinistae, etiamque judaei, uti haud raro contigit in nunnullis Statibus, praesertim in Republica Gallica; b) Ecclesia passim carere solet debita independentia in administratione rerum suarum; c) Ecclesiae ministri parvipen-

duntur et a vulgo ignoranti habentur tamquam civiles mercenarii (*funcionarios públicos, empleados del Estado*); [d]) oriuntur quandoque graves difficultates, cum Episcopi clericos suae jurisdictioni subditos poena suspensionis a beneficio mulctare tenentur, propter tricas et frequentem complicationem administrationis publicae; [e]) Ecclesia obnoxia remanet sorti et crebris vicissitudinibus aerarii publici, quod saepius aut fere semper, veluti fit in Hipania aliisque regnis perturbationibus politicis, magnis calamitatibus vel aere publico gravatis, aegestate et angustia laborat; unde obligationes cultus et cleri sero et aegre solvuntur; [f]) gubernia parum pia vel catholicae religioni aperte hostilia uno calami tractu Ecclesiam ad inopiam atque miserrimam conditionem reducere valent, juxta execrabile dirissimi imperatoris Neronis desiderium, qui uno ictu humanum genus capite minuere voluisset.

111. Cum Janseniani et Regalistae cujuscumque gradus et denominationis saepissime declamare consuescunt contra subsidia Apostolicae Sedí praestita, utpote publicae Status prosperitati noxia et nationum depauperationi faventia, nostri muneris esse ducimus aliquid hoc in loco delibare de tributis et oblationibus in favorem Ecclesiae Romanae, ut manifestum fiat quam alienas esse a veritate et justitia accusationes toties repetitas adversus Summos Pontifices, eorumque supremam Curiam.

Subsidia igitur quae Sanctae Sedi conferri vel ab Ipsa requiri possunt, ad quatuor genera commode revocari solent: 1.° *oblationes spontaneas*, ut nunc est denarius seu *obolus* Sancti Petri; 2.° *tributa ordinaria*, cum illae non sufficiant, veluti *annatas* (1) et *dimidias annatas*

---

(1) *Annatae* dicuntur certae pensiones aut certae pecuniae quantitates, quae ex Episcopatuum, aliorumque Beneficiorum fructibus primi anni Romano Pontifici, sive Camerae Apostolicae solvuntur.

(1) reddituum beneficiorum, quas Romanus Pontifex pro ipsorum qualitate sibi reservat quando conferuntur; itemque spolia clericorum seu residua ex superfluis beneficiorum, quae viventes non expenderunt in debitos pios usus, aut ex vetita negotiatione acquisierunt; 3.° *praestationes extraordinarias*, uti fuerunt olim partes decimarum aliquando a S. Sede sibi reservatae; 4.° *taxas speciales*, puta quaedam jura pro expeditione bullarum, brevium, aut rescriptorum S. Sedi solvenda ob dispensationes vel facultates concessas, quae quidem speciales oblationes, saltem modicae jure meritoque a S. Sede exigi queunt, cum respondeant speciali ministerio in favorem aliquorum, sicut parochi, juxta superius exposita, jus habent a fidelibus exquirendi atque percipiendi praestationes speciales seu obventiones pro baptismo, matrimonio, sepultura, aliisque actibus vel sacramentalibus nonnullis specialissime ministratis.

His praejactis, memorata tributa et oblationes vel alia subsidia, quae in posterum nova forma praestarantur, Apostolicae Sedi triplici potissimum titulo debentur, scilicet, propter universalitatem *ministerii*, suprematiam *primatus* atque multitudinem *negotiorum*: 1.° propter *universalitatem ministerii*; quia cum Sancta Sedes in utilitatem totius Ecclesiae ministret, aequitati et justitiae valde consonum videtur omnes fideles ex cunctis orbis regionibus concurrere ad expensas ejus sustinendas: 2.° propter *suprematiam primatus*; etenim Romanus Pontifex Christi in terris Vicarius et supremus Hierarcha, conciliandi ergo suae altissimae auctoritati debitum honorem, sublimem majestatem et congruam veneratio-

(1) *Dimidiae annatae* vocantur praefatae pensiones seu quantitates ex redditibus beneficiorum Sanctae Sedi solvendae, quando portio determinata sita est in medietate fructuum primi anni. In Hispania autem per *dimidiam annatam* designabatur cessio portionis mediae reddituum primi anni mensae archiepiscopali et episcopali respondentium in favorem Regis ex concessione Benedicti XIV anno 1754 facta.

nem, sustinere cogitur Aulam et Familiam satis magnam et decoram, ut modo suo excelso gradui conveniente populorum oculis exponi queat; siquidem homo qui sensibilis est, inter sensibilia versatur, et per sensibilia judicat, rebus materialibus, cultu quodam externo et apparatu sensibili atque augusto indiget ad dignitates sublimes sua reverentia et obsequio prosequendas: 3.° propter *multitudinem negotiorum*; Summi namque Pontifices, quibus cura et sollicitudo totius gregis christiani jure divino demandata est, plurima Officia, Tribunalia et Congregationes Romae habere tenentur, ut prope innumeris negotiis ex universo orbe catholico ad ipsos delatis provideant, dubia et controversias ubivis gentium exortas solvant, fidei propagationem ac praestantissimum Missionum opus promoveant, necnon specialissimis necessitatibus Ecclesiarum particularium tamquam Pastores universales subveniant.

Jam vero cuique patet pro tot necessitatibus occurrendis tamque numerosis expensis sustentandis requiri media temporalia, et quidem cumulatissima, ideoque optimo jure oblationes et subsidia Romano Pontifici esse impertienda, qui ratione Primatus divinitus eidem collati omnium Ecclesiarum curam et sollicitudinem gerit, atque maxima onera et sumptus sustinere obstringitur.

112. Nobis reliquum est pro conclusione hujus capitis ostendere Ecclesiam, sicut jus habet dominium stabile acquirendi, ita etiam facultate potiri obtinendi jurisdictiones, sive supremas, sive subordinatas.

Nomine jurisdictionis in praesenti materia intelligitur auctoritas civilis seu potestas politica in determinato territorio; fatemur equidem et ultro concedimus: 1.° jus acquirendi dominia atque jus comparandi jurisdictiones discriminari in eo quod acquisitio dominii necessaria normaliter censeatur pro omnibus Ecclesiis, exercitium vero jurisdictionis in sensu nuper exposito

(exceptione facta Romani Pontificis, cui libera et independens jurisdictio seu civilis principatus est regulariter necessarius) minime putetur per se et generaliter necessarium, nisi aliquando et per accidens ob speciales rerum, temporum vel populorum circumstantias; 2.° Ecclesiae, spectato tantum titulo juris sui nativi, non competere rerum temporalium imperium.

Attamen, his duabus animadversionibus praehabitis, tuemur ac contendimus nullo pacto repugnare Ecclesiam titulo humano seu adventitio legitime acquisito jurisdictione pollere, atque civilem potestatem exerere in aliquam civitatem, regionem, principatum vel regnum; et sane, uti alibi fuse demonstravimus (1), nulla adest repugnantia in eo quod subjectum auctoritatis ecclesiasticae idoneum sit ut simul fiat subjectum auctoritatis civilis, dum e contra subjectum auctoritatis civilis per se capacitate aut idoneitate caret, ut possit fieri subjectum auctoritatis ecclesiasticae, quae veluti accessorie eidem adhaereat. Huc accedit luculentum Historiae testimonium, quae, factis notissimis ac comprobatis ex Germania, Hispania aliisque ditionibus Occidentis desumptis, nobis invictissime testatur Ecclesiam per suos Principes seu Episcopos veram jurisdictionem civilem, tum subordinatam, tum independentem, in aliqua territoria plus minusve ampla exercuisse, et per plurium saeculorum spatium assentientibus populis retinuisse.

---

(1) Tom. I, cap. III, art. IV, nn. 204 et 205.

ARTICULUS VI.

SUMMARIUM.

113. Dominium temporale Sanctae Sedis.—114. 1.ª Thesis: *Principatus civilis Romanorum Pontificum tum* «materialiter» *tum* «formaliter» *sumptus diverso tempore atque multiplici ex causa ortum habuit.*— 115. Origo *Dominationis temporalis.*—116. Praecipuae causae hujus eventus.—117. Origo *Principatus civilis.*—118. Quibusnam causis tribuenda sit Monarchia politica Romanorum Pontificum.

113. Quamvis de temporali Sanctae Sedis dominio sub quolibet respectu spectato tot egregii scriptores et insignes apologistae pertractaverint, ideoque prae manibus habeantur fere innumera et praeclara opera, quae in hoc argumento exponendo versantur (1); attamen ne videamur hujusmodi praestantissimam controversiam silentio praeterire, aliquid circa hanc tritam atque celeberrimam discussionem delibare cogimur, quippe agitur non modo de re mere historica aut politica, prout nonnulli immerito ac praepostere autumant, verum etiam de quaestione eminenter religiosa et juri-

---

(1) En elenchus praecipuorum operum hac de re pertractantium: Muzzarelli—*Dominio temporale dei Papi*; Gosselin—*Le pouvoir du Pape au moyen âge*, Paris. 1847; Miley—*Histoire des états du Pape*, vers. gall. Paris. 1851; Christophe—*Histoire de la paupauté pendent le XIV siècle*, 3 vol. Paris. 1853; *Histoire de la papauté au XV siècle*, 2 vol. 1862; Card. Mathieu—*Le pouvoir temporel des Papes*, Paris 1863; Pavy—*Exquisse d'un Traite sur la souveraineté temporelle du Pape*, Paris. 1866; Henricus De l' Espinois—*Le Gouvernement des Papes et les Révolutions dans les Etats de l' Eglise, d' après les documens authentiques, extraits des Archives du Vatican, et autres sources italiennes*, Paris 1865. Roskovàny, Episcopus Nitriensis—*Romanus Pontifex tamquam Primas Ecclesiae et Princeps Civilis e monumentis omnium saeculorum demonstratus*, 5 vol. Nitriae 1867; Jos. Brunengo S. J.—*Le origini della sovranità dei Papi*, Romae 1862; Dupanloup—*La Sovranità del Pontefice*, vers. ital. Romae 1861; Card. Manning—*Le Origini del Dominio temporale del Vicario di Gesù Cristo*, vers. ital. Romae 1862; Laventure—*Du pouvoir temporel du Pape devant l' enseignement catholique et l' histoire*, Tours 1866; Giuseppe Patroni—*Il dominio temporali dei Papi*, Siena 1883; Card. Michael Garcia et Cuesta—*Cartas á la Iberia.*

dica, cujus solutio ad Jus Publicum Ecclesiasticum proprie pertinet.

Sed cum limites nostrarum institutionum sermonem protrahere non sinant, pro munere nostro adimplendo claritati et brevitati simul consulentes quinque theses generales adstruendas et vindicandas curabimus, quibus veluti totidem tabulis synopticis methodice collecta inveniantur omnia, quae scitu et memoratu digna fuerint circa *originem, legitimitatem, necessitatem, perpetuitatem* et *restaurationem* dominii temporalis speciali Dei providentia Successoribus Petri collati.

114. 1.ª Thesis: *Principatus civilis Romanorum Pontificum tum* "materialiter„ *tum* "formaliter„ *sumptus diverso tempore atque multiplici ex causa ortum habuit.*

Pro finienda origine Monarchiae Pontificiae in antecessum praemonere oportet duo esse apprime et sedulo secernenda, uti ex ipsa thesis enunciatione liquet, si recte dignoscere velimus initium, evolutionem, constitutionem et actualem civilis Romanorum Pontificum potestatis statum, videlicet, elementum *materiale* et *formale*, factum et jus, praeparationem eventus ejusdemque consummationem, uno verbo dominationem temporalem Sanctae Sedis et acquisitionem dignitatis regiae, auctoritatis politicae supremae, imperii proprie dicti *(soberania)* vera independentia et pleno jurium in subditos exercitio instructi. Licet enim *dominatio* et *principatus* arctissimo nexu inter se connectantur, sicut causa et efectus; nihilominus perspicuitatis gratia distingui debent, eo quod semper adest differentia prioritatis, et facilior redditur explicatio hujus magni successus in Ecclesiastica Historia.

115. Dominatio temporalis. Dominatus Sanctae Sedis in nonnulla territoria, praedia et possessiones, etsi aliquo sensu in Pontificatu Romano semper viguerit, etiam ante pacem constantinianam, uti ex quam-

plurimis documentis evinci posset (1), saltem a saeculo IV certe ortum ducit. Ejusmodi temporalis Summorum Pontificum dominatio optimo jure quatuor potissimis causis tribui debet, nimirum, divitiis et patrimoniis Ecclesiae Romanae post pacem constantinianam, statui sociali ex dissolutione Imperii Romani tunc temporis vigenti, publicae populorum voluntati qui propter incursiones Barbarorum ad Episcopos Romae confugiebant, et copiosis Regum ac Principum largitionibus, devictis et subjugatis Longobardis.

116. *Patrimonia Ecclesiae.* Et primo quidem temporalem aliquam dominationem in Romano Pontificatu exstitisse ex eo eruitur, quod vel a remotissimis temporibus inveniamus Ecclesiam Romanam, ideoque ejus Pontifices, in quorum manibus erat Ecclesiae bonorum administratio ac distributio, divitiis abundasse, easque ad commune Ecclesiae commodum et fidelium utilitatem expendisse. Deinde tractu temporis, saevientibus adhuc paganorum persecutionibus, tum in Ecclesia Romana, tum in praecipuis Italiae urbibus atque illustrioribus Ecclesiis coepti sunt acquiri et possideri fundi et bona stabilia; quae cum in dies singulos mirabiliter augerentur, adeo dives evasit Ecclesia etiam antequam pace frueretur, ut plurima praedia numeraret. Demum post Constantini conversionem proventus Ecclesiae Romanae summopere excreverunt ex liberalitate pii Impe-

(1) Consulantur luculenta testimonia Dionysii Corinthiorum Episcopi in epistola ad Romanos scripta sub Pontificatu S. Soteri, et alterius Dionysii Alexandriae Antistitis in epistola etiam ad S. Stephanum Papam, ubi meminit Ecclesiae Romanae liberalitatis erga Syriam et Arabiam, quibus necessaria suppeditabat, uti videre est apud Eusebium (*Hist. Eccl.* lib. IV, cap XX, et lib. VII, cap. V); recolantur quoque apposite ad rem rescriptum Alexandri Severi pro christianis, Aureliani decretum contra Paulum Samosatenum, et celeberrimum edictum ab imperatoribus Constantino et Licinio, pace Ecclesiae reddita, publicatum, quae omnia documenta alibi protulimus pro vindicanda Ecclesiae ab ipsius primordiis potestate acquirendi et possidendi.

ratoris et successorum ejus, adeo ut pecuniae redirent ex fundis Italiae, Africae, Asiae, atque ex dissitis ad Euphratem provinciis; cum vero hi proventus ex longinquis provinciis orientalibus vix colligi possent, ob assiduas Barbarorum incursiones, quibus affligebantur, Imperatores eos commutarunt cum possessionibus positis in Sicilia, Calabria, Insubria, Liguria, Dalmatia, Sardinia, Corsica, Hispaniis, Africa, Galliis, praecipue vero in Italia usque ad Alpes Cottias; praemonere autem decet nonnullas istarum possessionum oppida, urbes atque etiam quosdam veluti principatus complecti, juxta explicitum Joannis Diaconi testimonium (1).

Nunc vero ejusmodi copiosae divitiae et ingentes possessiones, uti fas est colligere, non modo plurimum potentiae Pontificibus Maximis conferebant, sed etiam ex jure romano magnam auctoritatem ipsis tribuebant in colonos qui Ecclesiae patrimonia excolebant; inde factum est, ut Episcopi Romae in summam venerint potestatem etiam temporalem, quae regiae comparari posset; atque Sedes Romana ex tunc temporis haberetur tamquam centrum, ad quod undique confluebant Italiae incolae in calamitatibus, quibus passim vexabatur hujusmodi regio.

Status socialis. Everso Romano Imperio, societas illius infaustae aetatis tribus magnis calamitatibus affligebatur, nempe, publica necessitate, irruptione Barbarorum et punibili derelictione Imperatorum Orientis, ac proinde indigebat *benefactore* qui suppetias ferret, *salvatore* qui eam a crebris invasionibus liberaret, et *protectore* qui in hisce rerum adjunctis ordinem socialem tueretur et bono communi consuleret: hinc,*) cum in dissolutione Romani Imperii innumeris malis premerentur populi et quovis auxilio carerent, Episcopi erant

---

(1) *Vita S. Gregorii.* lib. II, cap. 53.

qui eorum curam suscipiebant et suis opibus atque auctoritate ipsis sucurrebant; id vero praesertim praestabant Romani Pontifices, teste locuplete Historia, ex qua constat S. Leonem Magnum thesauros impendisse in sublevandos fideles oppressos calamitatibus ex incursione Vandalorum, S. Gelasium in conditionem vere pauperem devenisse, ut indigentibus tribueret quod habebat, et praecipue S. Gregorium Magnum thesauros ecclesiasticos non modo Romae, verum etiam in omnes vel longinquas Christiani nominis provincias veluti effudisse; cujus rei tot documenta suppetunt, quot sunt ejus epistolae ad administratores seu *rectores* Ecclesiastici patrimonii scriptae, quibus ipsorum vigilantiam excitat, ut miserorum omnium indigentiis prospicerent atque consulerent, unde profecto Ecclesiae proventus appellari coeperunt *patrimonium* aut *res pauperum*: [b]) cum Barbari omnia devastarent, ac urbes et oppida sus deque verterent, populi naturali propensione et spontaneo sensu ducti Romanos Praesules suos liberatores et patres acclamarunt; erat enim in Episcopis Romae tum idoneitas imperii ad gentes salvandas, tum plena voluntas populo subveniendi; idoneitas imperii, quia Pontifices plurimum poterant et divitiis et morali auctoritate sive in barbaros seu hostes composcendos, sive in fideles, ut eos ad patriae defensionem et ordinis observantiam revocarent; erat insuper in Summis Pontificibus plena voluntas potestatem suam in bonum populi exercendi, quia, deficiente organizatione civili, ecclesiastica organizatio ejus vices supplet, quippe jus habeat societatem christianam salvandi; ita videmus opera S. Leonis Magni factum esse, ut Attila *(flagellum Dei)* a romanae urbis devastatione averteretur, atque Gensericus, qui Romam occupaverat, a vandalica demolitione dissuaderetur: [c]) cum demum populi Italiae in tot periculis constituti tantisque aerumnis undique oppressi ab Imperatoribus Orientis vel ab eorum Exarchis Raven-

natibus auxilium peterent, nullosque invenirent defensores vel longinquos et inefficaces, sibi relicti et omni praesidio destituti ad Romanum Pontificem sponte confugerunt, qui ob incuriam aut impotentiam Bizantinorum Imperatorum, curam politicam et temporalem Romae et vicinarum urbium gerere coacti sunt; nam Caesares Bizantini, suprêmi principes et defensores nati Italiae post victorias a Belisario et Narsete ducibus Justiniani super Gothos obtentas, sua ignavia et dessertione, defectu tum virium tum voluntatis, prorsus inhabiles sese redderunt ad populos sibi commissos tuendos, prouti Summorum Imperantium officium est.

Consensus populorum. Ex hac rerum perturbatione, quae post eversionem Romani Imperii undequaque invaluit, factum est, ut sensim sine sensu Pontifices Maximi primas partes obtinerent in supremo civitatis regimine, et populi spontaneo impulso et libera assentione eis deferrent et obsequerentur, ita ut magistratibus inferioribus quos eligebant, onus imponerent parendi Pontifici, qui vi hujus popularis consensus et voluntariae acclamationis non modo imperium in civitatem principem exercere coepit, verum etiam eadem auctoritate in plurimas vicinas urbes potitus est; etenim in illo reipublicae statu oculi omnium in Romanos Praesules convertebantur, adeo ut S. Leo Magnus postquam factus obviam Attilae Romam ac Italiam universam ab Hunnorum impendente clade liberasset, propter curam populorum Concilio Chalcedonensi adesse non potuerit, uti ad imperatricem Pulcheriam scribebat: *Quia rerum praesentium nimis incerta conditio a tantae urbis populis me abesse non sineret; et in desperationem quamdam animi tumultuantium mitterentur, si pro occasione causae Ecclesiasticae viderer patriam et sedem apostolicam velle deserere* (1); et S. Gregorius Magnus amarè quereretur

(1) Epist. XXXI, cap. IV. edit. Ballerin.

se non tam Pastoris, quam Principis personam agere: *Multis causarum fluctibus quatior, et tumultuosae vitae tempestatibus affligor, ita ut recte dicam:* "Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me"... *Quibus autem hoc in loco terrenarum rerum tumultibus premor, explere verbis nequeo* (1).

Largitiones Principum. Notum est Pipinum et Carolum Magnum Francorum reges, posteaquam Longobardos semel iterumque debellassent, non solum Romanae Ecclesiae restituisse territoria quae jam optimo jure possederat, *justitias S. Petri* nuncupata, sed etiam alia nova addidisse, videlicet Exarcatum et Pentapolim, quae justo bello a Longobardis receperant, frusta Imperatoribus Bizantinis reclamantibus, qui ob suam socordiam, desertionem vel impotentiam omne jus in provincias Italiae amiserant. His dominiis tractu temporis plures accessiones factae sunt ex liberalitate Successorum Caroli Magni aliorumque Regum et potentium Dominorum, praesertim vero celeberrimae Comitissae Mathildis, Principis Etruriae, quae Sedi Apostolicae addictissima S. Gregorium VII contra Henricum IV adjuvit, ac tandem sub finem saeculi XI suos Status Romano Pontifici donavit, quae quidem donatio temporale dominium S. Sedis plurimum auxit, et quamvis ab Imperatoribus Germaniae saepius impugnata fuerit, sub Rodulpho tamen definitive agnita est, cum ejusmodi Princeps de jure et de facto huic haereditati nuntium misit.

117. Principatus civilis. Potestas politica seu dignitas regia *(soberania)* Summorum Pontificum nonnisi ad saeculum VIII assurgit, anno siquidem 754 Romanus Pontifex coepit auctoritatem regiam et independentem cum potestate spirituali conjungere; atque ex eo

---

(1) Epistolar. lib. I, indiction. IX, epist. VII ad Anastasium Episc. Antiochenum.

tempore Principatus civilis Romanorum Praesulum usque in hodiernam diem jugiter perseveravit: diximus *usque in hodiernam diem*, quoniam, uti infra validissimis rationum momentis ostendemus, cum de praesenti ditionis pontificiae statu agamus, juxta recta juris principia adhuc viget monarchia temporalis seu civilis principatus Sanctae Sedis, ideoque assentire non possumus illorum opinioni vel sermoni, qui de eversione, extinctione aut abolitione hujus supremae auctoritatis religioso-politicae parum accurate et minus recte passim loquuntur.

Quod si a nobis sciscitetur quomodo Romani Pontifices, semel strata via per temporalem dominationem jugi progressione et diuturno quatuor saeculorum spatio acquisitam, ad regiam dignitatem, supremum regimen atque civile imperium pervenerint, maxime cum ipsi inscii et inviti essent, respondere haud haesitamus hoc factum perfectum fuisse gradatim ac pedetentim, impellentibus quibusdam rerum eventibus, regnorum mutatione, populorum vicissitudinibus et Principum concursu, quae omnia sine speciali Dei providentia nec fieri potuerunt nec explicari queunt.

Et sane, rem in concreto inspiciendo, huic miro eventui et singulari Monarchiae Pontificiae origini quatuor etiam causae assignari possunt, nimirum: agendi ratio Imperatorum Orientis, necessaria defensio ab incursibus Longobardorum, spontanea deditio et obedientia populorum, atque splendida munificentia Regum Francorum, aliorumque Principum erga Sedem Apostolicam.

118. *Ratio agendi Imperatorum.* Absque erroris formidine generatim asseri potest Graecorum dominium Italiae fuisse valde perniciosum, quia Caesares Byzantini hinc Romanis expoliandis totam curam ut plurimum impenderunt, et illinc, implorato in magnis pressuris et publicis calamitatibus eorum praesidio, nun-

quam populis suppetias tulere, sed punibili indifferentia et culpabili incuria eisdem respondere veriti non sunt, ut sibi consulerent meliori modo quo possent.

Et re quidem vera, ut melius appareat modus agendi quo usi sunt Imperatores, unaque clarius eluceat primordialis origo potestatis politicae, qua fruiti fuere Praesules Romae, sequentia facta memorare oportet: 1.° ex quo Imperator Constantinus sedem Imperii Constantinopoli constituit, nullus unquam amplius imperator Romae constitit, ita ut vel ipsi imperatores Occidentales aut Mediolani, aut Ravennae, aut alibi morarentur; 2.° Imperio Occidentali extincto ex invasione Herulorum, Gothorum aliorumque Barbarorum, Imperatores Constantinopolitani provincias italicas rexerunt per Exarchas Ravennae commorantes; sed istorum socordia aut ignavia negotia omnia publica et privata negligebantur, ita ut ad Romanos Pontifices curam paternam pro miseris et oppressis gerentes cunctae gentes et populi necessario confugerent; 3.° hisce rerum adjunctis adeo dificillimis, Romani Praesules, etsi adhuc auctoritatem imperialem agnoscerent, et subditos se illius profiterentur, tamen de facto immediate exercebant auctoritatem super populos, qui ultro se ipsorum potestati ac tutelae subjiciebant; etenim prorsus inutile erat subsidia ab Imperatoribus Bizantinis postulare, cum publicas reclamationes contemnerent, et urbes atque oppida omni praesidio destituta relinquerent; 4.° saeculo VIII ignavi et dolosi Caesares Constatinopolitani, cum in haeresim iconoclasticam delapsi essent, novis saevitiis Italos vexare coeperunt, ut eos ad suos errores profitendos cogerent; tunc magna seditio in Italia orta fuit, copiae Graecorum ejectae sunt, imagines Imperatorum vel publice ruptae vel in ignem traditae fuere, necnon de restaurando Occidentali Imperio actum est, et quamvis Pontifex Gregorius II populum sedavit, et prudentia ductus gravissimisque rationibus

innixus, sive religiosis ut Orientales ad fidei unitatem revocare posset, sive politicis ne restabiliret parvum imperium simul a Graecis et Longobardis impetitum, nondum excussit inutile ac vexatorium Byzantinorum jugum; tamen permisit negari Graecis tributa seu suspendi obedientiam, donec Ecclesiae reconciliarentur.

Defensio a Longobardis. In hoc rerum statu supervenerunt incursiones Longobardorum, qui sub Luitprando ipsorum rege terras omnes et possessiones Romanae Sedis invadebant, Romamque sibi subjicere adnitebantur, et Romani Pontifices qui tunc temporis, quamvis Imperantes Graecos adhuc agnoscerent, tamen, rerum adjunctis ita poscentibus de facto Principes erant, et longe lateque in magna Italiae parte dominabantur, in hoc tam magno discrimine versati ad Francos se converterunt, ut illa auxilia obtinerent, quae frustra ab Imperatoribus Graecis efflagitabant.

Et quidem ex Historia invictissime constant: 1.° Gregorius III ad Carolum Martellum nuncupatum legationem misit ad ipsius opem implorandam in tot angustiis quibus premebatur, donec S. Zacharias pacem iniit cum Longobardis, populusque Romanus ac finitimae urbes, pace obtenta, Pontificiae ditioni, quae de universo ipsorum bono et quiete merita erat, ultro se subjecerunt, quo facto Romani Praesules nihil ejusmodi cogitantes veri Principes atque publicae rei moderatores exstiterunt, ineuntes foedera ac de bello et pace decernentes; 2.° Stephanus II vestigia Gregorii III sui praedecessoris premens se ad Francos contulit, Alpibusque superatis Pipinum cognomento *Parvum* adiit ad ipsum inducendum, ut Romam caeterasque Italiae regiones jam sibi obnoxias a ferocissimi Astulfi seu Astolphi regis Longobardorum rapacitate liberaret, qui, occupato Exarchatu Ravennatensi, Romae sua arma inferre imminebat, ut ea pariter potiretur una cum pos-

sessionibus omnibus; Pipinus autem, convocatis regni totius primoribus, non solum promisit, verum etiam jurejurando se obstrinxit ea omnia recuperare, quae ab Astulfo ejusque praedecessoribus Apostolicae Sedî ablata fuerant, quam quidem juratam promissionem religiose adimplevit, semel ac iterum arma contra Astulfum capiendo, ipsum devincendo atque cogendo ad restituendum Romano Praesuli quidquid ei usurpaverat, nempe Exarchatum cum Pentapoli caeterisque urbibus eisdem adnexis; 3.° mortuo Astulpho atque Stephano II, nova invasio obvenit ob perfidiam Desiderii postremi Longobardorum regis tum Exarchatum, tum alias Sedis Romanae ditiones iterum aggredientis; at Carolus Magnus ab Hadriano I accitus in Italiam profectus est, et devictis Longobardis, omnia, quae a Pipino restituta aut donata fuerant Romano Pontifici, rata habuit, Desiderium exulem in Gallias ducens et Regnum Longobardicum evertens.

Deditio populorum. Quamquam, uti superius animadvertimus, populi ultro se ditioni ac tutelae Praesulum Romanorum subjecerunt aetate illa, qua Barbari suis frequentibus incursionibus omnia sus deque vertebant, depopulantes ac dilacerantes fragmenta Romani Imperii, quae Byzantinae dominationi adhuc suberant, quin Imperatores Graeci aut possent aut vellent ipsis opitulari, attamen haec spontanea deditio et voluntaria submissio populorum consummata est, cum, devictis et propulsatis Longobardis, libertas exstitit adhaesionem praestandi et obedientiam novis Dominis reddendi; tunc enim plures populi finitimi, nominatim vero Spoletini, Reatini ac incolae Istriae libenti animo, Episcopos Romae tamquam Principes agnoverunt; nam antea isti populi, licet *ardenter desideravere*, juxta testimonium Anastasii, Romano Pontifici subdi, timore detenti sunt regis Desiderii, qui omnia invadebat; sed statim ac Rex iste a Carolo Magno devictus fuit, "con-

festim, generaliter ad praefatum Almificum Pontificem confluentes advenerunt, ejusque provoluti pedibus obnixe sanctam ipsius ter beatitudinem deprecati sunt, ut eos in servitio B. Petri Sanctaeque ejus Romanae Ecclesiae susciperet, et more Romanorum tonsurari faceret„ (1).

Munificentia Principum. Tribus recensitis causis, quae nobis sat liquido detegunt veram Principatus Pontificii originem, adjicienda est Regum Francorum liberalitas, qui cum Barbaros armis subegissent, et ex eorum manibus eripuissent quae sibi usurpaverant a Romana Sede jamdiu juste possessa, eidem restituerunt quae ad ipsam spectabant, aggregantes provincias quas justo bello acquisierant, quasque sibi aequo jure vindicare potuissent, cujusmodi fuerunt territoria in Exarchatu Ravennate et Pentapoli comprehensa, quae, inito foedere seu pacto, B. Petro aut Romanis Pontificibus in perpetuum cesserunt, et ad nos usque sub denominatione donationis Pipini et Caroli Magni venerunt. Deinde accesserunt largitiones aliorum Principum, praecipue autem donationes celebris Comitissae Mathildis alias laudatae, cujus *Chartula* a Codice Rodulphino recognita et sancita legi potest apud Cajetanum Cenni in opere cui titulus—*Monumenta Dominationis Pontificiae*—, ubi prostrant collecta instrumenta publica et authentica, quae ad hoc argumentum referuntur.

En quidem origo, evolutio atque constitutio Principatus civilis Sanctae Sedis; devicto Astulfo anno 754 per Pipinum, et extincto anno 774 Regno Longobardorum per gloriosas Caroli Magni victorias, Romani Pontifices auctoritatem regiam ac independentem cum potestate spirituali conjunxerunt. Ex tunc temporis, licet non sine magnis rerum conversionibus insequentibus

(1) In Vita Hadriani.

saeculis peractis, continenti plus minus XII saeculorum tractu Successores Petri suprematia politica ex speciali Dei providentia potiti sunt; et quamvis hodiedum dominio temporali inique spoliati fuerint, hujusmodi temporanea, violenta et sacrilega occupatio impedire nequit, quominus Christi in terris Vicarii coram populis et gentibus regia dignitate et majestate imperii insigniti praefulgeant.

ARTICULUS VII.

SUMMARIUM.

119.— 2.ª Thesis: *Dominium temporale Successoribus B. Petri vinculatum omnimoda et perfecta legitimitate gaudet.*—120. Argumentum *philosophicum.*—121. Argumentum *historicum.*—122. An Patriciatus Romanus Pipino ejusque filiis collatus, vel Dignitas Imperialis Carolo Magno concessa jus Summorum Pontificum imminuerit.—123. Argumentum *juridicum.*—124. Argumentum *theologicum.*—125. Argumentum *ad hominem.*

119. Superiori articulo demonstravimus factis certissimis et authenticis documentis historicam dominii temporalis Sanctae Sedis originem esse tribuendam quoad Romam vicinasque civitates spontaneae populorum deditioni ortae ex eorumdem indigentia et Pontificis potentia ac benevolentia, quoad alias vero urbes atque ditiones splendidis Principum donationibus, populis quoque assentientibus et acclamantibus.

Modò autem nostri muneris est perpendere solidissima fundamenta, quibus innititur constitutio, possessio atque juge exercitium Principatus civilis Pontificio primatui vinculati, ut auctoritatem politico-religiosam, qua longo circiter XII saeculorum decursu potiti sunt Romani Praesules, vindicemus adversus omnes ejus osores et impugnatores, a Marsilio, Wicleffio, J. Hussio, caeterisque haereticis saeculi XIV in Concilio Constantiensi proscriptis usque ad Cavour recentioresque pseu-

dopoliticos ac usurpatores, necnon ipsorum assentatores et fautores, velut infelicem presbyterum Carolum Passaglia (1), ejusque societatem *Clerico-liberalem* a Pio IX in Syllabo § IV damnatam. Quod quidem perficiemus adstruentes ac propugnantes sequentem thesim: ***Dominium temporale Successoribus B. Petri vinculatum omnimoda et perfecta legitimitate gaudet.***

Veritatem enunciatae propositionis *philosophice, historice, juridice, theologice* atque *ad hominem* evincemus; enimvero, sive rationem consulamus, sive fastos historiae evolvamus, sive vulgares juris praescriptiones spectemus, sive theologica principia in memoriam revocemus, sive demum ipsam praxim seu modum agendi Principum dissidentium scrutemur, omnia et singula testimonia mirifice conspirant in tuenda ac constabilienda omnimoda ac perfecta Principatus civilis legitimitate, ita ut nullus fortasse Imperatorum Principumve possit legitimam sui imperii aut principatus potioribus titulis ostentare possessionem, qualem praesefert Romanus Pontifex, quem et Regem jure meritoque appellare et acclamare debemus.

120. Argumentum *philosophicum.* In primis enim recta ratio apertissime nobis ostendit nullam adesse repugnantiam in eo quod conjunctio potestatis spiritualis ac temporalis in uno eodemque subjecto habeatur, siquidem hujusmodi copulatio nec legi naturali, nec naturae rei seu rectae gubernationi, neque juri divino-positivo adversatur.

---

(1) Ex-jesuita C. Passaglia tristem celebritatem nactus est ob ejus furorem et amentiam in oppugnando temporali Romanorum Pontificum principatu; hac iniqua mente atque inepto conatu plures libellos edidit, nimirum: *Pro causa Italica ad Episcopos catholicos actore Presbytero catholico*, Florentiae 1861.- *La questione della indipendenza ed unità italiana dinanzi al Clero,* Firenze 1861.—*Obbligo del Vescovo Romano e Pontefice Massimo di risiedere in Roma quantunque metropoli del Regno Italico*, Firenze 1861.—*Della Scomunica: avvertenze di un prete cattolico*, Firenze 1861.—*Sul Partito Cattolico*, Firenze 1861. Videtur tamen resipuisse, uti ex retractatione postea Summo Pontifici oblata colligitur.

1.° Conjunctio utriusque potestatis in eodem subjecto legi naturali minime repugnat, quae omnium consensu nihil hac de re decernit, cum de statu accidentali agatur, qui potest esse et non esse in quolibet individuo: hinc vetare nequit quominus persona cultui sacro addicta, etiam in supremo hierarchiae gradu, temporalem potestatem sibi conjungat, aut principatum civilem cum vero imperio et plena independentia suscipiat; et quidem ex Historia liquet apud omnes fere antiquos populos utramque potestatem sacerdotalem et regiam in eadem persona obtinuisse: ita penes Aegyptios, Persas, Romanos, Graecos, aliasque quamplurimas gentes contigit, uti genuina antiquitatis monumenta explicite testantur (1).

Jam vero, si vetustissimi populi et ethnicae gentes solo rationis naturali lumine ducti ferme universim utramque potestatem sacram et civilem in uno eodemque individuo conjunxerunt, ita ut qui Sacerdotio insigniti essent, iidem etiam Rempublicam moderarentur, pronum est inferre, lege naturali tantum spectata, nullam inveniri repugnantiam in hujusmodi conjunctione.

2.° Ex hoc recte colligitur praefatam duplicis auctoritatis socialis et religiosae unionem nullo pacto reluctari ipsae rei naturae, id est, rectae civium gubernationi et publico societatis bono; nam, si adesset vera contradictio, numquam simul consistere potuissent duae istae potestates, prout a remotissima aetate apud populos gentiles evenit. Et re quidem vera, ratio et quotidia experientia nobis docent civilem ac religiosam potesta-

---

(1) Conf. pro Aegyptiis Platonem—*In Politico* pag. 183, atque Aelianum—Lib. XIV, *variae historiae*, cap. 34; pro Persis Agathiam — Lib. I, *Hist.*; pro Romanis Dionem—Lib. LIII. Opp. ed. Lips 1824, Vol. III, pag. 205; pro Graecis Homerum—*Iliad.* III, 282 et VII, 319, Synesium—Epist. 57, pags. 198, ac Petavium—*In Notis* p. 56 et Epist. 121; pro Gallis aliisque populis Lessium—*Defensio Potestatis Summi Pontificis*, Part. II, Sect. I, Prol. XII, necnon Albertum Fabricium—*Bibliographia Antiquaria*, cap. VIII, § 1, *Sacerdotes iidem ac reges.*

tem non modo esse ad invicem plene compatibiles, verum etiam arctissimo nexu et amico foedere inter se connecti; *ratio*, quia potestas spiritualis non solum ad bonum spirituale aut sanctificationem animarum directe ordinatur, sed etiam ad bonum temporale illi natura sua subordinatum, hoc est, ad felicitatem in hac quoque vita comparandam indirecte ducit; *experientia*, quoniam ex frequenti observatione fas est colligere in qualibet politica societate eatenus cives honestate morum, mutua jurium reverentia et religiosa officiorum adimpletione emicare, quatenus potestas sacra et ecclesiastica praevalet, suas nativas vires explicat, atque salutarem influxum in ordine sociali exerit.

3.° Denique consociatio politicae et religiosae potestatis in eadem persona juri divino-positivo non refragatur, quin etiam ex Sacris utriusque Foederis Litteris contrarium videtur conjici; etenim in Veteri Testamento nulla reperitur lex, qua prohibeatur laudata conjunctio, sed e contra in Genesi exhibetur exemplum Melchisedech, qui simul extitit Sacerdos et Rex, ac typus fuit Christi Domini juxta notissima verba: *Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* (1); habetur insuper factum luculentissimum Machabeorum, qui fuerunt Summi Sacerdotes et reipublicae judaicae Principes, et in hac dignitate perseverarunt usque ad Hircanum et Aristobulum, quos devicit Pompejus. Age jam, conjunctio utriusque dignitatis sacrae et civilis in eodem subjecto penes judaicum populum neutiquam obtinuisset, si quid contrarium hac super re in lege Mosaica haberetur,

Quoad libros Novi Testamenti, sive Evangelia consulamus, sive Apostolorum scripta evolvamus, ne verbum quidem reperiemus, in quo de conjunctione aut

---

(1) Ps. CIX, 4.

disjunctione potestatis sacrae et politicae sermo sit; nam omnes textus, qui ex Evangelio in contrarium adduci solent, ad rem non pertinent, quandoquidem in locis saepenumero ac inopportune allatis Christus dumtaxat suos discipulos hortatur ad fastum mundanum fugiendum, ad humilitatem consectandam, aliasque virtutes exercendas, prouti fuse ac scite ostendunt catholici expositores in suis eruditissimis Commentariis, cum ejusmodi sacra testimonia interpretantur.

Unum tantum compertum ac exploratum in Scripturis Novi Foederis habetur, nempe, Christum Jesum utramque potestatem Sacerdotalem et Regiam in sua divina Persona conjunxisse; ipse enim simul exstitit et Summus Pontifex et summus imperans, rex regum et Dominus Dominantium (1); de eo scripum est: *Postula a me et dabo tibi gentes haereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae* (2); et iterum; *Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* (3). Nunc vero, si in Christi persona, etiam prout homo fuit in his terris, utraque potestas consociata est, quid est, ab hostibus dominii temporalis et civilis principatus Romanorum Pontificum sciscitabimur cum praeclaro P. Perrone hoc de argumento luculentissime disserente (4), quid est, inquam, cur in ejus in terris Vicario ambae pariter potestates consociatae non habeantur?

121. Argumentum *historicum*. Quod si res historice spectetur, ratione habita tum exordii, tum progressus, tum denique dilatationis firmitatisque Pontificii Principatus, non minus dilucide quam sit legitimus apparebit; etenim, uti ex superius dictis elucet, temporale Sanctae Sedis dominium veluti sponte emersit, ac pedetentim

---

(1) Apoc. cap. XIX, v. 16.
(2) Ps. II, 8.
(3) Ps. CIX, 4.
(4) Conf. egregium opus, cui titulus: *De D. N. Jesu Christi Divinitate*, vol. III, sect. II, cap. V, art. II.

evolvi coepit, nihil de hac praepotentia politica cogitantibus aut suspicantibus Romae Episcopis, immo vero et renuentibus, unde recte asseri potest singulari eventuum concursu ac providentiali humanarum vicissitudinum ordinatione factum esse, ut Romani Praesules rerum potirentur.

Et sane, origo atque evolutio dominationis temporalis Pontificum a saeculo IV repetenda est, quo, pace per Constantinum Ecclesiae reddita, ipsorum auctoritas incipit apparere ac manifestari ob ingentes divitias et magna Ecclesiae Romanae patrimonia, praecipue vero propter copiosam Pontificum largitatem in pauperibus et egenis ex dissitis etiam regionibus sublevandis; ab aetate Constantini usque ad saeculum VIII ejusmodi potestas temporalis quotidie crescit, et majoribus ingruentibus publicis malis atque urgente necessitate ordinem socialem tuendi et curam populorum gerendi, qui propter frequentes Barbarorum invasiones undique affligebantur, magis ac magis explicatur, extenditur et roboratur; demum cessante Graecorum dominatione in romanas regiones, et everso Longobardorum regno per Pipini et Caroli Magni arma, tuuc primum coepit verus Romanorum Pontificum civilis Principatus, qui novis semper accessionibus auctus, ut alias animadvertimus, firmatus est saeculo VIII mediante, atque ad haec usque tempora perseveravit.

His leviter praejactis, meridiana luce patet nulla vi aut violentia, nulla usurpatione, perduellione, aut aliquo illegitimo medio Romanos Praesules adeptos politicam potestatem, sed paulatim, sensim sine sensu et publica necessitate adactos, necnon reluctantes, ad regiam dignitatem et culmen civilis imperii pervenisse, populis ultro sese eorum ditioni ac tutelae subjicientibus in illa magna calamitate, quae crebras Barbarorum incursiones subsequuta est (1).

(1) Apposite ad rem ait egregius Comes Maistrius in praeclaro

122. Cum vero nonnulli ad robur, firmitatem atque independentiam civilis Principatus inficiandam aut frangendam in medium afferre solent argumentum ex Romano Patriciatu regibus Francorum collato atque ex Imperiali Dignitate Carolo Magno concessa, ostendendum superest haec duo facta integritati Dominii Pontificii atque suprematiae potestatis temporalis minime officere.

Res comperta est Summum Pontificem Stephanum II Parisiis V. kal. Augusti Pipinum magna solemnitate Francorum regem et *Romanorum Patricium* consecrasse, atque eosdem titulos pari solemnitate contulisse duobus ejus filiis Carolo et Carolomanno; exploratum etiam est S. Leonem III Sacrum Romanum Imperium in persona Caroli Magni anno 800 restaurasse; sed non minus certum atque indubitatum habendum est concessionem Romani Patriciatus et instaurationem Dignitatis Imperialis in Occidente nullo pacto violasse aut imminuisse jus Romanorum Pontificum.

1.° Quoad *Patriciatum*, satis sit cum erudito P. Josepho Brunengo S. J. (1) animadvertere: [a]) titulum

---

opere *Du Pape*, cujus verba in nostra lingua proferimus ex versione hispanica anni 1824 desumpta: «No hay en toda Europa una soberanía más justificada, si se permite decirlo así, que la de los Sumos Pontífices: de la cual puede decirse como de la ley divina *justificata in semetipsa.* Pero lo que hay aun de más admirable, es ver que los Papas han llegado á ser Soberanos, sin apercibirse de ello y áun contra su voluntad. Una ley invisible elevaba la Silla de Roma; y puede decirse que el Jefe de la Iglesia Universal nació Soberano. Del cadalso de los mártires montó sobre un trono que entonces apenas se percibía, pero que se consolidaba insensiblemente, como todas las cosas grandes; y que desde su primera edad anunciaba ya una cierta atmósfera de grandeza, que lo rodeaba, sin que pudiese atribuirse á causa alguna humana. El Pontífice Romano necesitaba riquezas, y éstas crecían en sus manos: necesitaba de brillantez, y un cierto esplendor extraordinario salía del trono de San Pedro, en términos que ya en el siglo IV, segun el testimonio de San Jerónimo, uno de los más grandes personajes de Roma, Prefecto de la ciudad, decía en tono de burla: prometedme hacerme Obispo de Roma, y desde luego voy á hacerme cristiano.» Lib. II, cap. VI.

(1) *Le origini della sovranità dei Papi*, Part. I, capp. I et II, Roma 1862.

Patricii non aliam dignitatem, aut jus contulisse quam *defensoris* Ecclesiae Romanae; [b]) fuisse collatum a Pontificibus regibus Francorum, uti a potestate superiore inferiori; [c]) Reges Francos, velut patricios, professos fuisse fidelitatem et obedientiam Papae, atque hac de causa vocatos esse *Fideles Beati Petri.*

2.° Quoad *Dignitatem Imperialem* denuo restabilitam, praemonere oportet titulum Imperatoris nulla jura majestatica conferre in Romanam urbem, caeterasque ditiones Pontificias; etenim Imperator Occidentis medio aevo valde discrepabat ab antiquo Imperatore Orientis; nam hi erant monarchae proprie dicti in territorio cujus titulum imperialem gerebant; Imperator vero Romanus a Pontifice Leone III creatus habebatur tantum veluti defensor armatus christianae societatis in Occidente, et primus inter Occidentales Principes christianos, quin nullius territorii principatum hoc mero titulo obtineret, nisi jam aliunde habuisset.

Quamvis autem temporis processu corona germanica *(argentea* nuncupata) et italica (*ferrea* dicta) conjunctae sint cum dignitate imperiali, quia ille Rex eligebatur, qui dignus esset recipiendi a Pontifice coronam imperialem (*auream* appellatam); attamen civitas Romae atque caetera Pontificis dominia coronae germanicae aut italicae minime subjecta erant: hinc cum populus romanus Imperatoribus in ipsa coronationis caerimonia fidelitatem juraret, sequentem restrictionem adjiciebat—*salva fidelitate jam promissa Domino Papae*—; ex quo consequitur Romanos Pontifices esse Principes supremos, Imperatores autem defensores Papae et populi, atque honorem et reverentiam eisdem debitam omnino pendere a submissione per ipsos Romano Pontifici praestanda, necnon a fideli observantia in adimplendo munere Ecclesiam et Apostolicam Sedem tuendi adversus internos externosque hostes.

123. Argumentum *juridicum.* Ad probandum *juri-*

dice quam legitime ab Apostolica Sede obtineatur temporalis Principatus quo praedita est, satis superque nobis videtur recensere cum doctissimis scriptoribus Brunengo atque Perrone in praeclaris operibus superius laudatis praecipuos et firmissimos titulos, quibus Pontificia Monarchia fulcitur, videlicet: [a]) *politicam necessitatem*, quae lex suprema est, et moralem auctoritatem Romanorum Pontificum, eorumque ingens patrimonium, quo jamdiu potiebantur (1), ad populum salvandum a bellis, fame, pestilentia, magnisque calamitatibus, quibus premebatur prorsus derelictus ab Imperatoribus Bizantinis, indigens quodam regimine ac directione, quam recte dictaturam vel melius curam paternam nuncupare possemus; [b]) *postulationem expressam*, seu suffragium ac votum populi, illudque tranquillum, continuatum, spontaneum ac deliberatum generationum et generationum per continentia saecula; [c]) *possessionem diuturnam*, scilicet XIV saeculorum, qualem nulla in Europa Imperatorum, Regum aut Principum dynastia unquam habuit aut habet; hac ratione perillustris Comes Maistrius, cujus testimonium nuper attulimus, eam comparans cum divina lege, non haesitavit eidem applicare verba Psalmi XVII —*Justificata in semetipsa*—; [d]) *restitutiones* ac *donationes* Regum Francorum, depulsis Longobardis atque abolito Graecorum exarchatu, nimirum, Pipini, Caroli Magni, eorumque successorum opera, necnon caeterorum, qui deinceps hoc exemplum largitatis et munificentiae erga Apostolicam Sedem sequi libenter studuerunt.

Praeter recensitos titulos, quorum singuli de se perabunde sufficerent ad juridicam constituendam Prin-

---

(1) Ex monumentis indubiis a Cajetano Cenni collectis constat sub finem saeculi VI S. Gregorium Magnum possedisse viginti tria patrimonia in Italia, in Insulis Mediterranei, in Illyrico, in Dalmatia, in Germania atque in Galliis.

cipatus temporalis Romanorum Pontificum possessionem, prout sufficiunt ad alium quemcumque civilem ac politicum principatum legitime constituendum, si rem spectemus sub aspectu religioso, a quo equidem catholici praescindere nequeunt, adest etiam alius peculiaris titulus pro adstruenda legitimitate Regni temporalis Petri Successoribus concessi, nempe, ***specialis Dei providentia***. Enimvero, dum populus Romanus aliique finitimi eligerunt sibi Principem temporalem Romanum Pontificem, recte cogitari et asseri potest ipsos quodam divino instinctu permotos egisse, et maluisse degere sub Christi Vicario, qui personam Dei gerit, potius quam Principi tantum politico subjici aut rempublicam instituere: hac enim ratione singulari Providentiae ordini inservierunt, qua Deus complevit consilium suum de omnimoda autonomia ac independentia sui Vicarii in bonum totius Ecclesiae, ad quod haec ipsa independentia praeordinata fuerat.

Rem totam conficiemus luculentissimo Cardinalis Mathieu testimonio, qui in suo egregio opere de Potestate temporali Romanorum Pontificum (1) strenue asserit dominium civile Sanctae Sedis pro origine habuisse necessitatem, pro lege conscientiam, pro sociis benedictiones populorum, et pro plena justificatione historiae testimonium; ideoque ex ipsius sententia temporalis dominatio Romanorum Praesulum triplici jure innititur: jure gentium, seu jure populi derelicti; jure pactionum internationalium, vi cujus Reges Longobardi usurpatores dominia abrepta restituerunt Regibus Francorum, et victores promissione jurata eadem vicissim Romanis Pontificibus, antiquis Dominis, tradidere; jure denique belli justissimi ad incursiones Barbarorum rejiciendas et populos derelictos tuendos.

---

(1) *Le pouvoir temporel des Papes*, Paris 1863.

124. Argumentum *theologicum*. Quod si fontes sacrae theologiae perscrutari malimus, thesis quae perfectam liceitatem et omnimodam legitimitatem Principatus Pontificii adstruit, ad doctrinam catholicam pertinet; et sane Ecclesiae Catholicae sensus hac super re perspicue liquet ex damnatione errorum, ex iterata Conciliorum approbatione, ex unanimi Episcoporum consensione, necnon ex spontanea cunctorum fidelium manifestatione.

1.° *Damnatio errorum*. Ac primo quidem Romani Pontifices quovis tempore suprema sua auctoritate reprobarunt errores omnes, qui vel Principatum civilem a Successoribus Petri aperte excludebant vel saltem Pontifices per saecularem potestatem dominatione civili exspoliari posse asserebant: hinc; a) Joannes XXII Const. *Licet* die 23 Oct. 1327 sequentem articulum Marsilii Patavini et Joannis de Janduno damnavit: "Quod omnia temporalia Ecclesiae subsunt Imperatori, et ea potest accipere velut sua"; b) Concilium Constantiense sub Joanne XXIII anno 1414 ejusmodi J. Wicleffii articulos anathematizavit: 10—"Contra Scripturam sacram est, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones"—; 16—"Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia"—; 33—"Sylvester Papa et Constantinus imperator errarunt Ecclesiam ditando"—; 36—"Papa cum omnibus clericis suis possessionem habentibus sunt haeretici, eo quod possessiones habent, et consentientes eis, omnes videlicet domini saeculares et caeteri laici"—; 39—"Imperator et Domini saeculares sunt seducti a diabolo, ut Ecclesiam ditarent bonis temporalibus"—; c) Pius IX in Sillabo a se edito has propositiones proscripsit: XXVII —"Sacri Ecclesiae ministri Romanusque Pontifex, ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi"—; LXXV—"De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianae et catholicae Ecclesiae filii"—.

2.° *Approbatio Conciliorum.* Praeter decreta Summorum Pontificum, quamplurima Concilia, sive generalia, sive particularia, principatum civilem Sanctae Sedis non solum agnoverunt veluti rem plane licitam et possessionem prorsus legitimam, verum etiam speciali sanctione illum munierunt ac roborarunt; inter ea recenseri merentur: [a]) octo oecumenica Concilia interea temporis celebrata, nimirum, quinque Lateranensia, Constantiense, Florentinum ac Tridentinum, ex quibus tria, nempe, Lateranense IV, Constantiense et praesertim Tridentinum (1) curam defensionemque bonorum Ecclesiae, necnon dominationis temporalis Apostolicae Sedis speciale patrocinium susceperunt; [b]) particularia Pontigonense et Ravennatense de patrimonio Romano exprofesso pertractantia; [c]) Concilia Romana IV, V et VII sub S. Gregorio VII convocata contra defraudatores et invasores Patrimonii B. Petri; [d]) fere omnia Concilia provincialia in universa Europa hac novissima aetate habita, quae dominium temporale et civilem Romani Pontificis potestatem tuentur tamquam pignus libertatis et tutamen independentiae Sanctae Sedis.

3.° *Consensio Episcoporum.* Pontificiis Constitutionibus et Conciliaribus Decretis accedit formalis atque unanimis Episcoporum totius orbis consensus, cujus mirabilis conformitatis praeclarum et luculentum testimonium nobis praebent: [a]) declaratio edita an. 1848-1850 pro primatu et temporali ditione Romani Pontificis atque Pio IX Cajetae exulanti praestita; [b]) alia publica declaratio, quae ab omnibus Episcopis Romae anno 1854 occasione Canonizationis quinque Beatorum congregatis Venerabili Christi Vicario oblata est; [c]) altera solemnis declaratio, quae etiam Romae anno 1867 facta est per plus quam quingentos Episcopos, qui ex remotis-

(1) Sess. XXII *de Ref.* cap. XI.

simis regionibus convenerant ad commemoranda saecularia solemnia martyrii BB. Petri et Pauli.

4.° *Manifestatio fidelium.* His addenda est spontanea manifestatio et universalis populi christiani conspiratio in adstruendo ac vindicando civili principatu Romanorum Pontificum; hujusmodi sincera professio ac publicum testimonium christianae plebis evidenter patet: a) ex prope innumeris epistolis, egregiis opusculis atque integris tractatibus hoc de argumento a viris litteratis et doctis laicis confectis editisque; b) ex generosa et splendida oblatione, quae sub nomine *oboli Sancti Petri* jamdiu Apostolicae Sedi fit; c) ex voluntario atque spontaneo concursu strenuorum ducum ac militum undique in Civitatem Aeternam confluentium ad suppetias ferendas periclitanti sacro ejusmodi principatui, qui omnes pro hac causa sanguinem vitamque profundere cupiebant, et reapse semel iterumque copiose ac generose effudere (1).

Ex dictis plane consequitur, exceptis fidei dogmatibus, nullum aliud doctrinae caput reperiri, in quod solemni adeo ratione, atque iteratis actibus Ecclesiae Catholicae consensus appareat, uti in temporalem S. Sedis principatum, cum Romani Pontifices, Concilia, Antistites, Clerus, populusque fidelis idem una voce profiteantur.

125. Argumentum *ad hominem.* Demum, thesis enunciata luculenter confirmatur ipsa adversariorum sentiendi et agendi ratione; dum enim ipsi in Christi Vicario conjunctionem Summi Pontificatus cum civili regimine respuunt, eo quod ex eorum sententia repugnan-

---

(1) Qui cognoscere velit sensum universi orbis catholici circa hoc doctrinae caput adeat atque evolvat magnam collectionem XI voluminibus conflatam et Romae annis 1860 et 1864 editam, ubi continentur non minus 1077 documenta tum Episcoporum, tum cleri, tum fidelium pro defensione dominii temporalis S. Sedis, quibus equidem ex tunc temporis longa appendix adjici posset.

tiam importat, in saeculi Principibus hanc ipsam unionem agnoscunt, proclamantes tum *theorice* tum *practice* imperialem aut regiam potestatem una consistere posse cum pontificali dignitate ac spirituali auctoritate: *theoretice*, quippe notum compertumque est non modo protestantes, verum etiam pseudopoliticos totis viribus propugnare Principibus competere *jus in sacra*, uti effutire solent; *practice*, quoniam Regibus et Supremis Magistratibus exercitium utriusque potestatis tribuunt, ac veluti licitum et omnino legitimum admittunt atque defendunt.

Enimvero, omnes norunt in Anglia reginam Victoriam ex constitutione Imperii Britannici potestatem spiritualem seu pontificiam sibi arrogare sive ad leges circa fidem, mores ac disciplinam condendas, sive ad Episcopos eligendos, eisque jurisdictionem conferendam, necnon ad ipsos deponendos, prout factum est quoad Episcopum anglicanum Colenso; pariter exploratum est Autocratorem Russiarum universas Imperii sui Ecclesias regere ac moderari per Consilium permanens Synodale Petropoli sub ejus suprema auctoritate et praesidentia constitutum; denique idem asseri potest de aliis plurimis protestantium Principibus, penes quos residet summa potestas super Ecclesias locales Principatuum aut Regnorum, quibus praefecti sunt, ita ut per suos ministros dominantur Consistoriis, Conciliabulis, caeterisque ecclesiasticis coetibus praesident, omniaque religiosa negotia judicant ac dirimunt.

ARTICULUS VIII.

SUMMARIUM.

126. 3.ª Thesis: *Principatus civilis Romanorum Pontificum in praesenti societatis conditione necessarius est ad plenam et evidentem Sanctae Sedis libertatem.*—127. Praenotanda.—128. Rationum momenta quae pro thesi enuntiata militant.—129. Testimonium historicum. —130. Jus ecclesiasticum.—131. Sensus traditionalis.—132. Praestantissima corollaria.

126. Adumbrata origine et probata legitimitate dominii temporalis Sanctae Sedis, controversiam omnium praestantitsimam nunc aggredimur; inquirendum enim venit, utrum civilis Romanorum Pontificum principatus sit vere necessarius ad plenum et liberum auctoritatis sacrae usum, vel an Successores B. Petri potestatem spiritualem recte exercere possint absque politico et temporali imperio.

Age jam, solutio hujus quaestionis in promptu est, quippe de re plane comperta et explicite declarata agitur; ideoque ab exordio hujuscemodi disquisitionis plenissima convictione et sine ulla haesitatione asserimus ac contendimus independentiam Romani Pontificis, quovis tempore necessariam ad Ecclesiam juxta mentem sui divini Fundatoris regendam ob innumera pene incommoda, quae in exercitio potestatis spiritualis sequi possent ex ejus subjectione politicae potestati, hodiedum praesertim, spectato actuali societatis statu et conditione, omnino postulare possessionem civilis Principatus seu supremum dominium temporale; pro nostra assertione vindicanda catholicam doctrinam hac speciali thesi enunciamus: ***Principatus civilis Romanorum Pontificum in praesenti societatis conditione necessarius est ad plenam et evidentem Sanctae Sedis libertatem.*** Veritatem hujus propositionis ratione naturali, testimonio

historico, ecclesiastico jure atque sensu traditionali invictissime ostendemus.

127. Antequam recensita argumenta in corroborationem catholicae veritatis exponamus, aliquid praemittere opus est ad rectam thesis intelligentiam.

1.° Dum *necessarium* nuncupamus temporalem Sanctae Sedis dominatum, loquimur de necessitate mere morali ac relativa, non vero de necessitate metaphisica et absoluta; si enim res absolute spectetur, notum est Ecclesiam ejusque visibile Caput Romanum Pontificem ope materiali et humana haud indigere, quandoquidem pro se habent divinas promissiones perpetuitatis atque indefectibilitatis, adeoque etsi deficerent omnia humana praesidia et ingruerent undequaque damna, pressurae et insectationes, Ecclesia et Apostolica Sedes adhuc perseverarent, sicut firmae et immobiles exstitere tribus primis saeculis, in quibus Deus voluit Ecclesiam propagari et conservari quocumque humano auxilio destitutam, ut ita cunctis pateret ejus divinitas. Sin vero res sub aspectu morali et relativo inspiciatur, hoc est, quatenus mens ac voluntas Christi in societate religiosa pro hominibus instituenda ejusmodi fuit, ut Ecclesia a se condita normaliter procederet atque subsidiis humanis uteretur, necnon relative ad circumstantias seu pro temporum ac rerum adjunctis sibi ordinate procuraret omnia quae necessaria vel opportuna essent ad tutiorem et expeditiorem sui finis consecutionem, in hoc sensu inficiari nequit necessitas regni temporalis, ut *hic et nunc*, nempe, praehabita et rite perpensa divisione gentium christianarum in plura regna, S. Sedes vera et omnimoda libertate fruatur.

2.° Subjungimus ad *plenam* et *evidentem* S. Sedis libertatem, tum quia requiritur ut omnes sine impedimento ad Christi Vicarium accedere valeant cum eoque communicare, et ipse simul suam voluntatem omnibus manifestare queat absque ullo periculo pro se

suisque officialibus, tum etiam quia oportet Summus Pontifex pro utili gestione Supremi Pontificatus non modo sit plene liber, ut in singulis negotiis statuat quidquid objective justum et magis expediens fuerit, sed insuper evidenter liber appareat, ut ita ejus regimen plene efficax evadat pro bono christiani gregis et salute animarum.

3.° Usurpantur in thesi haec verba *in praesenti societatis conditione*, ut in memoriam omnium revocemus actualem politicae potestatis statum, ex quo equidem multo magis patescit necessitas independentiae S. Sedis; etenim, hodie populo Christiano in tot peculiares nationes, in tot regna et imperia distracto, fieri nequit ut Romanus Pontifex pleno jure, seu eá qua decet libertate, ei in spiritualibus provideat. Et quamvis unicum esset regnum christianum, quod orbem saltem civilem universum complecteretur, etiam tunc temporis atque in hac hypothesi Romanus Pontifex potentiori regno egeret, ut de facto liber esse posset; plura enim pati cogeretur a rege vel imperatore christiano, cum ejusdem illicitis decretis sese opponere deberet, prout ostendit historia ipsa Romani Imperii post pacem Ecclesiae redditam; nam licet sub piis Imperatoribus servata fuerit erga Pontificem Maximum debita reverentia, tamen omnibus innotescit sub Regibus aut Principibus impiis vel minus piis plures Romanos Pontifices in exilium actos, in carcerem detrusos, vel ipsam mortem quoque subiisse.

128. Probatio *rationis.* Hisce praemonitis, veritatem catholicae assertionis validissimis rationum momentis ex jure naturali sumptis evincere satagemus.

In primis enim, nemo est nec dici potest plene ac evidenter liber, nisi immunis prorsus habeatur ab aliorum dominio et sibi sit plene sufficiens; atqui ejusmodi absoluta immunitate et plena sufficientia tantum gaudere potest ille, qui de facto seu effective princeps est

status seu territorii alicujus extensionis, ratione habita principatuum circumstantium; igitur ad plenam et evidentem libertatem requiritur actualis et effectiva possessio principatus veri nominis.

Major hujus argumenti per se patet; minorem autem facili ratiocinatione probamus: qui vero principatu seu effectivo imperio in aliquem statum aut territorium non pollet, quamvis personali immunitate et regio honore insignitus supponatur, vere et proprie censetur constitutus sub potestate illius qui in territorio dominatur; ideoque neque plena, neque evidenti libertate fruitur; non *plena*, quia ad summum gauderet libertate quadam precaria et momentanea, minime vero stabili, tuta et permanente; nec *evidenti*, etenim semper suspicari vel temeri posset vis, coactio seu pressio principis territorialis, qui contra reliquos influere vellet vel sui gratia vel foederatorum suorum. Insuper in propositione minori affirmavimus ad completam immunitatem plenamque libertatem requiri principatum cujusdam momenti seu magnitudinis; secus enim, si nimis exiguum et limitatum esset relate ad statum finitimum vel viciniores ditiones, perinde esset ac si potestati Principum aut Regum adfinium subderetur, cum data occasione vel quolibet obtentu illius independentiae atque integritati isti facillime attentare auderent.

Deinde, si Romanus Pontifex non esset Princeps supremus, etiam in ordine temporali prorsus independens, necessario subditus deveniret alicujus imperantis; nunc vero, in tali conditione constitutus, nullo pacto prospicere posset Ecclesiae bono in regionibus sub alterius ditione positis, et hoc quidem triplici potissimum capite: a) ex defectu *submissionis*, nam ob perpetuas fere simultates et magnam zelotypiam, quae inter saeculi Principes vigere solent, fieret, ut isti obtemperare renuerent, obtendentes influxum sive directum sive indirectum Gubernii, sub quo degeret, in actibus quos

contra se exerceret; [b]) ex defectu *communionis*, siquidem non solum detrectaretur obedientia actibus et decisionibus Summi Pontificis, verum etiam undique exsurgerent gravissima et jugiter imminentia schismatum pericula, cum nullum gubernium pateretur, ut Ecclesiae supremum Caput alicui peculiari Principi obnoxium super se exerceret suam auctoritatem; exinde emergerent plures Christianitates locales et innumerae Ecclesiae nationales, prout factum est et adhuc fit in regionibus protestantibus a se invicem politice separatis, ac proinde in Ecclesia locum haberet idem quod apud ditiones et gubernia Protestantium obtinet, nempe, quod illius sit religio, cujus est regio; [c]) ex defectu *libertatis*, etenim, si quando gubernium ipsum, sub quo Pontifex degeret, iniquum ac malae fidei esset, veluti non semel contingit, compedes et manicas ferreas Christi Vicario tyrannice atque sacrilege injicere posset ad impediendum potestatis spiritualis exercitium, aut ad eum cogendum, ut ea praestaret, a quibus ipse abhorret, vel etiam ad illum exilio carceribusque mulctandum, si perversi Gubernii voluntati non acquiesceret. Et sane, cum anno 1849 Pius IX Neapoli moraretur, factiosis Romam occupantibus, Constitutionem emisit, qua damnabat istorum perniciosam agendi rationem; factiosi autem reponere ausi sunt nullius valoris esse ejusmodi actum, utpote sub aliena dominatione emissum, sub cujus influxu versabatur.

129. *Testimonium historicum.* Ecclesiastica Historia nobis etiam aperte edisserit necessitatem Potestatis Pontificiae temporalis, tum ante constitutionem civilis Principatus saeculo VIII perfectam, tum post acquisitionem regiae dignitatis, qua Romani Praesules ornati sunt a dimidio saeculi VIII per duodecim continentia saecula.

Ante originem formalem et definitivam ditionis Pontificiae creationem, quae saeculo VIII (an. 754) fa-

cta fuit, satis erit ecclesiasticos annales levissime evolvere, ut cunctis innotescant gravissima incommoda atque innumera damna provenientia ex civili dominatu super Romanum Pontificem, non solum luctuosissima persecutionum aetate sub Romanis Caesaribus, verum etiam post pacem Ecclesiae datam sub Imperatoribus Christianis. Nemini equidem ignorare licet vexationes, quas Romani Pontifices perpessi sunt sub ipso etiam Constantino, qui adegit Alexandrum ad communicandum cum Ario; deinde vero sub Constantio ejus filio, sub Valente, sub Arcadio, sub Theodosio juniore, sub Constante, sub Justiniano I, caeterisque per plura saecula; nullum etiam in Historia mediocriter versatum latere potest Summos Pontifices sub Gothorum dominatione, praesertim vero sub Theodorico aliisque Principibus omni sub respectu exagitatos fuisse, aut in exilium actos, aut necatos, eo quod sua sacratissima munera adimplere maluerint, quam eorum placitis atque iniquis exactionibus indulgere.

Postquam vero Episcopi Romae regiam dignitatem et imperium politicum supremum et proprie dictum adepti sunt, omnes B. Petri Successores a Stephano II usque ad Leonem XIII, inter tot perturbationes, vicissitudines et insectationes, uti longo duodecim saeculorum tractu evenerunt, civilem Santae Sedis Principatum indefessa sollicitudine atque apostolica firmitate vindicandum, tutandum ac constabiliendum curarunt.

Enimvero, Leo III deportatus est Spoletum; Leo V depositus et in custodiam inclusus; Joannes XII et Joannes XIII coacti sunt aufugere ab Urbe Roma; Benedictus V ductus est in Germaniam; Benedictus VI conditus in carcerem et a factione interfectus; Joannes XIV fame periit in arce S. Angeli; Gregorius V, Benedictus VIII et Benedictus IX ex sua Metropoli digressi sunt; Leo IX exauctoratus a Normannis; Gregorius VII, strenuus defensor libertatis et jurium Ecclesiae, nullibi

tuto consistens, tandem in exilio extremum diem obiit; post hunc, in eamdem sortem incurrit Paschalis II, qui in manus incidit Henrici V; Gelasius in Gallis explevit suum Pontificatum; Eugenius III se subtraxit ab Arnaldo Brixiensi; Alexander III in carcerem detrusus est eodem consecrationis die, et annis septem extra Romam commoratus est; Urbanus III et Gregorius VIII nequeunt ejusdem possessionem capere; Lucius III se recipit Veronam, Gregorius IV Perusiam, Innocentius IV Lugdunum; Bonifacius VIII Anagniae capitur; Alexander VI Viterbium se confert; non pauci Pontifices per annos ferme septuaginta Avenione exularunt; Urbanus VI, Innocentius VII, Gregorius IX, Joannes XXIII Januae degunt; Pius VI in Gallias deportatus obiit Viennae in Delphinatu; Pius VII diu exilium et carcerem sustinuit; Pius IX Neapolim confugere compulsus est; demum Leo XIII hodiedum in Vaticano captivus retinetur.

Attamen, res quidem non tam singulari admiratione quam profunda significatione digna, post tot varietates et crebras rerum conversiones, Principatus civilis Apostolicae Sedis ob invictam Romanorum Pontificum patientiam, fortitudinem atque constantiam ad nos usque perseveravit, et adhuc perdurat, prout posteriori articulo patefiet, tamquam publicum, universale ac perenne monumentum necessariae independentiae, qua *politice* frui debent Christi Vicarii, ut *religiose* potestatem spiritualem plena libertate exercere valeant.

130. *Jus ecclesiasticum.* Eadem veritas elucescit, si explicita Ecclesiae doctrina et venerabilia Apostolicae Sedis decreta toties repetita consulantur, uti sequentes insinuationes plane ostendunt:

a) Ex Constitutione *Admonet* a S. Pio V anno 1567 edita, novus Papa juramento obstringitur non infeudare civitates, oppida et loca S. Romanae Ecclesiae, et post suam coronationem idipsum datis litteris confirmare; consulentes infeudationes, vel per se vel per alios, ex-

comunicantur, rei laesae majestatis declarantur et eo ipso incurrunt in confiscationem omnium bonorum, dignitatum atque beneficiorum; Cardinales S. R. E. in assumptione pilei et Sede Vacante jurejurando etiam promittunt se servaturos praedictam Constitutionem, nec Pontifici contravenienti consensuros, neque dispensationem ab hoc juramento petituros aut oblatam acceptaturos; statuitur insuper feuda vacantia non esse rursus aliis concedenda.

b) Omnia et singula quae per S. Pontificem Pium V decreta et praescripta sunt, confirmata habentur a Sixto V Const. *Quanta*, a Gregorio XIV Const. *Quae ab hac sancta Sede,* necnon a Clemente VIII et Urbano VIII Const. *Ad Romani Pontificis curam* die 26 Junii 1592 expedita.

c) Inter quamplurimas Encyclicas et Allocutiones Summorum Pontificum quae hac de re afferri possent, praecipua laude et singulari mentione recenseri merentur insequentia Pii IX luculenta documenta: Litterae *Cum catholica Ecclesia* 26 Martii 1860, in quibus laudatus Pontifex declarat: "Singulari divinae providentiae consilio factum esse, ut romanus Pontifex quem Christus Ecclesiae suae caput centrumque constituit, civilem assequeretur principatum„; Allocutio *Maxima quidem* 9 Junii 1862, ubi docet: "illum necessarium esse ut idem nulli unquam principi aut civili potestati subjectus supremam dominici gregis universi pascendi, regendique potestatem auctoritatemque ab ipso Christo Domino divinitus acceptam, per universam Ecclesiam plenissima libertate exercere ac majori ejusdem Ecclesiae et fidelium tum utilitati ac indigentiis occurrere possit„; Syllabus, in quo reperiuntur damnatae hae duae propositiones: XXVII—"Sacri Ecclesiae ministri Romanusque Pontifex, ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi„—; LXXVI—"Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Eccle-

siae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret„ —; denique Bulla *Apostolicae Sedis* 12 Octobris 1869, in qua sub num. XII iterum innovatur excommunicatio latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservata contra "Invadentes, destruentes, detinentes, per se vel per alios, Civitates, Terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes supremam jurisdictionem in eis; necnon ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes„.

Praetermittimus recentiora Leonis XIII gloriose regnantis testimonia, cum frequentissimae et omnibus notissimae sint publicae Litterae et praeclarae Allocutiones, in quibus sapientissimus Pontifex jugiter asserit necessitatem Principatus civilis.

131. *Sensus traditionalis.* Demum, argumentis superius adductis adjicienda est conspiratio totius Christiani orbis in asserenda libertate Summi Pontificis, tuendoque temporali ac civili dominio Statuum, qui ad eum pleno jure pertinent, in bonum Ecclesiae ac religionis.

Ejusmodi universalis consensus primum colligitur ex unanimi episcopatus sententia mirifice exposita in voto, quod hac de re Episcopi magno numero Romae degentes anno 1862 Summo Pontifici Pio IX obtulerunt, et cui caeteri per orbem dispersi Antistites firmissimum assensum praestitere; ita enim disserte ac strenue ad magnum Pontificem Pium IX alloquebantur: "Civilem Sanctae Sedis Principatum ceu quiddam necessarium, ac providente Deo manifeste institutum agnoscimus: nec declarare dubitamus, in praesenti rerum humanarum statu, ipsum hunc principatum civilem pro bono ac libero Ecclesiae animarum regimine omnino requiri. Oportebat sane totius Ecclesiae Caput, Romanum Pontificem, nulli Principi esse subjectum, immo nullius hospitem, sed in proprio dominio ac regno sedentem, suimet juris esse, et in nobili, tranquilla et alma liberta-

te catholicam fidem tueri ac propagare, totamque regere et gubernare Christianam Rempublicam„ (1).

Caeterum, eadem totius orbis catholici mira concordia in profitenda et proclamanda necessitate dominii temporalis S. Sedis manifeste etiam eruitur ex communi atque spontaneo suffragio populi Christiani, qui sensa sua erga civilem Romanorum Pontificum principatum, ejusque libertatem ac independentiam multiplici ratione revelavit; praesertim vero, per protestationes et declarationes una cum Clero ad Summum Pontificem directis occasione invasionis ditionum Ecclesiasticarum; per innumera prope scripta et epistolas, ex coetu laicali cujusvis ordinis patriciorum et plebis profectas; per *obolum* S. Petri dictum atque ex universi mundi partibus, vel etiam remotissimis Orientis ac Occidentis regionibus Romano Pontifici oblatum sive ab individuis, sive ab adsociationibus, tum a divitibus, tum a pauperibus; per subscriptiones, gloriosa epitheta et sententias vere admirabiles, amore ac pietate plenas, quibus fideles oblationes suas adornarunt; per consociationem seu apostolatum precum; postremo per pias foederationes et congressus ad Romani Pontificis jura tuenda in praecipuis urbibus institutos.

132. Ex argumentatione hactenus exposita, jure naturali innixa, testimonio historiae corroborata, jure ecclesiastico sancita et unanimi totius orbis catholici consensu firmata, pronum est inferre quatuor conclusiones seu corollaria magni momenti, ad quae veluti synthesim et summam revocari possunt omnia quae de hac praestatissima controversia hucusque disputavimus.

---

(1) Conf. *Declaratio Antistitum nomine totius episcopatus catholici coram Summo Pontifice facta die 9 Junii 1862,* in Appendice Romae 1864 apposito ad calcem magnae collectionis monumentorum, quam ab anno 1860 evulgavit Civiltà Cattolica suis typis sub titulo: *La Sovranità temporale dei Romani Pontefici propugnata nella sua integrità dal suffragio dell' Orbe cattolico, regnante Pio IX.*

1.um Ecclesiae, ejusque supremo ac visibili Capiti, Romano Pontifici, saltem in praesenti societatis statu, non modo maxime conveniens, sed etiam vere necessaria est absoluta independentia et plena libertas per temporale dominium seu civilem regimen; hoc enim sublato, conditio Ecclesiae et Pontificatus esset summopere precaria, et certissime in oppressionem, vexationem atque servitutem verteretur, prouti hodierna die infauste contingit post iniquam ac sacrilegam ditionum Ecclesiasticarum direptionem.

2.um Potestas suprema et independens, qua etiam in ordine civili frui debent Christi Vicarii, habita ratione suae destinationis ac relationum, censenda est ceu res sacra, atque sub hoc respectu quaestio quae circa dominium temporale Sanctae Sedis agitatur, non est nec vocari potest mere politica, sed vere ac maxime religiosa existimanda est, quamvis pars materialis seu subjectum sit in se politicum.

3.um Deus singulari et sapientissima Providentia huic maximae convenientiae atque supremae necessitati per Principatum consulit, quo Romani Pontifices per duodecim plus minus continentia saecula potiti sunt; ejusmodi temporalis dominatio ac civile imperium Petri Successoribus constituit Ecclesiae patrimonium et monarchiam haereditariam, quae quidem monarchia ratione temporis quocumque alio regno nobilior est; nec huic haereditario patrimonio quippiam detrahi potest absque sacrilego crimine et aperta justitiae laesione.

4.um Potestas civilis ac temporalis S. Sedis exercitio auctoritatis religiosae et spiritualis Summorum Pontificum minime obstat, sed potius eam summopere juvat ac fovet; ideoque tot clamores et vanae declamationes contra dominationis Pontificiae jugum et malam reipublicae administrationem nihil aliud sunt nisi dicteria injuriosa et perfidae calumniae hominum pravorum, qui Ecclesiasticae ditionis usurpationem frustra justifi-

care ac sancire conantur, vel sectariorum et rebellium virorum, qui regimen Papale odio prosequuntur, eo quod aequum, paternale atque christianum semper exstiterit.

ARTICULUS IX.

SUMMARIUM.

133. Perpetuitas Principatus civilis Sanctae Sedis.—134. Quaenam in hac perpetuitate distinguere oporteat.—135. Amissio *temporalis dominationis.*—136. Firmitas *principatus politici*; 4.ª Thesis: *Principatus civilis speciali Dei providentia Petri Successoribus collatus adhuc viget et permanet.*—137. Perpendantur argumenta adversariorum.—138. Ratio *historica.*—139. Ratio *juridica.*—140. Ratio *politica.* – 141. Ratio *internationalis.*

133. Mirum fortasse videbitur de permanentia et actuali Principatus Pontificii conservatione data opera disserere, cum jam diu (ab anno 1870) Romanus Pontifex per Gubernium Italicum nuncupatum, vi adhibita, a temporali potestate privatus sit et in luctuosam servitutem redactus; nihilominus asserimus, contendimus atque tuemur civilem Apostolicae Sedis Principatum adhuc consistere, et coram nationibus et populis pleno jure perseverare (1), uti ex dicendis luculentur patefiet.

134. Ab initio hujus praestantissimae discussionis animadvertimus distinctionem esse faciendam inter dominationem temporalem atque regiam supremamque

(1) In eodem sensu abundant haud pauci scriptores et egregii jurisperiti; nuperrime ephemeris *L' Osservatore Romano* dicta inserit atque explanat celeberrimum articulum a *Civilitate Catholica* (Civiltà Cattolica) editum et eximio jurisconsulto hispano attributum, ubi validissimis rationum momentis, juxta *L' Osservatore* testimonium (quia *Civiltà Cattolica* prae manibus non habemus, nec legere potuimus), ostenditur suprematiam civilem ac politicam Romani Pontificis *jure* et *facto* adhuc perdurare in parvo territorio Vaticani, nomine *Civitatis Leoninae* cognito, sicut supremam potestatem cujuslibet alii Principis in vasto imperio Russiae, Germaniae vel Angliae hodiedum regnantis.

auctoritatem Successorum B. Petri; etenim nullo pacto permisceri debet origo dominii temporalis Romanorum Pontificum, quae praecise statui nequit, ac nonnisi sensim a tenuibus principiis coepit, vel sub ipsis persecutoribus Christiani nominis, et crevit deinde sub Constantino caeterisque Romanis Imperatoribus, ita ut Magni jam Principes effecti sunt longe ante Pipini et Caroli Magni, quam vocant, donationem seu restitutionem, cum regia dignitate atque absoluta independentia, quam nacti sunt post medium saeculi VIII.

Profecto fateri cogimur nostra aetate, in publicum saeculi XIX stigma et perpetuum Europae Christianae opprobium, Romanum Pontificem temporali dominio, quo per quatuordecim saltem non interrupta saecula sacratissimo jure et legitimo titulo potitus est, sacrilege, inique ac violenter esse spoliatum; sed tamen permanet Principatus civilis; etiam hodie Christi Vicarius, licet exspoliatus, vexatus et incarceratus, dignitate regia emicat, atque in sua fronte per diuturnam passionem attrita refulget splendor supremae auctoritatis, et in suo capite sacra unctione delibuto gerit non solum *triregnum,* potestatis spiritualis emblema, verum etiam *coronam,* symbolum majestatis et saecularis imperii.

135. Et re quidem vera, ad dominationem temporalem quod spectat, vix aliquod saeculum intercessit, quo ditio pontificia, num hostilibus incursionibus Imperatorum vel Regum, num perduellium factionibus, non fuerit aut imminuta, aut sublata, aut penitus eversa.

Enimvero, praeter incursiones Saracenorum saeculo VII et Turcarum saeculo XV, qui Pontificiis regionibus bellum intulerunt ad eas occupandas, Imperatores Francici aut Saxones, Comites Tusculani et Marchiones Etruriae, factiones Cencii, Columnae et Ursiniorum, Philippus *Pulcher* nuncupatus, Ludovicus Bavarus, Rienzi, Visconti, Hispani, Germani, Galli, sive sub republica, sive sub imperio, patrimonium Eccle-

siasticum adorti sunt ad illud sive ex parte sive ex toto sibi vindicandum; etiamque nostris diebus, ante nefastam stragem seu aperturam Portae Piae, maxima ex parte a Gubernio Subalpino vi et fraude distractum est.

Quamvis vero sub his exspoliationibus omnes pene regiminis formae institutae sint, despoticae, democraticae, necnon saepius Reipublicae proclamatae cum ingenti boni publici jactura, immo Roma ipsa septies aut depopulata, aut incensa fuerit; verumtamen hisce non obstantibus, divina factum est providentia, ut jugiter Roma restituta fuerit, atque, ut ita dicam, e suis ruinis ac cineribus emerserit; regiones et provinciae distractae aut ablatae Pontificiae Dominationi redditae sint, adeo ut potestas temporalis Sanctae Sedis in pristinum statum redierit, ac sub Romanorum Pontificum pacifico regimine ditiones Ecclesiasticae constanter refloruerint majori prosperitate ac rerum abundantia.

Sed nostris luctuosis et teterrimis diebus consummata est *magna iniquitas*, et adhuc inultum et impunitum remanet crimen sacrilegum, flagitiosissimum atque internationale, die 20 Septembris anni 1870 perpetratum. Ex tunc temporis Sedes Apostolica patrimonio S. Petri cunctisque suis ditionibus prorsus exspoliata fuit, videntibus impavide populis cultis, consentientibus culpabiliter nationibus christianis, necnon inique recognoscentibus guberniis, quae adhuc catholica videri volunt.

136. Etsi vero damnabili populorum socordia et derelictione, criminali guberniorum cooperatione, et culpabili omnium gentium consensu perseveret opus violentae usurpationis et iniquae exspoliationis; tamen denuo asseveramus, adstruimus atque propugnamus Principatum civilem seu regiam dignitatem, qua per circiter duodecim saecula insigniti sunt Romani Pontifices, absque dubio vigere et sua mirabili firmitate etiam hodie coram gentibus et populis effulgere.

Et sane, nullatenus nobis placet neque licet in eorum sententiam abire, qui rentur ab anno 1870 in quo locum obtinuit sacrilega copiarum et sectariorum invasio in Civitatem Aeternam, esse consummatam eversionem, extinctionem seu abolitionem regni temporalis Romanorum Praesulum; aliud enim est amissio vel potius ablatio dominationis temporalis, factum utique certum, quamvis inique patratum; aliud vero eversio vel suppressio auctoritatis independentis et supremi imperii (*soberania)* etiam in ordine politico ac temporali, quod quidem Summis Pontificibus remanet, et nulla unquam vis, violentia aut depraedatio Supremo Ecclesiae Hierarchae arripere potest. In confirmationem nostri asserti ejusmodi thesim vindicare pergimus: *Principatus civilis speciali Dei providentia Petri Successoribus collatus adhuc viget et permanet.*

137. Ad veritatem hujus propositionis ostendendam sufficiet in trutinam revocare praecipua argumenta, quibus innituntur quotquot asserunt post Romae occupationem actum jam esse de civili Romanorum Pontificum auctoritate, ut ita, quocumque praejudicio deposito, ipsorum commentum, toties divulgatum, fundamento solido destitutum penitus appareat, et sententia, quam propugnamus, plena luce ac claritate affulgeat.

Enimvero, nec ante historiam, neque ante jus naturale, politicum et gentium evincent hostes declarati vel simulati adversarii temporalis dominii S. Sedis Monarchiam Pontificiam extinctam et deletam esse ex nationibus Europae, siquidem omnes rationes, quas invocare solent, sive historica, sive juridica, sive politica, sive internationalis, veritati, justitiae, rectis gubernationis principiis et mutuis gentium officiis plane contradicunt, uti brevissime edisseremus.

138. Ratio *historica.* Primum fundamentum, quo antipontificia neotericorum theoria fulcitur, prorsus

nutat; nititur enim in facto, hoc est, in suffragio seu voto populi (*plebiscito)*; sicut Principatus Pontificis, ajunt, ex voluntate populorum legitime coepit, ita contraria eorumdem voluntate nunc cessavit, quandoquidem ipsi populi Romanis Praesulibus olim subjecti hujusmodi dominationem rejecerunt.

Sed simplici obtutu detegitur futilitas hujuscemodi ratiocinationis ex praepostera factorum interpretatione repetitae; etenim, [a]) falsum est, prouti evidentissimis argumentis ostendi posset, populum romanum voluntarie ac scienter civilem Pontificum potestatem repulisse, immo vero appertissime constat verum populum romanum, id est, cives probitate ornatos et honestate spectatos, non autem impios, perturbatores atque factiosos homines, qui ex cunctis mundi plagis in Romam hac occasione confluerunt, suam mentem ac sinceram voluntatem pro pontificia dominatione saepenumero, strenua fortitudine etiam coram usurpatoribus, palam revelasse;[b]) omnes coetus, collegia atque comitia, habita ad expetendum vel potius extorquendum plebis assensum, congregata et celebrata sunt sub imperio, coactione et directione invasorum, ideoque nulla vi pollent propter partialitatem juxta ipsum adversariorum systema; [c]) quamvis supponeretur (quod minime concedi potest) suffragium a plebe emissum fuisse verum ac spontaneum, nunquam voluntas populi contra justitiam et naturalem aequitatem praevalere poterit, ita ut suo lubitu atque arbitratu sacratissima Ecclesiae et Apostolicae Sedis jura laedantur, convellantur et funditus pessumdentur;[d]) etiam in hac hypothesi populo Christiano toto orbe diffuso inesset plenum ac legitimum jus exposcendi et reclamandi Petri Successori Civitatem Aeternam, velut centrum catholicismi, sedem Primatus, atque tutelam sacrae libertatis et necessariae independentiae, qua indigent Christi Vicarii pro negotiis religiosis expediendis et populis ad finem supremum seu vitam aeternam perducendis.

139. Ratio *juridica*. Sed non minus radicitus corruit fundamentum juridicum, quod ad sanciendum et legitimum reddendum plebis suffragium inimici regni Pontificii frustra allegare consuescunt; legitimi principatus, prosequuntur sectarii eorumque fautores, optimo jure everti possunt populorum voluntate.

At ejusmodi principium manifesta falsitate laborat; licet enim populus legitime disponere possit de Principatu cum vacat, et eam eligere gubernii formam quae ipsi magis placeat, non tamen jure gaudet evertendi Principatum semel legitime constitutum. Equidem populus liber, eo quod Principe vel Summo Moderatore careat, potest vel sibi retinere supremam potestatem, etsi exercitium deleget, vel eam transferre conditionate aut absolute; nunc vero, quando eligitur forma regiminis monarchica, atque insuper dignitati perpetuae alligatur (uti factum est in Sede Apostolica, cum Pontifices sive ab urbe Roma, sive a finitimis civitatibus proclamati et agniti fuere supremi Domini et veri Principes); tunc profecto populus supremam atque independentem auctoritatem confert absque ulla conditione, modo irrevocabili, ac proinde non amplius ei licet dissentire, auctoritatem denuo transferendo seu novum potestatis socialis subjectum designando (1).

Inde consequitur dissentionem, sejunctionem vel rebellionem Populi Romani caeterorumque qui Ditiones Ecclesiasticas constituebant, nullatenus infirmare posse legitimitatem Juris Pontificii aut evertere civilem Sanctae Sedis Principatum.

---

(1) Cum absolutam, firmem ac irrevocabilem vocamus transmissionem potestatis a populo factam, loquimur in sensu tantum *juridico*; nam *practice* subintelligitur semper naturalis et necessaria conditio (quae in re nostra locum non obtinet, utpote Apostolicae Sedi et Christi Vicariis aperte injuriosa), donec subjectum designatum suprema auctoritate recte utatur, atque in oppressionem populorum seu tyrannice eam neutiquam exerceat.

140. Ratio *politica*. Praeter duo argumenta supra allata, impugnatores potestatis temporalis S. Sedis pro legitimanda ejusdem iniqua violentaque usurpatione nobis objicere solent, tamquam firmissimum ac praecipuum fulcimentum sacrilegae exspoliationis, jus Italicae Nationis, hoc est, convenientiam utilissimam, immo vero urgentem ac imperiosam necessitatem unitatem politicam attingendi, ut novum Italiae regnum coram caeteris statibus Europae securitate donetur, necnon gradum eminentem superioremque positionem in consensu nationum obtineat; unitas namque politici regiminis, passim blaterant asseclae ac defensores principii nationalitatis, est proculdubio magnum nationis bonum, praesertim novissima aetate, qua caeterae Europae gentes unitatem politicam adeptae sunt, atque ut plurimum in regna potentissima coaluerunt: hinc elatis vocibus conclamare nituntur actualem Regni Italici constitutionem esse prorsus asservandam totisque viribus constabiliendam; secus enim natio Italica in plures status divisa non solum crebro relinqueretur incursionibus exterorum et tandem deveniret praeda potentioris, verum etiam legitima influentia orbaretur in praesenti Europae conditione, nempe cum diversa ejus imperia, regna vel reipublicae unicam magnamque familiam efficiant, communi consilio ac decisioni potentiorum statuum *(Grandes Potencias)* subordinatam.

Jam vero, in hac adversariorum argumentatione duo permiscentur sedulo distinguenda, videlicet, libera acceptatio et legitima praxis theoriae politicae recentissima epocha inductae, atque abusiva interpretatio, injusta acceptio et damnabilis applicatio doctrinae mere speculativae, quae, juxta diversa politicorum placita, majori vel minori bonitate praedita esse potest, et plus minusve commoda aut incommoda regimini populorum afferre valet.

Quidquid vero sit de principio nationalitatis adeo

ponderata, quod utique (obiter hoc animadvertimus) proclamatum videtur novissima aetate solummodo ad evertendum dominium temporale Romanorum Pontificum, et Principes Italiae suis propriis ac exiguis ditionibus seu ducatibus exspoliandos, in praesentiarum nobis sufficit declarare atque fateri quamlibet nationem jus indubitatum habere procurandi sibi politicam unitatem, dummodo serventur legitima aliarum gentium, statuum vel principum jura.

Sed plane rejicimus atque damnamus absolutam, arbitrariam et odiosam principii nationalitatis applicationem cum aperta jurium laesione et punibili rectae justitiae contemptu: [a]) quia aeterna et immutabilia juris naturalis principia omnino vetant ne caeteri Principes dominio legitime acquisito spolientur, neque auctoritate civili ac independente justo titulo possessa et exercita priventur; [b]) quia unitas politica, quamvis ad nationem tuto ac fortiter constituendam multum conferat, non est bonum supremum, quacumque consideratione posthabita, absolute obtinendum, ideoque ejus causa nullus Princeps ditionibus suis optimo jure pollens exturbari potest, multoque minus Romanus Pontifex, qui pro legitimitate civilis Principatus ostentare valet firmissimam praescriptionem circiter duodecim saeculorum; [c]) quia licet spectaretur unitas regiminis politici tamquam bonum necessarium nationi propter securitatem et tutelam socialem, etiam tunc servari debent regulae seu principia juris naturalis alibi exposita (1) pro solvendo conflictu inter societates *impares* bona diversi ordinis persequentes, quae quidem regulae ex ipsa natura desumptae aperte statuunt atque definiunt in conflictu inter bonum temporale alicujus nationis et spirituale totius christianitatis illud esse postponendum; [d])

---

(1) Conf. vol. I, cap. III, art. III, núm. 196.

quia semper adessent novi modi politice adhibendi, quin violarentur aliorum jura; recte enim bono nationali provideri posset, inita foederatione, in qua suum quoque locum obtineret Principatus civilis Summi Pontificis, qui suprema ejus auctoritate, salutari influxu et morali superioritate universam nationem in unum congregaret, paterna cura protegeret, necnon assidua sollicitudine et indefessa vigilantia tutaret.

141. Ratio *internationalis*. Postremo, defensores italicae unitatis ad cohonestandam iniquam usurpatorum agendi rationem asseverare veriti non sunt plures nationes ratum habuisse atque probasse novum ordinem in Italia post obsidionem et Romae capturam stabilitum, ideoque abolitionem temporalis dominatus S. Sedis sanctione internationali fuisse confirmatam.

Quamquam autem hanc generalem affirmationem *historice* negare ac confutare possemus, quippe ex authenticis documentis perspicue constat plerasque nationes saltem catholicas in recognitione Regni Italici nuncupati exceptiones et conditiones apposuisse, quae argumentum internationale plane infirmant, tamen viam rectam atque expeditiorem sequemur breviter ostendentes consensionem, approbationem vel ratificationem ab Europae guberniis novo Italiae Regno ex tot violentiis, tantisque flagitiis ac depraedationibus efformato praestitam, etsi absoluta et universalis fuisset, *juridice* spectatam, prorsus irritam et omnino illegitimam esse habendam, utpote juri naturali, juri positivo et juri gentium manifeste refragantem.

Et quidem ejusmodi publica et officialis Principum ac Guberniorum recognitio adeo decantata adversatur primum *juri naturali*, quoniam ratihabitio omnium regum terrae nunquam efficere poterit, ut quod intrinsece injustum et iniquum est, justum et honestum evadat; contradicit insuper *juri positivo*, quandoquidem Ecclesia Catholica, cui commissum est a Christo judicium in-

fallibile decernendi inter bonum et malum, justum ac injustum, solemniter contrarium statuit, uti evidenter eruitur ex Conciliorum decretis, Summorum Pontificum constitutionibus, atque ex propositionibus adversus hanc catholicam doctrinam centies damnatis, quae omnia heic silentio praeterimus, cum praecedentibus articulis memorata documenta nominatim et perabunde retulimus; repugnat denique ipsi *juri gentium*, quod in coelum usque extollunt dolosi theoriae nationalitatum patrocinatores, quamvis postea in proprium commodum et pro suis finibus politicis adipiscendis principia apud nationes communiter recepta impudenter spernant, etiamque sacratissima pacta internationalia publice et audacter violent atque infringant; etenim cuncti tractatores Juris Publicis Internationalis, praeceptis affirmativis vel negativis Juris Naturalis suffulti, unanimi consensu tradunt unumquemque statum, magnum vel parvum, potentem aut debilem, jus perfectum atque inconcussum habere ad propriam existentiam, conservationem et independentiam, caeterasque gentes officio gravissimo teneri nullatenus vitae, autonomiae atque integritati aliorum statuum personalitate juridica in societate internationali gaudentium attentandi.

Ex praejactis merito colligere possumus quaestionem de temporali Romanorum Pontificum potestate, sive res sub aspectu *historico* inspiciatur, sive dictamen *naturalis* rationis consulatur, sive considerationes *politicae* prae oculis habeantur, sive demum principia *juris internationalis* in memoriam revocentur, minime esse finitam, sed adhuc socialiter agitari, penes catholicos integram manere, et novissimis et gravioribus characteribus die fortasse non longinqua esse surrecturam ex apparenti oblivione, in qua jacet; ideoque optimo jure asserere nobis licet Principatum civilem Sanctae Sedis formaliter sumptum nostra etiam aetate vigere ac perdurare.

ARTICULUS X.

SUMMARIUM.

142. 5.ª et postrema Thesis: *Restauratio temporalis Sanctae Sedis dominii religionis, justitiae atque ordinis socialis magni interest; ideoque optandum est quam cito Romano Pontifici restitui patrimonium S. Petri.*—143. Probationes ex *religione* sumptae pro necessitate instaurationis adducantur.—144. Argumenta *juridica* exponantur.—145. Prima pars thesis observationibus ordinis *internationalis* confirmetur.—146. Utrum votum atque fiducia, quorum in secunda propositionis parte mentio fit, sint tantum inutile desiderium et vana spes.

142. Usquemodo de origine, legitimitate, necessitate ac perpetuitate Pontificii Principatus disseruimus, reliquum est pro hac disquisitione, quam ob praestantiam rei late explanandam curavimus, absolvenda, nonnihil delibare de immediata et urgenti restitutione civilis dominatus Apostolicae Sedi, maximopere exoptata et communi fere omnium consensu proclamata; quo fit, ut populi christiani sensum mentemque tum catholicorum tum proborum hominum interpretari haud haesitemus, sequentem thesim pro coronide hujusce celeberrimae controversiae statuentes: ***Restauratio Sanctae Sedis dominii religionis, justitiae atque ordinis socialis magni interest; ideoque optandum est quam cito Romano Pontifici restitui patrimonium S. Petri.***

Ejusmodi propositio duas partes complectitur; prior necessitatem regnum temporale Praesulum Romanorum instaurandi adstruit; altera pium votum ac firmissimam proximae restitutionis spem exprimit.

143. Quamplurimae rationes suppetunt pro evincenda gravissima et ineluctabili necessitate ditionem Pontificiam iterum redintegrandi atque in pristinum statum restituendi; in obsequium claritatis et brevitati consulentes totam argumentationem ad levissimas considerationes ***religiosas, juridicas*** et ***internationales*** re-

stringemus, ut palam innotescat bonum supremum religionis, recta aequitatis ac justitiae principia, necnon mutua gentium commoda in hac veritate constabilienda aperte ac mirifice conspirare.

In primis enim *religio* instantissime postulat Romanis Pontificibus tradi atque devolvi temporalem eorumdem dominationem triplici potissimum de causa: 1.° ut ordo divinitus intentus restabiliatur; etenim speciali Supremi Numinis praeordinatione factum est, ut Summus Pontifex adipisceretur extrinsecam principatus civilis potestatem, qua idoneus redderetur muneribus explendis Pontificatus sibi divina institutione traditi, eamque obtineret libertatem, sine qua eadem obire non posset; cum igitur haec temporalis potestatis collatio ordinata fuerit ad liberum exercitium potestatis spiritualis, atque Petri Successoribus a Christo concessa tamquam conditio necessaria ad munus illis commissum exercendum, recte consequitur ipsam minime spectari posse neque veluti rem extrinsecam, supervenientem atque accidentalem, ita ut adesse vel abesse queat, sed tamquam partem integralem inhaerentem eidem pontificatui habendam esse, quae ex divina ordinatione nulla humana potestate ab eo divelli aut separari valeat; neque etiam putari posse ceu rem mere civilem aut politicam, sed uti rem sacram ob intimam connexionem, quam ex Christi dispositione habet cum re spirituali; licet enim in se, seu prout res materialis est, nullam habeat dignitatem nisi inferioris gradus, tamen ex conjunctione et nexu cum superiori, jam quodam modo sacra evadit; nec demum censeri posse ad instar caeterorum regnorum, quae acquiri et amitti queunt, sed esse imperium sui generis, prorsus inalienabile, atque ita sui juris quoad substantiam, ut nulli humanae ac civili potestati sit obnoxius Supremus Ecclesiae Hierarcha; paucis verbis, potestatem temporalem Summi Pontificis optimo jure posse ac debere in-

spici ut regnum ipsius Christi Domini in his terris, quod ipse per suum Vicarium tenet, regit et gubernat; nam, cum Christus Jesus vere sit *Rex Regum ac Dominus Dominantium*, et per Eum *reges regnent* et *legum conditores justa decernant*, mirum esse non debet quod voluerit per Vicarium suum possidere in hoc mundo partem hujusmodi regni universalis, ipsi etiam quatenus homini adjudicandi.

2.° Urget etiam restitutio ditionis Pontificiae, ut existentia, salutaris influxus atque refulgens catholicismi splendor apud cunctos populos et gentes indesinenter vigeat atque florescat; nam, uti scite ac opportune animadverterunt et aperta hostium confessione comprobarunt (1) haud pauci scriptores et apologistae, aequi rerum aestimatores, velle temporali dominatione Pontificem exspoliare (veluti nostra aetate inique factum est) ideoque subditum illum efficere (prout reapse hodie sub potestate Gubernii Italici retinetur), perinde est ac velle Catholicam Ecclesiam seu catholicismum plane destruere, et per destructionem catholicismi universum prorsus christianismum evertere. Et re quidem vera talis est conspiratio sectarum omnium occultarum, quae hodiedum undique dominantur, pantheistarum, socialistarum, communistarum, anarchistarum, caeterorumque incredulorum ac francmasonum cujusvis generis odio communi veram Christi Ecclesiam prosequentium, eidemque destructionis operi satanico furore incumbentium.

3.° Necessaria insuper est sub aspectu religioso instauratio dominii temporalis, ut independentia Apostolicae Sedis in tuto ponatur ac plena jugique liberta-

(1) Conf. Traillard—*La Franc-Maçonnerie dans sa véritable signification*, vol. I, pag. 210; Crétineau-Joli.—*Hist. du Sonderbund*, tom. II, pag. 287; necnon opus, cui titulus: *Dell' ultima persecuzione della Chiesa*, vol. I, pag. 184.

te apud christianas gentes muniatur; quamvis enim sectarii atque pseudopolitici pro novo Regno Italico vindicando passim asserant Romanum Pontificem civili potestate anno 1870 privatum adhuc esse vere independentem ad sese cum universa christianitate communicandum et jura Primatus plene ac libere exercenda, veluti tempore praecedenti; attamen ejusmodi independentia potius est *nomine* quam *re*, ideoque tamquam chimerica et commentitia censeri debet, uti plane colligitur ex *declaratione* Summorum Pontificum Pii IX ac Leonis XIII, qui saepenumero orbi catholico denuntiarunt *sub hostili potestate* se esse constitutos; ex frequenti *violatione* legis securitatis dictae *(ley de garantias)*, quippe omnes norunt vexationes et profanationes contra personas, res et catholicas institutiones sepius perpetratas, quin ipsae Venerabilis Pontificis Pii IX reliquiae ab odio factioso et turbarum insania tutae fuerint; necnon ex actuali Leonis XIII *captivitate*, qui sub inimicorum ejusque usurpatorum dominatione detinetur, atque ex Vaticano exire nequit.

144. Praeterea pro restauratione civilis Romanorum Pontificum potestatis militant validissimae rationes ordinis juridici: 1.° restabilire omnino oportet imperium justitiae atque fidelem et universalem observantiam officiorum, quae populis et civibus, gentibus ac individuis, imperantibus subditisque absolute ac indiscriminatim jubent, ut jura naturalia *semper* et *pro semper* revereantur; jam vero, quidquid effutierint patroni italicae unitatis, inficiari nequit, cum de re omnibus comperta agatur, origines Regni Italiae juri naturali et rectae aequitati prorsus reluctari, tum quia apud cunctas gentes certum est furta et usurpationes rei alienae injustas plane esse et contra aeternam Dei legem, tum quia a Summo Pontifice, necnon ab universo Episcopatu Catholico saepissime declaratum atque statutum fuit injustas censendas esse non solum novi regni origines,

verum etiam continuationem seu retentionem provinciarum, quae contra jus omne naturale, divinum et ecclesiasticum usurpatae sunt.

2.° Summopere refert directe impetere, plane confutare atque funditus evertere funestam ac exitialem theoriam *factorum consummatorum* recenti aetate a perduellibus, factiosis et depraedatoribus invectam, ad firmandum tuendumque Italiae regnum, eo quod sin minus jure, facto saltem eoque completo jam constitutum est; age jam ejusmodi theoria qualibet vi caret, falsitate laborat, immo vero plane absurda evadit ad quaestionem romanam applicata; etenim praefatum principium ad summum valorem aliquem obtineret, si ageretur de juribus dubiis, in ancipiti positis, atque ex quorum rejectione damna eaque graviora tum reipublicae et societati, tum religioni provenirent, nunquam autem, cum de re in se injusta et iniqua sermo est. Et quidem, si theoria *facti expleti et consummati* pro vindicando actuali nationis italicae constitutione invocaretur, necessaria et logica deductione essent admittenda fere innumera facta expleta et consummata, quae tamen omnes tamquam iniqua, immoralia et subversiva damnant ac rejiciunt; semel proclamata et agnita perniciosa factorum consummatorum theoria, quam Italianissimi caeterique liberaliores homines tot laudibus praedicant, opus foret uti legitima recognoscere aut saltem tolerare idololatriam, mahumetismum, haereses omnium saeculorum, religiosam libertatem, atheismum practicum, societates secretas toties damnatas, vel etiam contra publicam honestatem et ordinem socialem latrocinia, adulteria, homicidia, aliaque ejusmodi flagitia, quae totidem sunt facta completa et consummata. Nemo igitur est qui non videat quam a recta ratione et naturali justitia absona esse haec pravissima consectaria.

3.° Demum, societatis civilis maxime interest sub

respectu juridico devolutio ditionum Ecclesiasticarum, quae a gubernio usurpatore retinentur, ut auctoritas politica Summorum Imperantium firmiter roboretur, juraque legitima aliorum Principum sarta tectaque serventur.

Enimvero epocha praesenti, in qua auctoritatis principium negatur vel diffitetur, ac undequaque exsurgunt omnigenae factiones et perduellium turbae, quae, vasta conspiratione inita, ordinem socialem transvertere, fundamenta publicae tranquillitatis labefactare, et Principum dominatum e medio tollere conantur, continuatio usurpationis, recognitio exspoliationis omnium iniquissimae, atque permanentia hujusmodi rerum status adeo violentissimi idem est ac plebis tumultuosae depravatos instinctus fovere, ruinae ac stragi populorum viam amplam sternere, necnon potestatem Principum imminenti laesionis periculo exponere, immo vero completae ejusdem eversioni voluntariam atque facillimam occasionem praebere. Et quidem his novissimis temporibus, postquam, assentientibus vel plaudentibus guberniis Europae olim Christianae, conculcata est potestas temporalis Successorum B. Petri, atque consummata est sacrilega direptio Patrimonii S. Sedis, cernimus undique apparere horrendum revolutionis socialis spectrum, totis viribus nitens saecularia regna convellere, Supremos Moderatores statuum adoriri, et veterem Europae constitutionem immutare; ac profecto, nisi imperium justitiae denuo splendeat, omnia sus deque vertentur.

145. Religionis commodo et juris praescriptionibus adjungere decet nonnullas observationes internationales ex mutua convenientia et reciproco gentium bono depromptas: 1.° necessaria est restitutio dominii temporalis ad liberum S. Sedis commercium cum universis mundi populis sustentandum; etenim sine temporali potestate ac suprema dominatione Romanorum Pon-

tificum nequit dari atque consistere libera, plena et jugis communicatio Pastoris cum grege, Capitis cum membris, Patris cum filiis, Hierarchae cum subditis, Christi Vicarii cum fidelibus totius orbis; quandoquidem, etiam suppositis quibuscumque conventionibus, pactis, declarationibus, quantumvis juratis, de plena libertate concedenda Pontifici in spiritualis ipsius potestatis exercitio, experientia invictissime docet ejusmodi conventiones, pacta, promissionesve tractu temporis obliterari, pessumdari ac prorsus evanescere, hodiedum praesertim, cum ubivis gentium imperet *Jus Novum* appellatum *(Derecho Moderno)*, quod idem sonat ac jus mendacii, jus fraudum moliendarum, jus decipiendi, jus conculcandi omnia foedera, promissa etiam jurejurando firmata, jus infringendi quamvis legem sive naturalem sive divinam, jus, summatim, nullam habendi rationem justitiae, honestatis ac pudoris.

Testis hujus assertionis proculdubio est conventio inita inter Apostolicam Sedem et Sardiniae Regem; testis quoque locuples conventio pariter facta inter Romanum Pontificem et Imperium Austriacum; testis insuper irrecusabilis postrema pactio inter Pium IX et Imperatorem Napoleonem III habita. Absque temeritatis nota affirmari potest, cum Gubernia et Principes hujusmodi promissiones, pacta et declarationes faciebant, insidiosa mente et diplomaticis rationibus ducti, non semel contrahentes et promittentes in animo jam constitutum habere illas non servare.

2.° Necessaria quoque est restauratio Ditionis Pontificiae ad plenam integritatem tutamque independentiam caeterorum Statuum; ex quo enim Romano Praesuli demptum est legitimum ejus dominium, et sub Principe invasore positus invenitur, potestas territorialis et auctoritas suprema Imperatorum, Regum vel Summorum Moderatorum in Europa regnantium in magnum et gravissimum discrimen versantur; siquidem

dominio temporali S. Sedis omnium sacratissimo et antiquissimo violenter et inique everso, necnon suprematia Pontificis, praescriptione duodecim saeculorum sancita, dire et acriter impugnata, nihil equidem stabile ac fixum remanet; quocumque namque praetextu invocato vel ratione politica adinventa, limites territoriales nationum perfacile mutari possunt, proprietas Statuum lubitu potentioris injuste violari valet, atque ipsi Principes e trono ejici et a cuspide imperii deturbari queunt.

3.° Tandem, necesse est recentioribus *Longobardis* auferre *justitias S. Petri*, easque Romano Pontifici denuo restituere, sicut Reges Francorum saeculo VIII terras ac dominia S. Sedis a rapacitate veterum Longobardorum eripuere.

Et re quidem vera, urget ejusmodi solemnis reparatio atque justissima redintegratio: a) ad compescendam immoderatam ambitionem Principum ac Imperantium, qui impunitate confisi bella iniqua gerunt nequissima mente populos inoffensivos sua jura, ditiones ac independentiam tuentes subjugandi, depauperandi vel exspoliandi, uti nuper egerunt Status Foederati Americae, Hispano Imperio antiquissimas Colonias ab ipso detectas omnesque suas possessiones ultramarinas aperta injuria et insidiosis artibus subripientes, et hodie facere conatur Anglia cum exigua et strenua Republica Transvaalensi; b) ad retundendam effrenem audaciam quorumdam pseudopoliticorum, qui praepotentia et superbia freti de populis extenuatis, de gentibus exiguis et nationibus infirmis hic et nunc nobis impudenter loquuntur, velut nuperrime etiam declaravit quidam Minister Gubernii Britannici tristem celebritatem nactus; c) ad disjiciendas machinationes et repellendas aggressiones illorum Statuum, qui eadem impunitate et exitiali *non interventus* principio fulciti novas annexiones seu potius depraedationes moliuntur, et divisiones territoriales in occulto silentioque meditan-

tur, gratia augendi et amplificandi propria dominia cum justitiae detrimento atque legitimi aliorum juris laesione.

146. Non possumus hanc praestantissimam controversiam finire, quin aliquid de secunda thesis parte attingamus; profecto sensu justitiae ducti et religionis studio permoti summopere exoptamus atque firmissime confidimus rerum eventus, mediis et viis prorsus ignotis, contra humanas conjecturas et politicas praevisiones, disponente solummodo divina providentia, esse in posterum ordinandos ad exsequendam Supremi Numinis voluntatem pro necessaria temporalis dominii restitutione; quamvis enim hodie urbem Romam, Metropolim totius catholici orbis, usurpatores intus forisque invadant, atque extremam cladem inferre adnitantur; tamen pro certo habemus haec omnia inania esse evasura, et Apostolicam Sedem citius qualibet humana praesentione recuperatum ac rursus receptum ire dominationem temporalem et civilem suprematiam, quam Deus primatui spirituali individuo nexu conjunxit ad munera eidem commissa adimplenda, auctoritatemque per universum terrarum orbem servandam.

Hujus nostrae fiduciae vadem ac pignus damus luculentum et ineluctabile historiae testimonium, quae longo saeculorum decursu nobis apertissime ostendit singularem atque perpetuam Divinae Providentiae actionem pro temporali Pontificum potestate contra tot conatus, aggressiones et iniquas machinationes vindicanda.

Et sane notum est Apostolicem Sedem jam vexatam fuisse sub Imperatore Othone I ejusque successoribus, qui sibi subjicere tentarunt tum electionem Romanorum Pontificum, tum ipsum eorum principatum atque liberam agendi rationem; idem contigit sub influxu Comitum Tusculanorum, qui se immiscuerunt Romanorum Antistitum electioni, ex quo tot mala provenerunt; malum autem potissimum invaluit sub Henrico IV Ger-

maniae Imperatore, qui Romam occupavit sub S. Gregorio VII vix ex ejus manibus liberato; Henricus V post patris obitum, ejusdem vestigiis insistens, Urbem iterum invasit, ac Pontificem Paschalem II carceri inclusit, captivumque secum duxit; his successit Arnaldus Brixianus Abaelardi discipulus, qui sub obtentu antiquam Romanam Rempublicam restaurandi, Pontifices omni dominatione temporali exspoliavit; incidit postea Urbs in manus Friderici I Aenobardi cognomento Barbarossa, eique dominatus est; Otho II sub Inocentio III plura gessit in detrimentum Romanae Sedis, atque status pontificios suis fautoribus distribuit; Fridericus II invasit et ipse easdem pontificias dominationes; dein in publicum prodiit alter tyrannus, Cola a Rienzo nuncupatus, qui denuo vetustam Rempublicam instaurare conatus est, ac civitatem Pontificiam etiam occupavit; praeter alias perduelliones et invasiones, quas rerum ecclesiasticarum ac politicarum scriptores memorant, sub Pio VI a Republica Gallica sublata est universa ditio Pontificia, et rursum a Napoleone I sub Pio VII; demum sub Pio IX a Regno Italico dicto consummata est postrema invasio ac sacrilega eversio dominationis temporalis Sanctae Sedis, quae quidem iniqua exspoliatio in publicam nationum catholicarum ignominiam sub Leone XIII Ecclesiae gubernacula tenente adhuc perdurat.

Sed animadvertere oportet in tot rerum vicibus, inter tot ac tantas depraedationes, invasiones et rebelliones, Principatum civilem Romanorum Pontificum redintegratum fuisse atque Ditiones Ecclesiasticas jugiter restitutas: plerique usurpatores misere perierunt; regiae ac imperiales dynastiae evanuerunt; regna de uno in alium transierunt dominum; principatus minores plerique absorti sunt, dum e contrario Principatus Pontificius, omnium debilior, immotus perstitit, atque Romana Urbs pene inermis scopulus perpetuus fuit, qui

confregit et in nihilum per duodecim et amplius saecula redegit conatus omnes validissimos.

Jam vero, quod Deus saeculis retro actis pro tuenda independentia et absoluta autonomia Romani Pontificis Christi in terris Vicarii, perfecit, hisce dificillimis temporibus facturum esse pari ratione spectamus, quia nec brachium Dei abbreviatum est, nec divinae promissiones deficere queunt, neque exercitium plenum ac liberum Primatus Pontificii unquam praepediri aut coarctari poterit contra supremam voluntatem et expressam Christi institutionem.

CAPUT IV.

QUAESTIONES SPECIALES DE POTESTATE INDIRECTA ECCLESIAE.

ARTICULUS I.

SUMMARIUM.

147. Potestas *indirecta* Ecclesiae.—148. Jura quae ipsi competunt vel competere possunt ratione finis *ultimi*.—149. Jus *defensionis* in ordine *sociali*.—150. Jus *imperii* in ordine *politico*.—151. Jus *irritationis* in ordine *legali*.—152. Jus *cognitionis* in ordine *juridico*.—153. Elenchus praecipuarum causarum de quibus cognoscere potest Ecclesia vi potestatis indirectae, seu propter specialem relationem ad ordinem spiritualem.

147. Potestas *indirecta* Ecclesiae recte definitur: *Complexus jurium quae Ecclesiae competunt vel competere possunt in res per se temporales ratione ejusdem* "superioritatis„ *in Statum, ex* "fine praestantiori, ultimo ac supremo„ *provenientis.*

Dicitur in definitione *competunt vel competere possunt,* quia Ecclesia reapse ejusmodi jura medio aevo exercuit, jure publico tunc temporis vigente, fide ac religione populorum, necnon mutua inter sacerdotium et imperium concordia suffulta; sed quamvis hodie, jure publico immutato, fide languente, religione postposita et concordia pene abrupta, difficillime exercere posset,

tamen eisdem juribus gaudet, eaque exerere denuo valeret, uti aliquando novissimis temporibus evenit: additur *in res per se temporales*, eo quod controversia versatur circa res temporales, quae nec *supernaturalizatae*, nec *spiritualizatae*, neque *mixtae* sunt; etenim haec omnia ad potestatem *directam* Ecclesiae, non vero *indirectam* spectant: adjungitur *ratione superioritatis* etc., ad innuendum tantum agi in his quaestionibus de mera subordinatione finium, hoc est, de inferioritate vel dependentia indirecta, minime autem de vera subalternatione vel directa dependentia.

138. Ad sex capita seu classes commode revocari queunt jura, quae ratione finis *ultimi* Ecclesiae competunt vel competere possunt; quandoquidem Ecclesia vi potestatis suae indirectae, ipsi propter finem supremum respondentis, juribus potiri, eademque exercere valet sub sextuplici respectu vel conceptu, nempe: *sociali, politico, legali, juridico, regali* et *internationali*.

In ordine *sociali*, Ecclesiae competit jus *defensionis;* in ordine *politico*, jus *imperii;* in ordine *legali*, jus *irritationis*, hoc est, leges civiles irritas vel irritabiles declarandi; in ordine *juridico*, jus *cognitionis* quoad quaedam per se temporalia propter specialem relationem cum ordine spirituali; in ordine *regali*, tria jura, videlicet, jus *correctionis* Principum, jus *depositionis* Regum, atque jus *concessionis* Regnorum; in ordine demum *internationali*, jus *ethnarchicum* seu potestas societatem universalem aut christianitatem constituendi, id est, cogendi in unum omnes populos et christianas nationes sub suprema Romani Pontificis auctoritate.

149. Sub aspectu *sociali*, Ecclesiae inest jus *defensionis* pro tuenda societate christiana ab hostibus tum internis, tum externis, ejus existentiae aut incolumitati attentare conantibus; etenim, cum cuilibet societati jus competat suam existentiam ac integritatem vindicandi, societas perfecta, veluti est Ecclesia, ejusmodi

facultate plene et absolute gaudet; ac proinde uti valet ad hunc scopum obtinendum omnibus mediis de se idoneis, quae vel immediate vel mediate possidet, atque vicissim ejus membra eidem obtemperare tenentur.

Ex praefato jure colligitur Ecclesiam relate in hunc finem ferre posse leges tum affirmativas seu praeceptivas, tum negativas seu prohibitivas omnibus christianis sive *collective* sumptis (statibus), sive *singulariter* spectatis (fidelibus). Quoad status, *affirmative* imperare et cogere potest ad bella *(Cruciatas)* contra hostes externos suscipienda, ut factum est contra Saracenos, quando non modo injuste detinebant loca sancta cum magno dedecore populorum christianorum, verum etiam occupationem regionum chistianorum, quae adhuc incolumes erant, continuo minitabantur, atque universam christianitatem in gravissimum periculum vocabant; *negative* prohibere valet commercium armorum cum fidei catholicae inimicis, ut legitur in titulo de Judaeis et Saracenis. Quoad fideles, *affirmative* jubere ac imponere potest subsidia, tributa et praestationes obligatorias; *negative* autem vetare queit christianis, sicut nationibus, armorum commercium ob damna, quae interdum cunctae christianitati exsurgere possent.

150. Quod si ordo *politicus* spectetur, negligente vel deficiente auctoritate civili, Ecclesiae competit jus *imperii* in temporalibus, quae necessaria sunt pro tutela et conservatione societatis christianae, quia tunc propter socordiam, impotentiam vel deficientiam auctoritatis publicae Ecclesiae devolvitur potestas populo christiano advigilandi, ejusque jura tuendi; gens enim seu societas christiana abs dubio jus habet ad suam existentiam et incolumitatem; at si auctoritas socialis subditos christianos tutari non sufficiat vel defensionem ordinis publici culpabiliter deserat, Ecclesiae utique incumbit christianae plebis regimen devolutive assumere, ac imperantium insufficientiam vel ignaviam per se supplere.

Diximus *negligente vel deficiente auctoritate civili*, quia, hac vigente et volente, jus imperandi et ordinem politicum et socialem asservandi ad potestatem civilem per se spectat; sin vero auctoritas politica adesset, et mala voluntate atque iniqua mente jura civium christianorum revereri ac vindicare nollet, haec punibilis agendi ratio durissimam censuram et totalem reprobationem mereretur; attamen Ecclesia hac in hypothesi nullo pacto posset novam organizationem armatam inducere, quoniam idem foret ac duplicem ordinem statuere circa eamdem materiam et ex eodem fine, quod equidem recto ordini adversatur.

151. Quoad ordinem *legalem*, Ecclesia potestate indirecta utens, quae propter supremam et altissimam ejus missionem ipsi collata est, jure pollet leges civiles invalidandi, si quando suo spirituali fini, propriis juribus vel sacrosanctae libertati adversentur, et reipsa irrita pluries declaravit decreta, edicta seu ordinationes a civili auctoritate latas contra divinam ejus independentiam vel bonum spirituale christiani populi.

Ejusmodi jus *irritationis* nuncupatum Ecclesiae competit duplici potissimum de capite: 1.° ob *superioritatis* titulum, quoniam si Ecclesia finem superiorem habet, cui indeclinabili et logica necessitate subordinari debet finis civilis, utpote ordinis mere temporalis, ideoque inferior, recte consequitur injustas atque irritas vel irritabiles esse habendas leges et constitutiones illas civiles, quae fini nobilissimo Ecclesiae praestituto refragantur, aut spiritualem ejusdem suprematiam aperte laedunt; infitiari hoc vel a societate divinitus instituta hanc facultatem abjudicare, idem esset ac diffiteri necessariam subordinationem inter Ecclesiam et Statum ratione finium, quod quidem naturali sensui repugnat, etenim tunc quae a Deo sunt, ordinata non invenirentur: 2.° titulo *auctoritatis*; quoniam Ecclesia non modo infallibilitate fruitur ad docendum in abstracto, verum

etiam auctoritate fungitur ad decernendum in concreto et in singulis casibus judicandum, utrum leges per civilem potestatem conditae sint necne aeternae populorum saluti noxiae vel divinae ipsius constitutionis sacrorumve jurium laesivae.

Et sane, si subditi de hoc judicare possunt, quia eis non licet legibus evidenter peccaminosis obtemperare; si ob eamdem rei evidentiam privati leges vel jussa contra conscientiam infrigentes, et in foro interno excusandi, et in foro externo absolvendi, Ecclesia cui a Christo Domino supremum munus atque auctoritativum judicium concreditum est, ut ea omnia, quae ad fidelium sanctificationem aeternamque hominum salutem ducunt, doceat atque definiat, optimo et potiori jure judicium proferre poterit de liceitate vel illegitimitate, necnon de validitate vel nullitate earum legum, quae Dei ordinationi aut consecutioni ultimi finis plane reluctantur; secus enim societas a Jesu Christo instituta omni auctoritate careret, immo etiam pejoris esset conditionis ipsis subditis atque privatis.

152. Ad ordinem *juridicum* quod attinet, haud haesitamus Ecclesiae adscribere tamquam potissimam forsitan facultatem et praestantissimam potestatis indirectae attributionem jus *cognitionis* quoad quaedam per se temporalia, ob specialem relationem cum ordine spirituali vel necessariam cum supremo et ultimo fine connexionem.

Cum Ecclesiae tribuimus ac vindicamus potestatem de quibusdam causis *cognoscendi,* quae per se temporales sunt, quamvis peculiarem relationem ordini spirituali dicunt, *absolute* et *speculative* loquimur, hoc est, attento rigore juris sacri, spectata concordia utriusque legislationis, canonicae atque romanae, necnon vigente ecclesiastica immunitate; nam si quaestio *relative* ac *practice* inspiciatur, id est, si ejusmodi disquisitio juxta praesentes circumstantias et actualem agendi

morem instituenda sit, supervacanea videtur quaelibet discussio hac super re; etenim hodiedum, ubique praevalente jure *novo*, deficiente ut plurimum concordia juris civilis communis seu romani cum canonico, spretisque, conculcatis vel suppressis fere apud omnes gentes et christianas nationes sacris immunitatibus et clericalibus privilegiis, Ecclesia, ratione habita rerum, animorum ac legum mutatione, ab hujusmodi causis judicandis prorsus abstinet, etiam Romae, ubi in praesentiarum Vicariatus urbis non amplius cognoscit de causis civilibus, in quibus clerici conveniuntur ut rei, et sic de caeteris.

Sed, licet recentiori aetate jura Ecclesiae laedantur et inficientur; quamvis legislatio canonica hodie violetur et parvipendatur; etsi hisce ominosis temporibus spiritualis potestas omnes suas partes adimplere nequeat; verumtamen catholici viri jura sacratissima Ecclesiae quovis tempore et quibuslibet adjunctis verebuntur, sacras leges et antiquissimas christianae traditionis praxes semper custodient, atque sublimem et spiritualem potestatem, quae in Supremo Pontifice, sacris Antistibus ac ecclesiasticis Magistratibus enitet, sincero amore, summa reverentia et jugi obsequio prosequentur.

153. Eapropter utile ac opportunum ducimus heic subjicere levissimam summam seu potius brevem elenchum praecipuarum causarum, de quibus, quamvis de se temporalibus, cognoscere valet Ecclesia propter specialem relationem ad ordinem spiritualem:

1.° Ratione *scandali*, ecclesiasticus judex judicare potest de delictis publicis, poenitentias canonicas imponendo vel alias coercitiones adhibendo, integra manente potestate auctoritatis civilis eadem directe et per se puniendi; licet enim omnia delicta sanctitatem offendant, peccata cum scandalo fini Ecclesiae seu sanctificationi fidelium maxime adversantur, quandoquidem

non modo peccatorem a fine suo alienant, sed etiam reliquos pravo exemplo pervertere ac seducere queunt, ideoque ordinem socialem et publicum Ecclesiae subvertunt.

2.° Ratione *inhonestatis,* tribunali ecclesiastico specialiter subsunt delicta contra bonos mores; nam hujusmodi crimina non solum bonum temporale laedunt, uti furtum intrinsece malum et necessario plectendum ob injustam boni temporalis offensionem, sed etiam fini ecclesiastico peculiari modo opponuntur, cum societatem spiritualem sensim ac clanculum pervertant, publicam morum depravationem fovendo, atque fidelium sanctificationem summopere impediendo: hinc praefata delicta, non modo ratione scandali cum fuerint notoria, verum etiam ratione suae inhonestatis puniri possunt ab Ecclesia, salva semper majori punitione, quam status civilis infligere valet directe atque intuitu juris temporalis laesi, velut fit in adulterio, aliisque criminibus.

3.° Ratione *exterioritatis,* Ecclesia, praeter delicta publica et crimina contra bonos mores, quae populo christiano occasionem scandali praebere vel ruinam spiritualem gignere solent, potest insuper fideles corripere de quolibet alio peccato mortali in foro externo cognito ac demonstrabili; ita enim aperte colligitur ex Jure Canonico, in quo expresse statuitur: "Cum enim non humanae constitutioni sed divinae potius innitamur, quia potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo, nullus qui sit sanae mentis ignorat, quin ad officium nostrum spectet de quocumque peccato mortali corripere quemlibet christianum; et si correptionem contempserit, per districtionem ecclesiasticam coercere„ (1).

Hoc jus ex ipso fine Ecclesiae immediate derivatur,

---

(1) Cap. Novit ille XIII *de judiciis.*

quae, cum cujuslibet fidelis saluti totam curam impendat, peccatoris correptionem procurare tenetur; alioquin salvatio animarum frequentissime in discrimen versaretur.

4.° Ratione *correptionis fraternae*, Ecclesia jure divino-positivo innixa, uti ex Evangelio constat (1), videre potest de controversia inter duos fideles, quando nempe queritur unus se laesum ab alio, hoc est, fratrem in eum peccasse; age jam, ut Ecclesia, juxta praeceptum evangelicum, videat an vere frater in fratrem peccaverit, cum id etiam in re temporali contingere queat, necesse est cognoscat de ipsa causa temporali, cujusmodi eveniret in casu injustae damnificationis; sed quoniam peccatum perdurat donec restituatur ablatum, vel aliter parti laesae satisfactum sit, recte consequitur Ecclesiae fas esse non modo de transgressione jam perpetrata cum injuria et fratris laesione judicare, verum etiam ob correctionem peccantis praescribere compensationem damnificato faciendam, vel satisfactionem laeso praestandam.

Praemonendum est Ecclesiam hac indirecta cognitione de causa temporali nullo pacto sibi arogare jurisdictionem civilem, quia de re temporali non judicat praecise, prout temporalis est, se quatenus hujusmodi controversia materia et causa peccandi habetur. Quapropter si controversia legitima sententia auctoritatis civilis finita fuerit, Ecclesia declarat partem victricem tuto uti posse sententia sibi favorabili, seu quod idem est, in usu et exsecutione ejusmodi sententiae peccatum non esse; sin vero judex saecularis sententiam manife-

---

(1) *Si autem peccaverit* «in te» *frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos: dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (Matth. cap. XVIII, vv. 15, 16 et 17).

ste iniquam aut injustam protulerit, tunc neque in foro conscientiae tuta et tranquilla esse potest pars victrix, neque in foro externo ecclesiastico valida censetur talis decisio, sed, cum error judicis saecularis manifeste constet, judex ecclesiasticus pronuntiare tenetur partem victricem ac injusta sententia utentem adhuc esse in statu peccati, ac proinde vel corrigendam, vel si reluctetur, ecclesiastica districtione coercendam.

5.° Ratione *neglectae justitiae*, ecclesiasticus judex de rigore juris videre potest causas temporales inter laicos, quando eis negatur justitiae administratio, vel negligitur, vel aliquae parti sententia aperte iniqua gravamen infertur, quod quidem in Jure Communi expresse statuitur (1).

Quamvis enim ad saecularem magistratum directe spectet controversias temporales judicare, indirecte tamen, hoc est, ratione auferendi peccatum ejusque occasionem, de iisdem etiam cognoscere valet judex ecclesiasticus, quia haec auferre ad finem Ecclesiae pertinet. Cum igitur in casu neglectae justitiae, vel sententiae manifeste iniquae a judice laico latae, deficiat medium directe juridicum ad vitandas occasiones peccati, vel removendum ipsum peccatum, prout controversia orta fuerit aut evidens injuria illata sit, Ecclesia, munere suo fungens peccata eorumque occasiones e medio juridice tollendi, huic civilis auctoritatis deficientiae supplet suis judicibus permittendo hujusmodi causas videre.

6.° Ratione *pietatis*, tractari possunt a foro ecclesiastico causae miserabilium personarum in casibus a jure praefinitis; nam Sacrae Litterae protectionem viduarum, pupillorum, aliarumque miserabilium personarum saepissime spectant atque commendant veluti opus misericordiae, ideoque ad Ecclesiam attinet earum de-

---

(1) Cap. VI et X *de foro competente.*

fensionem assumere, si quando derelictae aut injuste oppressae ejus praesidio ac tutela egeant.

Recenseri merentur tres casus in Jure specialiter determinati: [a]) cum ipsae miserabiles personae ad tribunal ecclesiasticum accedunt ob negligentiam judicis laici in reddenda justitia (1); [b]) quando vidua vel pupillus (licet divites sint), vel quaelibet aliae miserabiles personae, violenter oppressae et rebus suis exspoliatae fuerint, possunt apud judicem ecclesiasticum interponere interdictum *unde vi* ad possessionem recuperandam (2), quandoquidem ejusmodi reintegratio in possessionem a quo violenter deturbatae sunt, speciali modo ad protectionem viduae ac pupilli refertur, qui, etsi divitiis affluant, oppressione et injustitia ut plurimum affligi solent; [c]) cum de personis pauperibus agitur, ad judicem ecclesiastitum recursum semper habent.

7.° Ratione *juramenti*, sunt quoque quaedam obligationes res mere temporales respicientes, quae propter specialem relationem ad religionem seu necessariam cum fine spirituali connexionem ad judicem ecclesiasticum spectare possunt (3); quamvis enim certum sit omnem obligationem de se seu subjective esse habendam tamquam spiritualem, ac proinde ejus inobservantiam peccatum constituere, necesse est tamen admittatur existentia quarumdam obligationum, quae, utpote circa materiam temporalem versantes, ad ordinem temporalem pertinent, ideoque sub civilis magistratus jurisdictione cadunt.

Jam vero, cum ejusmodi obligationes pro majori sanctione atque religiosa confirmatione sanctitate *juramenti* muniuntur, tunc obligatio quae ex titulo justitiae vel charitatis tantum urgebat, accedente juramento jam

---

(1) Cap. Ex TENORE XI *de foro competente.*
(2) Cap. XV *de foro competente.*
(3) Cap. III *de foro competente.*

obstringere coepit ex motivo religionis, ex quo sequitur ejusdem transgressionem et religionem specialiter offendere, et a judice ecclesiastico judicari ac puniri posse.

8.° Ratione *connexionis*, seu, uti in sermone juridico dici solet, *ob continentiam causae*, quaedam habentur negotia aut quaestiones ordinis temporalis foro ecclesiastico adjudicandae; hoc autem in triplici casu praecipue contingere potest: [a]) ratione *dependentiae* unius vel plurium causarum ab altera, velut incidentalis a principali; si igitur quaestio temporalis incidat in quaestionem, de qua tribunal ecclesiasticum cognoscit, tunc enim compertum est resolutionem causae temporalis medium necessarium esse pro judicanda et dirimenda causa spirituali, quandoquidem judex ecclesiasticus, cum naturalem capacitatem habeat cognoscendi quae sunt ordinis temporalis, utpote naturali lumini subjecta, fit pro iisdem competens, eo ipso quod ad finem ejus referantur tamquam medium ad causae spiritualis seu principalis decisionem necessarium: [b]) ratione *personarum*, ecclesiasticus judex de causa civili intelligere potest, puta si clericus et laicus conveniendi sint in eadem causa ut rei; etenim hoc in casu, ob concordiam Juris Communis seu Romani cum Canonico, res obvia atque comperta apud juristas est causam non esse dividendam, sed in eodem tribunali finiendam; age jam, cum judex laicus propter privilegium fori (canonice et absolute loquimur, hoc est, spectatis praescriptionibus juris sacri, et vigente agnitaque immunitate personali) incompetens evadat adversus clericum, uterque reus ab ecclesiastico judice judicari debet, quo quidem mirifice consulitur et simplicitati processus, ne bis eadem causa instituatur, nempe, apud tribunal ecclesiasticum pro clerico atque apud saeculare pro laico, simulque etiam rectitudini justitiae, periculum removendo contrariae sententiae in eadem causa: [c]) ratione *tituli*, cum de ea-

dem re agendum sit, ex qua per consequens plures oriantur quaestiones, uti si causa versetur circa viri adulterium pro juridice declaranda separatione cohabitationis, ex quo necessario consequitur etiam restitutio dotis; tunc enim ecclesiasticus judex, juxta explicitum Juris textum (1), cognoscere valet tum de prima causa, quia est proprie ecclesiastica, eique proinde competit, tum de altera causa, quia censenda est velut necessarium consectarium et legitima derivatio primae.

Ex his, quae leviter pro scopo nostro adumbravimus, plane colligitur quasdam exstare causas de re temporali pertractantes, quae tamen proculdubio Ecclesiae competunt vel propter elementum spirituale adnexum, vel ob specialem relationem ad spiritualia; omnes equidem fateri tenentur judicium sub respectu spirituali Ecclesiae esse deferendum; quod vero ad respectum temporalem attinet, si res temporalis a spirituali inseparabilis fuerit, ejus cognitio ac decisio quoque ad tribunal ecclesiasticum pertinet; sin autem temporale a spirituali separabile sit, tunc habetur seu exsurgit causa mixti fori, quae nimirum ab utroque judice, ecclesiastico et saeculari cognosci potest.

ARTICULUS II.

SUMMARIUM.

154. Jura potestatis indirectae in ordine *regali*.—155. Probetur Ecclesiam judicare ac corrigere posse, atque reipsa aliquando Principes saeculares punivisse.— 156. Modus servatus in exercitio hujus potestatis.—157. An Romani Pontifices eadem usi fuerint jure *divino, publico* vel *feudali*.

154. Si vero potestatem indirectam Ecclesiae relate ad ordinem *regalem* perpendere malimus, facile est

(1) Cap. III *de restitutionibus inter virum et uxorem, et dote post divortium restituenda.*

comperire eam hujusmodi facultate triplice pacto usam esse, nimirum, Principes *corrigendo,* Imperatores vel Reges interdum *deponendo,* atque ipsa regna seu ditiones temporales *adjudicando.*

De primo capite vix controversia viget, quippe ex authenticis documentis apertissime constat Principes saeculares saepenumero a Summis Pontificibus, Christi Vicariis, fuisse correptos ob actus civilis potestatis, necnon aliquando ecclesiasticis poenis mulctatos esse ob delicta civilia: hinc auctoritatis pontificiae osores, velint nolint, fateri tenentur Petri Successores vi supremi sui muneris, hoc est, ad vitanda peccata, populosque in viam salutis aeternae perducendos, omni tempore recte potitos esse, atque in posterum jure meritoque potitum iri facultate indirecta Principes inique agentes objurgandi, vel Summos Imperantes plebem christianam a fine ultimo avertentes salutaribus poenis plectendi.

Sed magna contentio ac dissidium apud viros in historia et jure versatos extat, cum agitur de exponenda et vindicanda Romanorum Pontificum potestate ad Principes deponendos et Regna impertienda: quaeri enim solet, quo jure Pontifices medio aevo (recentiori aetate, *mutatis adjunctis,* ne quidem vestigium manet exercitii hujus potestatis) Imperatores vel Reges e solio deposuerint populos a juramento fidelitatis absolvendo, simulque quanam auctoritate Supremi Christianitatis Hierarchae regna instituerint, dominatum temporalem in regiones determinatas aut ampla territoria contulerint, vel quibusdam dominis Sanctae Sedis feudatariis gloriosum Principum seu Regum titulum donarint.

Occasione hujus celeberrimae controversiae Apostolicae Sedis hostes omne calumniarum ac conviciorum genus adversus Episcopos Romae passim congessere, atque etiam ipsi scriptores catholici, praejudiciis abrepti, aliquando hac de re minus recte pertractarunt.

Quapropter pro hac discussione, semota quacumque partialitate, rite enucleanda, primum, argumentis ineluctabilibus in medium prolatis, Romanis Pontificibus vindicabimus potestatem ipsis insitam Principes a recta fide devios, in publicis flagitiis contumaces, vel populos sibi subjectos tyrannice opprimentes corripiendi vel etiam salubriter puniendi; dein vero, duce justitia et veritate, ostendemus Christi Vicarios, cum nonnunquam Reges deposuerunt, aut titulos ditionesve temporales concessere, legitimo jure egisse, immo etiam optime de societate civili ac religiosa esse meritos, quando *Christianitas* adhuc in Europa vigebat.

155. Nunc vero, Ecclesiae inesse veram ac legitimam potestatem Principes saeculares, publice delinquentes vel contra naturalem honestatem et rectam justitiam peccantes, judicandi ac corrigendi triplici argumentorum genere perfacile evincitur, scilicet, ratione, auctoritate atque historia.

Ratione. 1.° Inficiari nequit, quin Principes, ut tales spectati, hoc est, tamquam summi imperantes publico populorum regimini praefecti et bono communi societatis civilis curam impendentes, officia, et quidem ob altissimam ipsorum dignitatem graviora et praestantiora illis, quae caeteris privatis incumbunt, adimplere cogantur; age jam, sicut foro interno Ecclesiae subjiciuntur, si quando hujusmodi sacratissimas obligationes principali auctoritati ac supremo regimini vinculatas negligant aut infringant, ita etiam foro externo subesse possunt, cum neglectus vel transgressio officiorum, id est, peccatum a personis in regia dignitate constitutis patratum exterius pateat, et notorium penes ipsos subditos fiat: apposite ad rem memorare sufficiat celebratissimum Sancti Ambrosii exemplum, qui apostolica firmitate Theodosium Magnum ob caedem seu crimen Thessalonicae publicae poenitentiae subjecit.

2.° Deinde, Principes pariter ac privati ad finem

Ecclesiae consequendum tenentur, quia sunt coram Ecclesia agni pascendi sicut caeteri fideles, ipsisque honestatis custodia atque ordinis moralis observantia aeque ac christianis privatis necessaria est; si igitur in legem moralem, tum divinam, tum ecclesiasticam, sive per actus privatos, sive illegitimo exercitio jurium, quae majestatica vocantur, peccaverint, Ecclesia cui profecto competit facultas de peccato judicandi atque in ordine morali censuram in cunctos fideles exercendi, etiam Reges juste corripere potest, et ab eisdem reparationem damnorum jure repetere valet, quando injustam laesionem alicui certo intulerint.

Auctoritate. 1.° Sub Innocentio III magna exorta est controversia inter Joannem regem Angliae atque Philippum Augustum Regem Galliae ob possessionem Comitatus Pictaviensis, Franciae feudi; sed cum acriter contendissent, ut armis quaestionem dirimirent, tandem armistitium jurejurando pacti sunt; postea vero, cum rex Galliae pacem juratam violasset et Comitatu vi adhibita potitus esset, Joannes ejusmodi perjurium Romano Pontifici denunciavit, qui re cognita, illa verba Deuteronomii memorans: *Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum: nec accipietis cujusquam personam* (1), explicite docet Ecclesiae competere jus etiam ipsos Principes corripiendi, quia non aliter cum Regibus et aliter cum fidelibus seu privatis agendum est, ideoque eum propter supremam auctoritatem spiritualem posse "hoc modo procedere super quolibet criminali *(mortali)* peccato... praecipue cum contra pacem peccatur, quae est vinculum charitatis„ (2). Deinceps autem Summus Pontifex judicibus delegatis comissionem impertitur, ut "de plano cognoscant an justa sit querimonia, quam contra eum *(Regem Galliae)* propo-

---

(1) Deut. cap I, v. 17.
(2) Cap. NOVIT ILLE, *de judiciis.*

nit coram Ecclesia rex Anglorum, vel ejus exceptio sit legitima."

2.° Compertum insuper est saeculo XIII Philippum IV Galliae cognomento *Pulchrum* lites funestas atque gravissimas cum Bonifacio VIII esse contestatum, qui, ut tantam tamque effrenem elati Regis audaciam compesceret, celeberrimam Bullam *Unam sanctam* edidit, in qua hujusmodi praeclara et luculenta verba reperiuntur: "Oportet gladium esse sub gladio, et temporalem auctoritatem spirituali subjici potestati. Nam cum dicat Apostolus: *non est potestas nisi a Deo; quae autem sunt a Deo, ordinatae sunt;* non autem essent ordinatae, nisi gladius esset sub gladio, tamquam inferior reduceretur per alium in suprema... Ergo si deviat terrena potestas, judicabitur a potestate spirituali; sed si deviat spiritalis minor, a suo superiori; si vero suprema, a solo Deo... Porro subesse Romano Pontifici omni humanae creaturae declaramus, dicimus, definimus et pronunciamus, omnino esse de necessitate salutis" (1).

Locus allatus doctrinam de potestate indirecta Ecclesiae in temporalibus generatim corroborat, cum Romanus Pontifex in celebri Constitutione non de potestate dogmatica loquatur, sed de auctoritate suprema regiminis, hoc est, de jurisdictione pontificia in ordine disciplinari et quoad res externas ac temporales; etenim supponit potestatem supremam spiritualem errare aut *deviare* posse, quod tantum in factis particularibus ad externam politiam spectantibus evenire queit.

Historia. Ex historia demum luculenter constat Romanos Pontifices Principes saeculares correptione saepius prosequutos fuisse, excommunicatione etiam passim puniisse, interdum vero poena depositionis mulctasse; sive ob delicta contra bonos mores, puta assum-

---

(1) Vid. tit. DE MAJORITATE ET OBEDIENTIA, *inter communes.*

ptionis duarum mulierum in uxorem, ut fecit Lotharius ab Ecclesia de hoc correptus; sive ob crimina contra rempublicam seu saevam in subditos tyrannidem, velut saepenumero suprema Successorum Petri auctoritate objurgati fuere in Oriente Caesares ariani, schismatici aut iconoclastae, in Occidente quamplurimi Imperatores Germaniae et non pauci Reges nationum Europae; sive ob violatam Ecclesiae libertatem plenamque ejus independentiam, uti Henricus II Angliae atque Philippus IV Galliae a Summis Pontificibus Alexandro III et Bonifacio VIII graviter reprehensi vel solemniter damnati; sive ob rebellionem contra Apostolicam Sedem ejusdemque jurium apertam laesionem, puta Fridericus II, Otho IV atque Henricus IV solemni depositionis poena puniti; sive ob frequentes usurpationes contra sacram immunitatem ac divinam Ecclesiae auctoritatem, sicut Josephus II Austriae, Leopoldus Dux Etruriae, atque Duces Parmensis et Complutensis (Vice-regius Neapolitanus) a Sancta Sede saepius admoniti atque aliquando gravissimis censuris protriti; sive ob abusum *placiti regii* contra explicitam Apostolicae Sedis condemnationem, velut Joannes II Portugalliae, Ludovicus XIV et Ludovicus XV Galliae, atque Philippus III, IV et V ac praecipue Carolus III Hispaniae, qui Romanos Pontifices coegerunt hanc perniciosam corruptelam palam denunciare, atque iterum iterumque ejusmodi detestabilem morem acriter improbare; sive ob illegitimum jurium, quae coronae *regaliae* nuncupantur, exercitium adversus ecclesiasticam potestatem, uti plures Ludovici Galliae, qui tuendi ergo libertates et consuetudines *gallicanas* appellatas magno dissidio sacerdotium inter et imperium ansam dedere, necnon aliqui Philippi, Caroli et Ferdinandi Hispaniae, qui occasione jurispatronatus, inquisitionis et *regium exsequatur* contentiones celeberrimas sustentare, vim ut plurimum adhibere, Nuntios Pontificios ejicere, relationes cum Apostolica Sede

abrumpere, ejusque publicam reprehensionem mereri veriti non sunt, manifesta Ecclesiae injuria, ingenti religionis pernicie et gravissimo populi christiani scandalo; sive demum ob pecuniam falsi valoris emissam contra naturalem aequitatem et rectam justitiae notionem, quod quidem nonnulli Principes dolosi in detrimentum societatis civilis perpetrare inique ausi sunt, punica fide agentes populosque deridentes, ac proinde optimo jure digni habiti sunt supremum auctoritatis pontificiae judicium subire, et stigmate justae reprobationis apud omnes gentes inuri.

156. Ex praejactis aperte colligitur Ecclesiam potestate indirecta gaudere animadvertendi in Principes eosque salutaribus poenis plectendi; attamen hac super re distingui oportet jus ab exercitio juris: quoad *jus*, ratio, pontificiae constitutiones atque ipsamet historia, uti nuper demonstravimus, simul conspirant in vindicanda Ecclesiae hujusmodi facultate; ad *exercitium* vero juris quod attinet, monendum esse ducimus catholicam Ecclesiam atque Summos Pontifices, Christi in terris Vicarios, assidua moderatione ac singulari prudentia semper usos fuisse propter magnam reverentiam eminenti Regum et Principum auctoritati debitam; et si quando severius egerunt, duriorem formam adhibere coacti sunt, vera et imperiosa necessitate impulsi, vel ob delicta privata enormiter scandalosa, vel ob delicta publica honestati morum contraria, ordinem socialem subvertentia, aut generali populorum bono noxia.

Deinde notandum est relate ad punitionem non omnes poenas pariter ac indiscriminatim applicari posse Principibus in altissima dignitati constitutis atque privatis, qui hujusce praeeminentia carent; exinde Ecclesia in puniendis Principibus poenitentias atque censuras, quae ad poenitentias suscipiendas obstringunt, potius inflixit, quam veras et proprie dictas coercitiones; etenim poenae vim coactivam exigentes in Princi-

pes, donec imperio potiuntur, adhiberi nequeunt, quoniam vis militaris necessaria ad poenae applicationem ab ipso Principe suppeditari debet, et recto ordini adversatur ejus milites arma contra ipsum ducem aut superiorem gerere, donec sub ejusdem potestate manent. Aliter vero de hac re censendum est in casu depositionis Regum, de quo postea sermo instituetur; nam, hac gravissima poena semel imposita, liquido patet etiam applicari posse alias poenas temporales ac coactivas, si quando necessitas vel bonum publicum hoc punitionis genus exposceret.

157. Pro hac quaestione plane dilucidanda et gratuitis Regalistarum assertionibus confutandis inquirendum superest, num Pontifices Maximi potestate indirecta in Principes usi fuerint jure *divino, publico* vel *feudali.*

Et quidem juristae in scholam regalisticam cooptati non minus inepte quam falso effutire ausi sunt Romanos Pontifices non jure *divino* et nativa auctoritate innixos praedictam potestatem medio aevo exercuisse, sed ita processisse vel ex jure *publico* tunc temporis vigente, id est, jure humano contingenti, quandoquidem aetate media Pontifex agnoscebatur ut Caput christianitatis etiam in iis, quae ad publicam tranquillitatem et mutuas nationum relationes spectabant; vel ex jure *feudali,* quippe de Principibus Sanctae Sedis feudatariis agebatur, uti Rex Angliae qui Ecclesiae Romanae tributarius erat, ideoque sub ejus speciali protectione positus.

Nunc vero perfacile ostenditur tum Innocentium III, tum Bonifacium VIII et jure divino fulcitos egisse, et de potestate insita et Pontificio primatui inhaerente in suis Constitutionibus loquutos esse.

Quod enim Innocentium III respicit, ratio agendi et decernendi tota desumitur ex jure divino, nempe, ex evangelio atque ex natura officii pastoralis, uti clarissime eruitur ex textu litterali Decretalis Pontificiae, in

qua Innocentius explicite protestatur se non judicare causam sub respectu temporali, sed tantum ratione peccati nimirum, pacis juratae ac violatae: *Non enim intendimus*, ait Pontifex, *judicare de feudo, cujus ad ipsum* (regem) *spectat judicium... sed decernere de peccato, cujus ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus et debemus* (1). De jure vero feudali, hoc est, de potestate Innocentii III in Henricum II Angliae utpote Sanctae Sedis tributarium, nulla mentio fit a Pontifice, quin etiam aperte declarat cognitionem causae, nempe videre atque judicare de feudo Pictaviensi, circa quod litis versabatur, ad Philippum Regem Galliae spectare velut Dominum feudalem.

Si de Bonifacio VIII sermo sit, nullus locus ambigendi relinquitur, siquidem expresse docet ex Dei voluntate potestatem temporalem, quoties in erronem labatur, a spirituali judicari et corripi debere; atque pro hac divina dispositione constabilienda affert tamquam rationem intrinsecam originem omnis potestatis a Deo, et rectam potestatum ordinationem a Supremo Domino ac Legislatore intentam atque praescriptam. Et sane, oportet quae a Deo sunt potestates, ordinatas esse; sed non essent ordinatae, nisi una saltem indirecte subderetur alteri, et sic inferiora ad suprema reducerentur.

Potestas indirecta Ecclesiae jure divino competens in res temporales et ipsas Regum personas a Clemente V denuo proclamata et sancita fuit, qui in Constitutione *Meruit*, ad tollendum sensum aequivocum Bullae *Unam sanctam* tributum ob falsam atque dolosam interpretationem quorumdam juris civilis peritorum, asserentium Bonifacium VIII sua celeberrima Constitutione intendisse regnum Francorum dependens a Sancta Sede facere quodam gradu feudalitatis seu titulo specialis fide-

(1) Cap. *Novit ille* jam citatum.

litatis temporalis, veluti regnum Siciliae vel Angliae (1), aperte tradidit Bullam Bonifacii VIII fuisse tantum declarativam juris divini, ac proinde res omnes perseverare in eodem statu ac antea inveniebantur, quin libertati regni Franciae quidpiam vel minimum detraheretur, qua quidem auctoritativa declaratione potestas indirecta-Romanorum Pontificum in iis, quae ad ordinem *regalem* spectant, nova et firmissima sanctione munita est.

ARTICULUS III.

Summarium.

158. Jus Ecclesiae quoad depositionem Principum.—159. Differentia inter declarationem juris et privationem regni.—160. Ostendatur Romanos Pontifices nonnullos Imperatores medii aevi Ecclesiae hostiles pleno ac optimo jure poena depositionis mulctasse.—161. Origo *Sacri Imperii Romani.*—162. Natura Imperii in Occidente restaurati.—163. Connexio dignitatis Imperialis cum regnis Germanico et Italico.—164. Causae justae depositionis.

158. Romani Pontifices, Christi Vicarii, non modo Principes regnantes corrigere, eosque excommunicatione aut publica poenitentia punire consueverunt, verum etiam interdum Imperatores ac Reges medio aevo poena depositionis mulctarunt. Et re quidem vera, duo facta luculentissima et ineluctabilia Historia nobis testatur, nempe: 1.° Pontifices Maximos a Gregorio II, qui anno 731 Italis vetavit solvere vectigalia Graecis, usque ad Paulum V, qui Rempublicam Venetam interdixit, Summos Imperantes novies deposuisse aut populos ab obedientia solvisse; 2.° sententiam Romanorum

---

(1) Exploratum apud omnes est opera et fraude hujusmodi jurisconsultorum esse confictas Litteras Summi Pontificis ad Philippum exasperandum, quae ansam dedere apertae Regis rebellioni, tanta violentia et animorum aestu exortae, ut Bonifacium falsum Papam declarare, eumque per suos milites atque nonnullos proditores captivum apud Ananiam facere ausus fuerit.

Pontificum, exceptis duobus postremis casibus, fideliter esse adimpletam, ideoque gravissimam punitionem Regibus vel Supremis societatis civilis Moderatoribus a B. Petri Successoribus inflictam septies exactam applicationem et positivum effectum sortitam esse.

In exponendis hujusmodi factis discrepant inter se historici ac juristae, juxta diversa scholae praejudicia et subjectivum auctorum criterium. Hostes Ecclesiae ore pleno, adversus Romanorum Pontificum agendi rationem conclamare solent, veluti magnum potestatis Ecclesiae abusum; nonnulli dissidentes et acatholici, praesertim ex recentioribus Protestantibus, sinceritate ducti et testimonio historico suffulti, ingenue fatentur et interventionem Pontificiam in praefatis quaestionibus circa punitionem Principum versantibus fuisse salutarem, et depositiones Regum justas atque legitimas esse habendas, utpote juri publico tunc temporis vigenti plene consonas; inter ipsos catholicos non defuerunt neque desunt aliqui scriptores de hac salebrosa controversia minus recte sentientes, suasque privatas opiniones quadam temeraria imprudentia aut reprobanda levitate, vel saltem absque debita erga Apostolicam Sedem reverentia palam profitentes; plerique vero apologistae ac jurisperiti catholici, quorum sententiae libenti animo et plena convictione assentimur, validissimis argumentis, tum historicis, tum juridicis, innixi et causam Pontificatus viriliter agentes, Pontifices mediae aetatis strenue tuentur, eos a prope innumeris calumniis ineptisque accusationibus vindicando.

Nos igitur hanc gravissimam discussionem aggredimur sincero veritatis amore et recto justitiae sensu tantum permoti, ideoque affirmamus et contendimus Romanos Pontifices, cum medio aevo Imperatores vel Reges justis de causis e solio deturbarunt, optimo jure et legitima facultate usos fuisse in Ecclesiae defensionem, populorum bonum, et civilis societatis munimen atque tutelam.

159. In primis autem animadvertere oportet duo accurate esse distinguenda passim ab inimicis Pontificatus permixta, scilicet, declarationem juris et privationem regni; aliud est enim declarare seu interpretari ipsum jus publicum, sive naturale, sive positivum, aliud vero ab imperio, regno, vel suprema auctoritate Summos societatis civilis Rectores privare.

Certum compertumque est Romanos Pontifices interdum interrogatos ab iis, quorum intererat, an Principes maxime electivi, qui potestatem populos regendi quibusdam limitationibus positivis circumscriptam susceperunt, vel Reges, qui propter imbecillitatem, ignaviam aut impotentiam incapaces seu inepti ad subditos moderandos redditi sunt, amittere possint regnum, judicium auctoritativum hac de re aliquando tulisse; etenim in memoratis casibus non agebatur de exercitio potestatis dominativae seu de actu jurisdictionis primatialis, sed de exercitio potestatis declarativae, hoc est, de magisterio auctoritativo, Petri Successoribus competente ut supremis judicibus ac custodibus moralitatis publicae atque privatae. Inter varios declarationis casus, qui in medium proferri possent, memorandum venit notissimum exemplum translationis Regni Francorum a prima dynastia *merovingica* ad secundam, quae *carolovingica* appellata est: cum enim postremi reges stirpis merovingicae potius nomine quam re suprema auctoritate potirentur, quippe regia potestas exercebatur et possidebatur a Majore domus, potentissimo feudatario inter Regni dignatarios, Pipinus egregius Caroli Martelli filius, in regem exoptatus a Regni primoribus, a Sancto Zacharia veniam, assensum ac declarationem postulavit, ne jura aliorum Principum laederentur; sed postquam Summus Pontifex reposuit omni jure insigniri posse regio titulo illum, qui respondenti potestate jam gaudebat, nihilque obstare vim juramenti Childerico III postremo Merovingiorum regi

praestiti, quia principali corruente res accessoria prorsus deficit, Rex Francorum, Pontificia declaratione munitus, Episcopos atque Magnates Augustae Suessonum congregavit, ubi depositus est Childericus et proclamatus Pipinus, quem Sanctus Bonifacius Germaniae Apostolus solemniter consecravit.

Jam vero, hisce declarationis casibus praetermissis, nobis agendum est de vera et publica supremae auctoritatis privatione contra Imperatores vel Reges per Pontifices Maximos decreta, et reipsa ut plurimum sequuta, uti statim videbimus. Perspicuitatis gratia, depositionem Imperatorum Sacri Imperii Romani sejunctim perpendemus a depositione aliorum Regum, quorum meminit Historia.

160. Ad depositionem Imperatorum Occidentis quod attinet, ut plene evincatur Summis Pontificibus saeculis promediis legitimam atque indubitatam adfuisse potestatem Imperatores Germaniae rebelles aut hostiles usque ad privationem supremae auctoritatis puniendi, satis erit animadvertere, cum de dignitate Imperiali saeculo VIII instaurata agitur, quaestionem versari circa rem ratione *originis* ab Apostolica Sede dependentem, ratione *naturae* Ecclesiae obligatam, ratione *nexus* cum regnis Germanico et Italico amissibilem, atque denique ratione *usus* ut plurimum male interpretatam, necnon in magnum abusum degeneratam.

Inde consequitur jus proprium ac insitum, quo Petri Successores aetate media usi fuere, poenam depositionis velut supremum recursum et postremam punitionem contra Principes reluctantes aut contumaces infligendi, pro se habuisse quatuor potissima fundamenta, quae tamquam totidem firmissima argumenta invictissime corroborant et plane declarant rectum atque legitimum hujusce potestatis pontificiae exercitium, nimirum primaevam *institutionem*, genuinum *conceptum*, juridicam *connexionem*, et frequentem *extralimitationem* Sacri Imperii Romani.

161. *Institutio.* In primis enim, dignitas Imperialis in sua origine a Supremis Christi Vicariis prorsus pendebat; omnes siquidem norunt Apostolicam Sedem, postquam Pipinum cognomento *Parvum,* ejusque filium Carolum Magnum *patriciatu* romano decoraverat, quo titulo Reges Francorum, prout mores illius temporis ferebant, armati patroni Pontificis et Urbis atque Populi Romani defensores nati constituti sunt, tandem Imperium Occidentis instaurasse in persona Caroli Magni. Et re quidem vera, anno 800 Summus Pontifex Leo III Carolo Magno, qui sedandi tumultus gratia in Romam pervenerat, et nocte Nativitatis Domini ad limina Apostolorum orabat, coronam imperialem imposuit, gratulante atque acclamante populo, qui in haec salutationis et laetitiae verba prorupit: *Vita et victoria Carolo, magno et pacifico Imperatori Romano, voluntate Dei coronato.* Ita ortum habuit secundum Imperium Occidentis, quod nomine *Sacri Imperii* tot vicissitudines, tantasque politicas mutationes tractu saeculorum subiit. "Igitur dignitas Imperialis, per S. Leonem III, Pontificem Maximum, saeculo VIII in persona Caroli pii Regis Francorum instaurata, a suis primordiis arctissimo vinculo et necessario nexu Apostolicae Sedi subjecta fuit„.

162. *Natura.* Deinde, Romanum Imperium auctoritate pontificia renovatum, constitutione ejus intima spectata, ligatum atque obstrictum Successoribus B. Petri juridice manebat; etenim dignitas novi Imperatoris Romani a dignitate antiqui Imperatoris Occidentalis maxime discrepabat.

Et sane, veteres Imperatores ante Odoacrum Herulorum regem veri monarchae exstiterant cum dominio proprio in universo Romano Imperio, adeo ut suprema potirentur civili auctoritate; dum e contra Romanus Imperator medii aevi nihil aliud erat quam Defensor armatus Ecclesiae inter Principes christianos

contra externos vel internos ejusdem hostes, quin vi hujus altissimae investiturae et politicae dignitatis peculiaria dominia aut determinatum principatum acquireret, neque aliquid juris obtineret in res civiles aliorum Principum Occidentalium: unde tantum constituebatur et agnosci debebat velut Caput defensionis Ecclesiae ad colligendas et ordinandas vires, quas Ecclesia in sui tutelam habebat, vel fideles eidem suppeditabant, pro adimplendo officio debitam opem et necessarium auxilium piae Matri praestandi.

Ex praejactis fas est conjicere duas potissimum rationes prae oculis habuisse Summos Pontifices ad Imperium Romanum denuo instaurandum, videlicet, tutam Ecclesiae defensionem atque rectum efficacemque ordinem in casu necessariae tuitionis; *securitatem* in defensione, quia cum Ecclesiae jus competat sese defendendi, cunctisque fidelibus vicissim incumbat officium praesidium juxta proprias vires in hunc finem praebendi, ipsi visum est consentaneum Principem specialem inter alios designare ad hoc praestantissimum defensionis munus obeundum, qui profecto quadam praeeminentia supra caeteros Principes Occidentales (1) gauderet, quemque simul omnes spectare deberent ut Caput et supremum Moderatorem in hoc gravissimo religionis negotio; *ordinem* et efficaciam in practica defensione, quandoquidem, fracto veteri Occidentis Imperio post ejus eversionem in plurima regna, multi Principatus majores orti sunt saepe plus nominales quam reales, ex quo sequuta est

(1) Animadvertendum est Ecclesiam, ne Imperatores Orientis offenderet, noluisse ad eos extendere supereminentiam novi Imperatoris Occidentis, cui juridice ac solemniter concredidit protectionem, quam olim praestarant veteres Imperatores Romani; attamen inter munera novissimo Occidentali Imperatori commissa etiam recensebatur officium Romanum Pontificem et Ecclesiam Catholicam ab insidiis et incursionibus Graecorum tuendi, ad quod fideliter exsequendum Praesules Romae expressam promissionem saepenumero exigere consueverunt.

necessitas Principem supremum seu Imperatorem instituendi pro Ecclesia tuenda; secus enim, si omnes absque Capite speciali munere defendendi Ecclesiam pari jure fruerentur, non modo gigneretur magna confusio, verum etiam propter contentiones, jurgia vel aemulationes defensio redderetur penitus impossibilis (1).

"Igitur Pontifices Maximi nullo pacto usurpationis, injustitiae aut laesionis argui possunt, si quando poena depositiones mulctarunt Imperatores Romanos medii aevi munus defendendi Ecclesiam haud adimplentes, immo etiam arma contra Christi Vicarios passim vertentes".

163. *Connexio.* Praeter hoc in memoriam revocare oportet dignitatem imperialem juxta rigorem juris amissibilem esse ad nutum Pontificis propter vinculationem coronae *aureae* (Sacrum Imperium) cum corona *argentea* (Regnum Germanicum electivum), cui saeculo X conjuncta fuit corona *ferrea* (Regnum Italicum). Et quidem designatio, confirmatio et continuatio seu inamovilitas personae, imperiali praerogativa insigniendae, beneplacito atque Sedis apostolicae decisioni prorsus obnoxia erat: 1.°, quia Summi Pontifices in Imperatorem eligebant eum, qui electus esset rex Germaniae, quod tractu temporis in quoddam veluti jus transiit; 2.°, quia

---

(1) Hanc fuisse mentem Summorum Pontificum in restaurando aetate media Sacro Imperio, unaque talem exstitisse veram notionem atque genuinum conceptum novae dignitatis Imperialis per Apostolicam Sedem institutae apertissime colligitur ex monumentis indubiis remotissimae antiquitatis; in corroborationen hujus veritatis nobis placet luculentum testimonium depromere ex celebri Epistola Ludovici II ad Basilium Imperatorem Constantinopolitanum, quae apud Baronium anno 871 legitur: «Hunc dignitatis Imperatoris titulum, ajebat Rex Francorum, cum in Momillo Augustulo, ultimo Occidentis Imperatore, ante trecentos ferme annos sub regno Gothorum in Italia defecisset, in eodem Occidente Pontifex renovavit, ut *haberet Ecclesia Romana adversus infideles, haereticos ac seditiosos tutorem*... Indicat hoc ipsius jurisjurandi formula... *In nomine Christi spondeo atque polliceor ego* N. *imperator protectorem ac defensorem fore hujus sanctae Romanae Ecclesiae in omnibus utilitatibus,* etc.»

electio regis facta per Principes Germaniae debebat a Papa confirmari; et solum ejusmodi sanctione accedente, electus in Imperatorem principatum civilem acquirebat ob praefatam unionem dignitatis imperialis cum regnis Germanico et Italico (1); 3.º, quia electio ex parte eligentium erat semper conditionata, atque ex parte electo conditio explicite vel implicite acceptata, nempe, dummodo persona electa in Regem digna esset, ut a Pontifice in Imperatorem quoque eligeretur, nec postea occasionem praeberet Christi Vicario suam confirmationem retractandi aut invalidandi; etenim Principes electores, plurimi facientes praeeminentiam Imperialem in suo Rege, totam curam impendebant eligendo in praefecturam Regni Germanici Principi, qui dignus haberetur apud Romanum Pontificem recipiendi Imperium, nec deinceps indignus fieret hujusmodi egregium titulum gerendi.

Ex dictis patet amissionem dignitatis imperialis non modo necessario importare exspoliationem muneris ecclesiastici Ecclesiam defendendi et quamdam praeeminentiam supra caeteros Occidentales Principes ostendendi, sed etiam indeclinabilem privationem regnorum Germaniae et Italiae; et hoc quidem ex ipsa voluntate eligentium acceptata ab electo: eapropter cum S. Gregorius VII Henricum IV justissime deposuit, Electores Germanici minime ausi sunt strenuum Pontificem de usurpatione vel injustitia patrata accusare, sed contumaci Imperatori tempus praefinierunt ad Pontifici satisfaciendum, ne transacto anno excommunicationis, in solemne anathema incurreret, atque suis juribus catholicae communioni vinculatis omnino destitueretur.

"Igitur nec dignitas Imperialis erat prorsus inamis-

---

(1) Monendum est Reges illius temporis ut plurimum feudales esse, ac proinde sub ipsis exstitisse multos principes et civitates liberas vim armatam habentes.

sibilis et irrevocabilis, neque Imperatores Romani spectari poterant velut Principes supremi Romae et Pontificiae ditionis; quippe veri et supremi Principes tam in Urbe quam in dominiis Sanctae Sedis fuerunt Petri Successores; exinde magistratus et primores populi romani, cum fidelitatem Imperatoribus jurarent, solemni juramento notissimam formulam addebant: *salva fidelitate jam promissa Domino Papae*„.

164. *Extralimitatio.* Nobis superest aliquid levissime innuere de magnis abusibus et saevis violentiis occasione *Sacri Romani Imperii* adversus Ecclesiam Romanosque Pontifices patratis, quae quidem inauditae extralimitationes aliquando coegerunt Christi Vicarios ad Imperatores Germaniae depositione puniendos, gratia compescendi effrenem eorum audaciam superbamque agendi rationem. Enimvero, omnes qui in historia mediocriter versati sint, fateri tenentur Imperatores Romanos aetate media frequenter et regiam dignitatem praepostere interpretatos esse, et munere imperiali ipsis per Pontifices generose collato protegendi Ecclesiam alias abusive, alias vero etiam inique et injuriose functos fuisse.

Quoad *regiam dignitatem*, eo usque devenerunt novi Imperatores Occidentis, ut sibi tribuerent potestatem, quam leges romanae antiquis Imperatoribus conferebant, Regem feudalem Germaniae ac Italiae erronee aut malitiose confundentes cum veteri Imperatore Romano, principes inferiores et civitates liberas neutiquam agnoscente; sic, ex. gr. videmus Fridericum I Aenobardum, cognomento *Barbaroxam*, in Comitiis generalibus Roncaliae habitis Codicem Justinianaeum pro se suisque juribus invocare esse ausum.

Quoad *protectoratum* Ecclesiae, Imperatores Romani medii aevi ejusmodi patronatum ut plurimum spectare assueverunt non ut munus sacratissimum et privilegium honoratissimum ipsis largitate pontificia

concessum, sed veluti dominium proprium et jus insitum: hinc quamplurimae usurpationes, magnae contentiones, atque frequentes rebelliones adversus supremam Summorum Pontificum auctoritatem, quae quidem odiosae pugnae et iteratae defectiones splendorem atque fastigium imperialis dignitatis ita imminuerunt, ut haec coram Ecclesia in rem potius nominalem quam realem devenerit, salvis semper juribus realibus et feudalibus, quae Imperatoribus in suis dominiis competerent.

"Igitur Romani Pontifices, si quando Imperatores non Orientis (nota bene) sed Occidentis, apostolica auctoritate in hoc supremo gradu constitutos, deposuerunt, jure proprio, plena justitia et gravissimis de causis egerunt, nimirum, ob execrabiles abusus atque damnandam extralimitationem altissimae dignitatis per Ecclesiam et in bonum Ecclesiae media aetate institutae.

ARTICULUS IV.

SUMMARIUM.

165. Depositio Regum.—166. Demonstretur Romanos Pontifices juxta jus publicum medii aevi legitime potuisse Reges Sanctae Sedi *tributarios* deponere.—167. Idem evincatur quoad Principes *liberos*.—168. Quid de hoc Pontificio jure aetate media vigente *critice* censendum sit.—169. Quaestio *juridica* de potestate Summorum Pontificum in Reges exponatur.—170. Sententiae *extremae* rijiciantur. —171. Sententia *media* generatim recepta propugnetur.—172. An Pontifices Maximi Principes Ecclesiae ac religioni adversantes usque ad depositionem punire valeant.

165. Praecedenti articulo demonstratum remanet potestatem regiam Imperatorum Occidentalium, qui a saeculo VIII per Romanos Pontifices eligebantur ac confirmabantur, utpote dignitati imperiali vinculatam, simul cum hac amitti posse, saltem quoad regna Ger-

maniae et Italiae; nam caeteros ducatus et comitatus haereditarios vel alia quaecumque dominia legitime acquisita Imperatoribus depositis integrum erat retinere: modo autem inquirendum venit utrum Summi Pontifices facultate instructi sint etiam alios Reges removendi.

Ad rectam propositae quaestionis solutionem Principes medii aevi in duas classes tribuere oportet; videlicet in Reges Sanctae Sedi *tributarios*, uti Etelvulphus rex Angliae, qui sub Leone IV (post dimidium saeculi IX) regnum suum tributarium fecit et annuum censum constituit, et in Reges *liberos* seu plena independentia gaudentes, velut Rex Galliarum, qui nullo gradu feudalitatis seu specialis fidelitatis temporalis erga Apostolicam Sedem obstringebatur.

Jam vero, ostendero intendimus Romanos Pontifices utrosque Proncipes a regno privare potuisse, sive res spectetur ex jure publico tunc temporis, sive tantum attendatur jus proprium Ecclesiae.

166. Et ad Reges *tributarios* quod attinet, indubium revocari nequit, quin Praesules Romani juxta jus publicum mediae aetatis legitimam interventionem exercere potuerint in negotiis publicis hujusmodi Regum, etiamque ipsos deponere ratione dependentiae stricte vel late feudalis; etenim exploratum apud omnes habetur Principes restricto vel latiori sensu feudales, ex principiis juridicis olim communiter receptis, sua jura, necnon ipsum regnum amittere posse, si fidelitatem erga suos Dominos aperte ac publice violarent.

Age jam, praedicta *dependentia* ab Apostolica Sede seu *feudalitatis* conditio erga Romanos Antistites ex triplici causa vel capite oriebatur: 1.°, ex *devotione;* multa namque regna ob pietatem atque reverentiam Sanctam Sedem agnoscebant uti habentem supremam auctoritatem feudalem vel quasifeudalem, quia Beato Petro oblata fuerant tamquam ipsi tributaria et specialiter

addicta, quamvis pro variis regionibus diversa esset haec subjectio: ita tributaria devenerunt regna Siciliae, Aragoniae, Angliae, Poloniae, Daniae, Norvegiae, Svetiae, Lusitaniae, et Neapolis.

2.° . Ex *concessione;* historia enim testatur Henricum III Imperatorem a Pontifice Leone IX recepisse abbatiam Fuldae aliaque dominia S. Sedis ultra Alpes, huic reciproce tradendo omnia dominia ultra-romana, id est, ad Imperium spectantia in Italia inferiori; deinde notum est eumdem Leonem IX (1053) Normannis concessisse in feudum Apuliam et dominia in Calabria et Sicilia acquisita contra Graecos et Saracenos; denique ex documentis authenticis (1) constat Pontifices Maximos titulo regio esse insignitos Hungariam (1073), Croatiam (1076), Poloniam (1080), Rogerium Siciliae (1139), Lusitaniam (1142), atque Hiberniam (1156).

3.° Ex *petitione*; in Epistolis S. Gregorii VII legimus filium Demetrii regis Russiae postulasse ab eodem Pontifice nomine patris sui recipere regnum e manibus S. Petri; regnum Hispaniae, juxta testimonium laudati Pontificis, jam ab antiquis temporibus et ante Agarenorum invasionem fuisse B. Petro consecratum, etiamque epocha restaurationis plures Principes Saracenos debellantes a Sancta Sede impetrasse possessionem ditionum seu territorii, a quo eos ejiciebant, nomine S. Petri; Dalmatiam demum, secundum gregorianam declarationem, a S. Petro regem accepisse (1).

Ejusmodi Beati Petri protectio a Principibus enixe exoptabatur tunc temporis, quia Romano Pontifici quamdam superioritatem conferebat in bonum pacis et populorum defensionem, simulque Regibus imponebat quamdam dependentiam late feudalem, quae ab ipsis invocari poterat pro tuendis regnis et asservandis pro-

---

(1) Conf. de hac re Walter.—*Manuale Juris Canonici*, vol. II.
(1) Vid. *Epist.* S. Gregorii VII, lib. II, *epist.* 74 et lib. VII, *epist.* 4.

priis dominiis, si quando propter bella, violentas incursiones vel injustas aliorum Principum exactiones in discrimen versarentur.

167. Si vero de Regibus *liberis* agatur, hoc est, de Summis Imperantibus plane independentibus, nullo vinculo feudalitatis proprie dictae vel latae dependentiae ligatis, facile erit evincere etiam ipsos, jure publico illius aetatis spectato, auctoritate pontificia poena depositionis legitime puniri potuisse, duplici potissimum titulo, scilicet, ratione *catholicitatis* et ratione *juramenti*, uti breviter demonstrabimus.

Ratione *catholicitatis*. Medio aevo ad regiam dignitatem acquirendam et possidendam requirebatur necessario tamquam conditio essentialis, expressa vel subintellecta, sed omnino adimplenda, summos imperantes communionem Ecclesiae servare, necnon publicum regimen catholicae professioni prorsus accomodare, obtinendi gratia solemne beneplacitum ac supremam Summi Pontificis sanctionem: hinc sicut hodiedum plura regna, puta Anglia, Dania, Svetia, Graecia, et nonnulla imperia, veluti Germania et Russia, in sua lege fundamentali adstruunt regem vel imperatorem sequi teneri anglicanismum, luteranismum, calvinismum, schisma aut graecam orthodoxiam, vel quamcumque aliam religionem, rectius loquar, sectam christianam, quia conditio christianitatis habetur tamquam tacite subintellecta in jure publico nationum Europae, adeo ut, si quis rex vellet fieri idolatra, certe non toleraretur, et citra legem scriptam; ita etiam saeculis promediis omnes principes, cunctae gentes et politici status religionem catholicam amplecti, profiteri atque tueri debebant, quia in constitutione fundamentali antiquae Europae Christianae, ex jure publico medii aevi, conditio catholicitatis recensebatur uti potissimum et essentiale requisitum, cui reges in publica populorum gubernatione atque gentes in mutuis relationibus sese attemperari obstringebantur.

Praehabita hac animadversione, sponte colligitur et Reges illius aetatis, quando sua agendi ratione constitutionem fundamentalem societatis europeae violabant, monita correctionemque Apostolicae Sedis contemnentes, juridice amittere regnum, et Pontifices legitimo jure pollere, cum illos depositos declararent, eo quod non amplius satisfacerent conditioni catholicitatis, quam unanimi omnium consensu implere tenebantur Principes tunc temporis regnantes.

Ratione *juramenti.* Sub alio insuper respectu fas erat Romano Pontifici antiquis temporibus Reges removere, nimirum propter publicam violationem solemnis jurisjurandi.

Juxta consuetudinem mediae aetatis apud nationes Europae communiter receptam, in promotione Principum ad regiam dignitatem duplex religiosa caerimonia servabatur, *coronatio* nempe atque *consecratio;* jam vero, cum Reges coronam acciperent, juramentum solemne praestabant de publico bono recte curando, et reciproce repraesentantes populi vel diversorum ordinum, hoc est, nobilium, clericorum et municipiorum Regibus reddebant juramentum fidelitatis; sed utrumque juramentum emittebatur in manibus Ecclesiae, seu coram Praelato principali regni, qui, semel facto et recepto juramento, Regem sacro ritu consecrabat.

Ex hac religiosa praxi et solemni caerimonia plane conjicitur Ecclesiam haberi ceu depositariam, testem ac judicem reciproci juramenti Regis et populi; si quando autem dissidia vel contentiones inter Regem ac populum, primò utrumque corripiebat; deinceps, si correptionem spernerent, et populum rebellem censuris impellebat ad fidelitatem Regi servandam, et Regem res civiles male gerentem ad officii observantiam salutaribus monitis ac poenis adigebat; postremo vero, si Rex in fide juramenti violanda persisteret, pactum rescissum declarabat ob contumaciam atque incorregi-

bilitatem Principis, qui eo ipso suis juribus et regno cadebat.

168. Exercitium hujus potestatis declarativae et punitivae, qua Pontifices ex jure publico medii aevi in Summos Imperantes usi sunt, tum Regibus, tum populis summopere profuit, teste locuplete historia antiqua, nova et novissima.

Et re quidem vera, valde utile ac salutare exstitit auctoritativum Ecclesiae judicium et socialis Romanorum Pontificum suprematia in hisce quaestionibus dijudicandis, maxime vero: a) ad regiae dignitatis *tutelam* et dynastiarum firmitatem ac consolidationem; etenim, cum recentiori aetate Reges jam non amplius judicio Ecclesiae et pontificiae auctoritati subjici voluerunt, ipsimet nostris oculis vidimus populos (legitime vel illegitime, de quo heic non agitur) eos e solio saepenumero ejecisse, et (res vere miranda!) dum Ecclesia vel Romani Pontifices per spatium novem saeculorum novies tantum usi sunt jure Principes ex legitima causa deponendi, populi una solummodo centuria, infausto nempe saeculo XIX, majori numero Reges e throno deturbarunt: b) ad *pacem* publicam servandam et amorem inter gentes fovendum; nam, interposita Summi Pontificis auctoritate, complurima bella inter nationes vitata sunt: c) ad omnes *lites* inter diversos status obortas aequitate ac mediis pacificis dirimendas; etsi enim Leibnitius primum excogitarit, ac post eum plures scriptores et juristae quamdam potestatem ethnarchicam proclamaverint, quae singulis Regibus et Statibus jus diceret ad quaestiones internationales solvendas, sicque bella externa vitanda; attamen in praxi, rejectis supremo judicio, salutari influxu atque auctoritate moderatrice Petri Successorum, tantummodo remanent et vigent regii congressus, publica foedera et collationes internationales, in quibus omnes norunt non jus, sed praestantiorem armis ut plurimum praevalere.

169. Spectata hac quaestione sub aspectu juris publici aetate media vigentis, necnon vindicata legitima Summorum Pontificum potestate Reges etiam poena depositionis plectendi juxta veterem et essentialem Europae constitutionem, in praesentiarum magni interest determinare quali et quanta auctoritate in Reges potiantur Christi Vicarii ex jure proprio Ecclesiae, seu quod idem est, investigare oportet naturam atque extensionem potestatis pontificiae erga Imperantes, nempe, quaenam et qualis existat, et si vere agnoscenda sit, utrum sese protendat usque ad extremam punitionem seu privationem regni.

Quoad existentiam et *naturam* praefatae potestatis tres sententiae recenseri solent apud juristas: 1.ª sententia *extrema* quorumdam catholicorum asserentium inter christianos et in lege evangelica omnem auctoritatem Summo Pontifici esse commissam juxta verba toties laudata—*Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra; euntes ergo*—; in confirmationem sui asserti subjungunt collationem hujusmodi omnimodae auctoritatis haud obscure fuisse significatam per duos gladios quos Apostoli obtulerunt Domino in horto et Salvatoris responsionem—*satis est*—; gladius spiritualis, ajunt, ab Ecclesia immediate exercetur, temporalis autem Principibus saecularibus traditur, ut nomine Ecclesiae et ad nutum Pontificis exerceatur, qui proinde jure proprio pollet ipsum auferendi: 2.ª sententia etiam *extrema* teneri solet ab illis aulicis et regalistis, qui blaterare non verentur Ecclesiae nullam inesse potestatem in Reges, qui utpote in culmine humanae dignitatis positi, propter ipsam suprematiam, ratione principatus et summi imperii *(soberania)*, aliorum judicio et auctoritati, ne quidem Romani Pontificis, in hoc mundo subesse nequeunt: 3.ª habetur sententia *media* quam plerique catholici tuentur, agnoscentes equidem in Romanis Pontificibus veram potestatem in Principes temporales, sed tantum indirectam.

170. Utramque sententiam *extremam*, tum catholicorum, tum regalistarum, respuendam esse ducimus; priorem utpote solido fundamento destitutam, alteram, quia catholicae doctrinae plane adversatur.

Primum itaque nullo pacto assentiri possumus exaggeratae eorum opinioni qui fere gratuito affirmant Christum Dominum suis in terris Vicariis omnimodam, absolutam et directam potestatem in res temporales esse impertitum; etenim, [a]) Petro et Apostolis eorumque Successoribus, juxta sacra eloquia, data est omnis potestas, sed relate ad finem spiritualem, hoc est, ad ea omnia, quae cum religione, conscientia aut vita aeterna relationem vel connexionem habent, siquidem non dixit Dominus Apostolis—*euntes ergo regite Principes et dirigite temporalia*—, sed—*euntes ergo docete omnes gentes*—; [b]) quia theoria de duplici gladio, apud Scholasticos medii aevi passim recepta, nihil aliud est quam quaedam exemplificatio accommodatitia, uti alias animadvertimus (1), ex Evangelio sumpta, apta equidem declarandae obligationi, quae Principibus incumbit, tuendi ac protegendi Ecclesiam, non autem idonea, multoque minus sufficiens ad tribuendam societati a Christo conditae vel supremo ac visibili ejusdem Capiti, Romano Pontifici, auctoritatem omnipotentem in negotia ordinis civilis, aut in regimen temporale atque externum, Principum saecularium proprium; [c]) quia ejusmodi placitum, optima mente ac nobilissimo scopo a nonnullis catholicis sustentatum, nobis videtur effectum prorsus contrarium producere, cum vix aut ne vix quidem consistere ac componi possit cum pontificiis documentis, Sanctae Sedis actibus et traditionali sensu.

Commentum aulicorum Regibus adscribentium plenam immunitatem completamque exemptionem ab ecclesiastica potestate, perinde ac si Principes saeculares

---

(1) Vol. I, cap. I, art. VIII, pag. 125.

ob politicam suprematiam essent irresponsabiles, injudicabiles, et, ut ita dicam, penitus ***intangibiles***, plane rejicimus: [a]) quia Ecclesia habenda atque colenda est velut judex moralitatis, tum publicae, tum privatae, ideoque ratione peccati omnes corrigere potest ac salutares poenas applicare; [b]) quia Principes non solum ut privati, verum etiam ceu imperantes peccata externa committere possunt; [c]) quia Ecclesiae competit potestas declarativa juris naturalis, et cum aliquando obvenire queat Principem tyrannidem in suos subditos exercentem ipso jure naturae amittere jus suum, et vicissim populos posse ei obedientiam denegare, pronum est inferre Ecclesiam, supremam moralitatis judicem, non modo in abstracto sed et in concreto, hoc est, in casu particulari, proprio jure declarare posse quando Reges propter tyrannidem jus suum amiserint, et populi oppressi ab officio obedientiae soluti sint; [d]) quia ex Christi voluntate omnes homines sub nomine et metaphora *agnorum* potestati regendi Petro ejusque Successoribus collatae subsunt *(pasce agnos meos);* [e]) demum, quia, juxta explicitum Evangelii testimonium, cunctae gentes, sine distinctione imperatoris vel regis, principis vel civis, magistratus vel subditi, servare tenentur omnia Domini praecepta, ideoque potestati coactivae Ecclesiae subjacent—*docentes eos* (nempe OMNES GENTES) ***servare omnia quacumque mandavi vobis***—.

171. Exclusis igitur sententiis extremis, sive catholicorum potestatem Ecclesiae ejusque Visibili Capiti tributam nimis amplificantium, sive regalistarum auctoritati divinae Ecclesiae atque Summorum Pontificum falso et erronee detrahentium, sententiam ***mediam*** amplectimur per probatissimos auctores communiter propugnatam; hodiedum enim contendunt Doctores optimae notae Ecclesiam et Pontifices Maximos non gaudere potestate directa in res temporales, neque in civilem auctoritatem, sed tantum eisdem competere potestatem

indirectam in negotia civilia et Principes saeculares, quae quidem suam originem ac vim ex suprema auctoritate spirituali legitime mutuatur, et duplici fundamento tota innititur, videlicet, *necessitate* vitandi vel puniendi peccatum, quod fini proximo societatis christianae seu animarum sanctificationi directe adversatur, atque *obligatione* vitam aeternam assequendi, quae est finis remotus institutionis Ecclesiae omnino obtinendus. Ejusmodi doctrina de indirecta Ecclesiae potestate in Principes aperte colligitur ex Cap. *Novit ille* Innocentii III, ex Bulla *Unam sanctam* Bonifacii VIII, necnon ex Constitutione *Meruit* Clementis V alias citatis.

Attamen, hac restrictione supposita, adhuc oportet ipsam potestatem etiam indirectam distinguere ab ejus exercitio: quoad *jus*, scriptores catholici consentiunt in eo quod ratione peccati et propter finis ultimi consecutionem omnis anima, ut loquitur Bonifacius VIII, Christi Vicario subesse teneatur, ac proinde Reges ab Ecclesia corripi possint, si legi divinae aut ecclesiasticae adversentur, et si opus fuerit, etiam deponi valeant; quoad *praxim*, recentiores Juris Publici tractatores apposite animadvertunt hoc jus in praesentiarum ab Ecclesia non exerceri, ne forte ob populorum ac regum repugnantiam melius in destructionem, quam in aedificationem vergeret.

172. Ad *extensionem* vero memoratae potestatis indirectae in Reges quod respicit, inquiri demum solet, num Romanus Pontifex Principes contra Ecclesiam et religionem christianam hostiliter sese gerentes jure proprio usque ad privationem regni punire valeat.

Priusquam rectam hujus postremae quaestionis solutionem proponamus, duo praemonenda sunt: 1.° Pontificem nullo pacto posse Regibus Infidelibus imperium et temporalem dominationem auferre, cum non sint Ecclesiae subditi; quod si societati christianae et verae religioni violenter ac injuriose adversentur, integrum

erit Ecclesiae, etiam vi Principum Christianorum implorata, agere in eos, non veluti subditos, sed quasi hostes apertos: 2.° apud christianos quoque ejusmodi controversiam *practice* spectatam esse prorsus supervacaneam, quippe in actuali rerum conditione Ecclesia Romanique Pontifices ob peculiaria temporum, morum ac civilis societatis adjuncta ab exercitio hujusce juris omnino abstinent.

At si rem *theorice* et absolute perpendere velimus, denuo affirmamus atque contendimus supremos Christi Vicarios, ratione indirectae potestatis et *juridice* loquendo, legitima et insita facultate gaudere Principes Christianos Ecclesiam religionemve palam et contumaciter offendentes usque ad depositionem plectendi.

Pro tuenda et corroboranda veritate hujus assertionis, quae, ut nuperrime innuimus, in ordine mere *juridico* ac *speculativo* hodie propugnari valet, plura militant rationum momenta, praecipue vero: a) ipsa *constitutio* regni; cum enim quilibet status fit christianus, hoc est, quando societas civilis, quatenus persona moralis perfecta, in Ecclesiam ingreditur, eo ipso mentem ac scopum ostendit rem publicam ita ordinandi atque instituendi, ut Ecclesiae agnoscatur et permittatur jus removendi obstacula, quae spirituali regimini aeternaeque hominum felicitati opponuntur; si igitur Rex incorregibilis deveniat in avertendo fideles a Dei cultu et religiosis officiis, optimo jure ab Ecclesia removeri poterit, quoniam hac implicita conditione ei collatum est regnum: b) religiosa *subjectio* ex baptismo derivata; sicut autem quicumque individuus per baptisma jurisdictioni etiam punitivae Ecclesiae subest, pariter et Rex et Regnum, si ut persona publica ille ac collectivitas juridice perfecta hoc Ecclesiam ejusque jura agnoscant, socialiter sese subjiciunt judicio tum gubernativo tum punitivo societatis a Christo conditae: c) recta *ordinatio;* eadem namque rerum natura logice exposcit ordinem

bonorum temporalium servandum ac persequendum esse, adeo ut ipsorum consecutio et administratio minime repugnet ordini spirituali; ex quo sequitur potestatem temporalem, ut alibi demonstravimus (1), in praelatione seu conflictu bonorum judicio potestatis spiritualis subjici; sin vero judicio subjiciatur, necesse quoque est sive legi sive sanctioni subsit, ut removeri queat et actu gubernativo et poenali, quando pro bono spirituali plebis christianae ita expedierit: d) *confessio* adversariorum; etenim ipsi Gallicani qui *mitiores* seu *mitigati* cognominantur, jus Romani Pontificis ob causam spiritualem et religiosam Reges removendi fassi sunt, agnocentes etiam in Petri Successoribus facultatem declarandi quando Principes jure naturae exciderent a regno, tantumque infitiantes Christi Vicarios ex causa mere civili Summos Imperantes deponere posse.

ARTICULUS V.

Summarium.

173. Concessio regnorum, terrarum atque exclusivi commercii a Summis Pontificibus facta.—174. Ditiones *antiquae.*—175. Regiones *novae.*—176. Accusationes hac de causa adversus Ecclesiam Summosque Pontifices latae.—177. 1.ª Thesis: *Romani Pontifices legitime egerunt, regna, territoria vel titulum regium Principibus concedendo.*—178. Probetur legitimitas concessionis Pontificiae quoad regiones jam *notas.*—179. Idem ostendatur quoad terras *noviter* detectas.

173. Vindicata potestate, quae Romanis Pontificibus indirecte competit, Principes corripiendi, atque Summos Imperantes etiam interdum removendi, uti medio aevo contigit tum quoad nonnullos Imperatores Germaniae Sanctae Sedi reluctantes, tum quoad alios Reges aliquo feudalitatis gradu Petri Successoribus subjectos, vel etiam ab iisdem prorsus independentes,

(1) Conf. Vol. I, cap. I, art. V, pag. 90.

consentaneum nobis videtur tertium ac postremum jus exponere cum ordine regali connexum, quo quidem, teste historia, Christi Vicarii aliquando et media aetate usi sunt; loquimur enim de concessione regnorum, terrarum atque exclusivi commercii quibusdam Principibus a Romanis Praesulibus specialiter facta.

Sed, ut in hac salebrosa disquisitione ordine ac perspicuitate procedamus, simulque auctoritas Pontificia veteri et recentiori tempore omnibus innotescat plene justificata et summa aequitate praedita in sua rectissima agendi ratione, dominia, principatus vel territoria, ab Apostolica Sede singulari regi aut determinatae nationi donata, in duas classes distinguemus, nempe, in *antiquas* ditiones et regiones *novas*, investigantes absque praejudiciis utrum Romani Antistites legitimo jure innixi concessiones territoriales, regios titulos aut privilegia internationalia Principibus tribuerint, vel num peculiari scopo personalive affectione ducti, cum aperta usurpatione, ejusmodi largitionibus Principes sibi benevisos locupletarunt.

174. Ad ditiones *antiquas* quod respicit, satis erit pro hac quaestione enucleanda tria facta memoratu digna seligere, quae passim recenseri solent a Card. Orsi (1), ejus continuatore episcopo Becchetti (2), Bianchi (3), Cavagnis (4), aliisque scriptoribus historia tum civili, tum ecclesiastica sat versatis.

1.um factum. Post dimidium saeculi XI (anno 1053) Summus Pontifex S. Leo IX Normannis in feudum donavit, praeter Apuliam jam ab ipsis possessam, cuncta dominia quae in Calabria et Sicilia acquisierant in bello contra Graecos et Saracenos suscepto (5).

---

(1) *Hist Eccles.*
(2) *Storia degli ultimi quattro secoli.*
(3) *La Potestà indiretta.*
(4) *Institutiones Juris Publici Ecclesiastici.*
(5) Conf. Becchetti, lib. 62, § 41.

2.um factum. Anno 1156 Hibernia, gens utique nobilissima et fidelissima omni aerumnarum genere a saeculo XII oppressa, quamvis sub regimine Principum, non infidelium ut Saraceni, neque schismaticorum velut Graeci, sed catholicorum et nationalium posita, per Adrianum IV Pontificem Maximum Henrico II regi Angliae largita est, qui paulo post (anno 1171) ea potitus fuit, suamque dominationem in hos infelices populos exercuit, quae adhuc perdurat (1).

3.um factum. Apud viros rebus civilibus ac ecclesiasticis eruditos compertum est Romanos Pontifices nonnumquam solitos esse principatus, ducatus, aliasque ditiones feudales in status supremos et independentes erigere, uti Sicilia sub Rogerio ab Innocentio II (an. 1139) titulo regio insignita, caeteraeque gentes supra memoratae, Hungaricae nimirum, Croacianae, Polonicae ac Lusitanae, quarum Principes saeculo XI vel XII per Apostolicam Sedem juribus atque honoribus regiae majestatis decorati sunt (2).

175. Quoad regiones *novas*, tria etiam facta notissima in memoriam revocare nobis placet, cum eorum interpretatio et recta expositio tot controversiis atque dissentionibus ansam dederit.

1.um factum. Clemens VI (1342) Ludovico comiti claramontano, nepoti Alphonsi X Castellae regis, jus concessit insulas Canarias occupandi, quod quidem jus saeculo sequenti (anno 1436) Eugenius IV Eduardo regi Portugalliae iterum contulit, etsi Rex Castellae anteriori concessione comiti Ludovico facta fulcitus adversus hoc novum privilegium reclamavit (3).

2.um factum. Anno 1454 Summus Pontifex Nico-

---

(1) Vid. eumd. libb. 67 et 68.

(2) Cons. Walter—*Manuale Juris Canonici*, vol. II; Becchetti alias citatum—Lib. 62, § 41.

(3) Becchetti, libb. VIII et IX.

laus V Lusitanis impertitus est omnes terras, quas in Africa detegerent, simulque caeteris gentibus interdixit armorum commercium cum populis indigenis has regiones occupantibus (1).

3.um factum. Inter omnia vero facta quae hac super re allegari possent, potissimum locum obtinet celeberrima Constitutio *Inter caetera* (2) ab Alexandro VI anno 1493 edita, in qua equidem continentur quatuor praestantissima capita diligenti cura et singulari studio perpendenda, scilicet, limitatio, praeceptum, declaratio, et prohibitio, quae pro illustranda historia patria singillatim subjungimus.

Limitatio. In primis enim Romanus Pontifex terminos possessionum Portugalliae et Castellae hisce decretoriis praefinit verbis: "fabricando et construendo unam lineam a polo arctico ad polum antarcticum, quae linea distet a qualibet insularum, quae vulgariter nuncupantur *de las Azores y Cabo Verde*, centum leucis versus occidentem et meridiem, ita quod omnes insulae et terrae firmae repertae et reperiendae, detectae et detegendae a praefata linea versus occidentem et meridiem, per alium regem aut principem christianum non fuerint actualiter possessae... quando fuerunt per nuncios et capitaneos vestros inventae aliquae praedictarum insularum, auctoritate omnipotentis Dei, nobis in beato Petro concessa, ac vicariatus Jesu Christi, qua fungimur in terris, cum omnibus illarum dominiis, civitatibus, castris, locis et villis, juribusque et jurisdictionibus ac pertinentiis universis, vobis haeredibusque et successoribus vestris (Castellae et Legionis regibus), in perpetuum tenore praesentium donamus, concedimus et assignamus..."

---

(1) Apud eumdem, lib. IX.

(2) Legi potest in Septimo Decretalium, qui ad calcem Corporis Juris habetur sub titulo *De insulis novi orbis.*

Praeceptum. Insuper Alexander VI in virtute sanctae obedientiae Regibus Castellae et Legionis imperat, ut evangelicos operarios in illas regiones mittant gratia obtinendi conversionem illarum gentium, quae licet vitam et statum socialem nesciebant, attamen optimae indolis et mitis conditionis videbantur.

Declaratio. Praeterea laudatus Pontifex in celebratissima ejus Constitutione explicite testatur nullo pacto in dubium revocari posse, quin Reges Hispaniarum Ferdinandus et Elisabeth praedictas maritimas expeditiones zelo dilatandi fidem susceperint, PER DILECTUM FILIUM CHRISTOPHORUM COLUMBUM, VIRUM UTIQUE DIGNUM ET PLURIMUM COMMENDANDUM AC TANTO NEGOTIO APTUM.

Prohibitio. Denique Romanus Pontifex expresse vetat "quibuscumque personis, cujuscumque dignitatis, etiam imperialis et regalis status... sub excommunicationis poena, quam eo ipso, si contra fecerint, incurrant... ne ad insulas aut terras firmas inventas et inveniendas (intra limites supra assignatos), pro mercibus habendis vel quavis alia de causa accedere praesumant, absque vestra ac haeredum et successorum vestrorum licentia."

176. Inimici Sanctae Sedis, memorata aliaque id genus facta dolose deturpantes et suo lubitu interpretantes, Christi Vicarios abusus, injustitiae atque arbitrarietatis insimulare ausi sunt in elargiendis medio aevo juxta suum placitum regnis, dominiis vel amplissimis titulis: de *abusu* Romanos Pontifices accusant, quia effutire solent eos absque legitima auctoritate in temporalia negotia sese immiscuisse ac civiles principatus esse moderatos; de *injustitia* arguunt, quoniam Pontificiae concessiones, prouti passim blaterant, jus ac naturalem populorum libertatem laeserunt; de *arbitrarietate* demum incusant, etenim ajunt, monopolium communicationis seu praerogativa exclusivi commercii cum indi-

genis novi orbis minime ortum habuit ex aequitatis sensu, sed tota fulcita est in nutu, personali acceptione vel partiali judicio Summorum Pontificum quosdam Principes sibi addictos suo favore et liberalitate prosequentium.

Ad triplicem hanc injuriosam accusationem repellendam, atque rectissimam Romae Praesulum agendi rationem in exercitio hujusce juris tuendam, tres theses adstruemus, ex quibus meridiana luce patefiet Supremos Ecclesiae Hierarchas, cum aetate media regna, principatus vel novas regiones contulere, non *abusive*, nec *injuste*, neque *arbitrarie* egisse, sed *legitima* potestate usos esse, *jura* populorum servasse, *justisque* de causis processisse.

177. Ante omnia igitur, ut Pontifices Maximos a nota abusus seu extralimitationis iisdem impacta plene vindicemus, atque ita cunctis innotescat ipsos pro impertiendis concessionibus ditionum temporalium vel terrarum noviter detectarum propria et legitima facultate esse potitos, sequentem propugnabimus thesim: *Romani Pontifices legitime egerunt regna, territoria vel titulum regium Principibus concedendo.*

Veritas hujus assertionis juridico-historicae clarissime patet, cum facillime probari possit Summos Pontifices in praefatis concessionibus largiendis recto jure usos esse: et quidem quoad regiones jam notas egerunt ex potestate *declarativa* juris naturalis vel positivi, nempe, illud interpretando, sanciendo seu applicando; quoad vero terras de novo detectas vel detegendas duplici potestate nisi sunt, tum *declarativa* juris naturae et gentium, ejus firmissima principia confirmando, urgendo ac explicando, tum etiam *gubernativa* societatis christianae, Ecclesiam propagando et pro sui defensione Principes fideles designando seu eligendo, qui ejus apostolatum tueri possint.

178. Relate ad antiquas ditiones et territoria jam

nota in dubium vocari nequit exercitium potestatis declarativae, cum pro hac constabilienda et ratio et historia militent.

Ratio. Omnes equidem fateri tenentur Christi Vicario ex Dei ordinatione competere potestatem declarativam juris divini, ideoque Summum Pontificem, velut supremum judicem moralitatis, non modo in abstracto spectatae, verum etiam in concreto, hoc est, in singulis casibus consideratae, judicium ferre posse de liceitate vel illiceitate omnium negotiorum.

Quapropter ad Petri Successores virtute hujus potestatis declarativae recte pertinebat pronunciare ac judicare de justitia vel injustitia bellorum, de legitima vel illegitima regnorum et terrarum occupatione, de convenientia aut necessitate principatus ad regium fastigium evehendi; quamvis enim declaratio Summi Pontificis nullum jus atque vim intrinsecam conferret iis qui bella gerebant, dominia possidebant, vel ad regiam dignitatem promoti fuerant, nihilominus magnam efficaciam extrinsecam secum ferebat; nam belligerantes certiores fiebant de justitia suae causae, possidentes propria dominia tutius retinebant, quia ob reverentiam Pontifici debitam ejus judicium nemo absque insigni temeritate impugnare auderet, et Principes splendore regiae majestatis per Apostolicam Sedem tributae apud populos majori fulgore eminebant.

Historia. Testimonium historiae rationi plane consonat pro tuenda agendi ratione Romanorum Pontificum; etenim, agnita et constituta potestate declarativa, quae Christi Vicariis inest ex ipsa Primatus divina institutione ad cognoscendas dirimendasque quaestiones cum naturali justitia et publica moralitate connexas, recensita facta ex historia desumpta, aliaque plura quae objici possent, facile explicari queunt, quin abusui vel usurpationi Apostolicae Sedis tribuantur, uti ex dicendis manifestum fiet.

1.° Quoad concessionem terrarum, quas S. Leo IX Normannis in Calabria et Sicilia donavit, si illas in bello contra Saracenos et Graecos suscepto acquisierint, animadvertere oportet ex alia parte Saracenos injuste occupasse ac retinuisse Siciliam et terras aliquas Continentis Italici, ideoque justissimum erat bellum Normannorum, qui regiones et insulas christianas ab infidelium jugo liberanda suscipiebant; ex alia vero Graecos quoque, ob insidias quas continuo in Italia inferiori moliebantur, justo bello oppugnari posse: ex quo colligitur Romanum Pontificem in hac concessione tantum loqui de terris bello legitimo occupandis, et Normannis, qui devotionis causa eas Beato Petro obtulerant, titulo feudi traditis et restitutis.

2.° Respectu ad Hiberniam eadem ratiocinatio locum obtinet: saeculo XI dimidiato in hac celeberrima Insula, si veridicis illius infelicis gentis historicis standum sit, omnia sus deque vertebantur tum in ordine religioso et ecclesiastico, tum in ordine politico ac sociali; religio inveniebatur neglecta vel inobservata; monasteria, teste S. Bernardo, a laicis occupata; cathedrae quaedam episcopales haereditariae factae, ut Armacana, quae a biscentum annis ab eadem familia detinebatur (1); plures aliae sedes arbitrariae erectae vel suppressae; clerus ignorantia vere supina obvolutus; populus corruptione morum depravatus; principes qui titulo regio in hac infausta insula tunc temporis imperabant, bello, dissensionibus atque caedibus frequentissime inter se contendentes.

Jam vero, in hac luctuosa rerum conditione Henricus II rex Angliae et primus dynastiae Plantageneta-

(1) Scriptores illius ominosae aetatis narrant S. Malachiam episcopum Conneretensem, ad Sedem Armacanam electum, longo temporis tractu eam possidere haud potuisse, quia a Mauritio, praedecessori propinquo occupabatur, qui equidem, ut fertur, hujusmodi abusum innovans, morte sua episcopatum alteri legavit, veluti esset res proprie haereditaria.

rum ad Summum Pontificem Adrianum IV scripsit, eidem promittens res omnes restaurare in Hibernia in bonum religionis et pacem populorum. Romanus Pontifex rectum suum propositum laudavit, eique ita rescripsit: "Insulam illam ingrediaris pro dilatandis Ecclesiae terminis, pro corrigendis moribus, pro virtutibus inserendis, et quod ad honorem Dei et salutem illius terrae spectaverit exsequaris, populus honorifice te recipiat et sicut dominum veneretur".

Ex praelaudatis verbis perspicue eruitur Romanum Pontificem non egisse ut dominum illius regionis, neque violentam occupationem et subjectionem Insulae contra voluntatem legitimorum principum ac populi consuluisse, sed tantum sua suprema sanctione approbasse laudabilem scopum Regis Angliae ordinem et pacem restabiliendi, quod quidem religioni, moralitati et civilitati valde consonum videbatur. Quod si postea (anno 1171) Henricus cum magna classe urbes maritimas occupaverit et in totam Insulam dominatus sit, suo imperio subjiciendo tum Regulum Linsterensem qui ejus auxilium imploraverat, tum caeteros Principes, mentem et adhortationem Adriani IV minime assequutus est.

3.° Quod attinet ad creationem novorum statuum et regiae dignitatis collationem, Romani Pontifices rectissime sese gesserunt; etenim altissima majestatis investitura ornarunt Principes vel ob fidelitatem erga Sanctam Sedem praeclaros, vel ob eximium religionis, publicae honestatis et boni socialis zelum spectatissimos, vel ob debellatos hostes nominis christiani optime meritos: caeteroquin, cum hosce Principes regio titulo nobilitarunt, imperium *(soberania)* conferendum curarunt in dominia legitimo jure occupata vel justo bello acquisita, quin alios Summos Imperantes a suis possessionibus aut territoriis deturbarent.

179. Si vero spectentur regiones de novo detectae vel terrae quae in posterum detegerentur, plene etiam

evincitur Christi Vicarios, cum nova infidelium territoria populosque indigenas exploratorum industria detectos uni potius quam ali nationi aut principi adjudicarunt, ejusmodi concessiones recte ac legitime fecisse, quippe duplici potestate, declarativa nempe atque gubernativa fulciti suam agendi rationem munierunt.

a) Ac primo quidem, praefatae concessiones recte explicari queunt ex potestate declarativa juris, quae spirituali suprematiae et pontificio primatui divinitus inhaeret; etenim nemo inficias ibit jure naturae et gentium esse legitimos modos non solum ad bellum gerendum, verum etiam ad novos populos detegendos, commercium apud eos agendum, foedera ineunda, terrasque occupandas, quae forte derelictae habeantur vel a legitimis dominis sponte offerantur. Ex quo igitur aliqua natio ejusmodi regiones desertas, cessas, etiamque acquisitas ex bello quod forsitan perfidia incolarum exortum sit, juste occupaverit, in dubium revocari nequit, quin Supremo memoratae gentis Moderatori adscribenda sit politica auctoritas in hujusmodi terras, simulque Romanis Pontificibus, utpote natis justitiae ac moralitatis judicibus deferendum jus proprium et perfecta facultas declarandi nationi exploratrici, principibus privilegio occupationis ab ipsis indigenis insignitis vel ducibus juste belligerantibus legitimum dominium in nova territoria competere.

Hac declarativa potestate optime explicantur concessiones factae a Clemente VI Ludovico comiti claramontano et Alphonsi X nepoti ad insulas Canarias occupandas; per Nicolaum V Lusitanis ad omnes terras quas in Africa detegerent, retinendas; ab Alexandro VI Regibus Catholicis Hispaniarum, Ferdinando et Elisabeth, ut omnes insulas et terras firmas repertas et reperiendas pleno dominio possiderent cum limitatione tamen ab ipso apposita.

b) Insuper, ipsae largitiones atque praerogativae

Principibus christianis impertitae in ordine ad novas infidelium regiones populosque indigenos intimam relationem et veram connexionem habent cum suprema et gubernativa Ecclesiae auctoritate, quandoquidem speciales concessiones et singularia privilegia pro occupandis terris de novo detectis, earumque incolis in veram fidem ac culturam perducendis rite spectari valent tamquam salutare exercitium et utilissima applicatio potestatis *constituentis* Petro ejusque legitimis Successoribus usque ad consummationem saeculi tributae.

Et sane, vi hujus potestatis constituentis, perpetuae atque universalis, Ecclesiae jus est seipsam apud infideles propagandi, Romanique Pontifices, Supremi societatis a Christo conditae Hierarchae, ejusdemque in terris Vicarii, facultate pollent tum Evangelium cunctis gentibus annuntiandi, quin ipsas ad fidem profitendam cogant, tum etiam utendi pro adimpletione suae divinae missionis ministerio Principum christianorum, qui sacratissimo officio tenentur Ecclesiam ejusque Caput tueri, compescendo, etiam vi armata adhibita, omnes vexare aut impedire audentes catholicos missionarios aut ad fidem conversos.

Inde consequitur integrum esse tam Ecclesiae quam Romano Pontifici, juxta rerum ac regionum adjuncta, prout melius judicaverint, uni nationi vel principi potius quam aliae vel alio committere Evangelii propagationem atque verae religionis defensionem apud ethnicas gentes.

ARTICULUS VI.

SUMMARIUM.

180. 2.ª Thesis: *Christi Vicarii terras detectas seu nova dominia quibusdam Regibus adjudicarunt, quin jura populorum laederent.*—181. Probetur concessiones Romanorum Pontificum jus populorum nullo pacto violasse.—182. 3.ª Thesis: *Petri Successores non arbitrarie, sed justis causis suffulti exclusivum commercium cum indigenis novi orbis aliquibus Principibus tribuerunt.*—183. Ostendatur Summos Pontifices juste egisse aliis gentibus christianis permittendo, aliis vero interdicendo commercium cum populis noviter detectis.—184. An omnia facta historica, in quibus apparet interventus vel decisio potestatis Pontificiae, ex jure mere divino sufficienter explicari possint.

180. Praecedenti articulo demonstrandum curavimus Romanos Pontifices non abusum praepotentiae patrasse vel indignam usurpationem consumasse, quando veteres ditiones aut nova territoria peculiari nationi vel singulari Principi impertiti fuere, sed optimo jure esse potitos pro ejusmodi specialibus concessionibus elargiendis; modo autem rejicere atque confutare cogimur alteram accusationem hostium Sanctae Sedis, inepte blaterantium Christi Vicarios hisce odiosis privilegiis et partialibus adjudicationibus libertatem populorum vulnerasse ac jura naturalia indigenarum aperte laesisse.

Ad detegendam falsitatem atque perfidiam inimicorum Pontificatus, qui venerandam Petri Successorum memoriam denigrare, eorumque salutarem influxum in gentes ac populos medii aevi et recentioris aetatis diffiteri veriti non sunt, Romanis Praesulibus imputando gravissimam oppressionis et injustitiae contra indigenas novi orbis calumniam, sequentem propositionem vindicare pergimus: *Christi Vicarii terras detectas seu nova dominia quibusdam Regibus adjudicarunt, quin jura populorum laederent.*

181. Veritatem hujus historicae assertionis levis-

sime evincemus probationibus ex declaratione Summorum Pontificum, ex beneficiis ipsis indigenis collatis, atque ex necessitate culturam civilesque mores in gentes silvaticas et populos agrestes inducendi.

1.° Pontifices Maximi semper proclamarunt, et tamquam juridicam regulam atque inconcussum principium indesinenter professi sunt etiam ipsos infideles verum ac proprie dictum dominium, tum civile, tum politicum, habere in res, territoria et possessiones suas, ideoque nullo pacto praejudicium esse inferendum populis indigenis novi orbis, neque vim ullam exercendam adversus incolas terrarum detectarum vel detegendarum, sive privati sive principes essent.

In corroborationem hujus asseverationis satis sit innuere Clementem VI, cum insulas Canarias Ludovico comiti e regno Castellae concessit, explicite protestatus est se ei hanc investituram conferre, idque juris agnoscere, dummodo nemini sequeretur quodlibet damnum aut certum praejudicium, ut testantur diligentes ac veridici historici (1).

2.° Deinde Successores B. Petri beneficam atque praestantissimam missionem erga populos de novo repertos exercuerunt; nemini equidem, qui vel leviter perlegerit scriptores de rebus Americae pertractantes, fas erit nescire quantum utilitatis, juvaminis et commodi indigenis illarum dissitarum regionum contulerit Ecclesiae interventio Romanorumque Pontificum salutaris influxus.

Enimvero incolae insularum ac terrarum, quae opera et industria intrepidorum exploratorum in Novo Mundo detectae sunt, singulari gratitudinis officio et arctissimo justitiae vinculo Ecclesiae Christique Vicariis necessario devinciuntur propter ingentia beneficia,

---

(1) Conf. Orsi, *Hist. Eccles.*, lib. 79, § 101.

quorum ipsis debitores existunt, maxime vero: [a]) quia in ordine religioso et intellectuali lucem evangelicam et veritatis agnitionem a catholicis missionariis receperunt, superstitionis cultum, audita eorum praedicatione, deserentes et veram religionem amplexantes; [b]) quia in ordine sociali ac morali catholicae civilitatis *(civilización)* participes effecti sunt cum omnibus bonis, institutionibus atque excellentiis, quae pro publica morum honestate et temporali populorum felicitate ex illa recte derivantur; [c]) quia in ordine civili ac politico efficacem tutelam et constantem defensionem in suprema Romanorum Praesulum auctoritate invenerunt, qui saepius, duces ac exploratores opportunis monitionibus hortantes vel etiam ecclesiasticis censuris coercentes, nimiam cupiditatem et effrenem invadentium ambitionem moderati fuere, populosque indigenos a magnis saevitiis et dira oppressione liberarunt (1).

3.° Omnes Juris Publici tractatores ultro fatentur civiles gentes jure esse praeditas civilitatem apud populos silvestres propagandi, praesertim in duobus casibus, nempe, cum ejusmodi populi jura humanitatis laedunt, et quando major incolarum pars contra primarium jus naturae crudeliter opprimatur.

a) Primum itaque, si populi barbari jura humanitatis aperte violent, uti sacrificiis humanis, nationibus cultis propter civilitatem intervenire licebit, et interdum etiam vim servato moderamine adhibere; quamvis enim cultura numquam procuranda sit mediis ex quibus sequi queant his populis majora mala iis ad quae auferenda ordinatur, attamen principium communiter receptum est vim per se adhiberi posse non modo ad jura nostra tuen-

---

(1) Cons. de hac re praeter notissimos Historicos Hispanos, qui in hoc argumento fuse exponendo versati sunt (etsi non semper cum recto criterio et exacta aestimatione), citatum Becchetti, lib. XI, § 57.

da injuriasque propulsandas, verum etiam ad essentialem civilitatem propugnandam, quod quidem nullam injuriam aut damnum populis barbaris infert, sed potius pretiosum adjutorium eis praebet, ut e statu degradationis educantur, atque in illam conditionem socialem perveniant, quam natura postulat, et qua propriis viribus relicti numquam fruentur.

b) Praeterea, si quando in populis silvaticis multi incolae diram oppressionem patiantur aperta violatione juris naturalis primarii, veluti jugum servitutis nullo legitimo titulo fulcitum, licitum quoque erit oppressores compescere, ut ita oppressis auxilium praestetur; licet enim quaelibet gens in negotiis suis civilibus et politicis vera independentia gaudeat, si tamen pars ejusdem in aliam enormiter delinquat contra naturalia officia, admittendum est hoc in casu etiam extraneos de jure intervenire posse; quamquam enim extranei sint jure politico, non verum hujusmodi censeri debent jure humanitatis, qua omnes homines vinculo fraternitatis copulantur, unamque constituunt humanam familiam. Hac criminali agendi ratione supposita, gens ita se gerens nullo pacto conqueri valet de amissione aut violatione suae naturalis ac legitimae independentiae, quippe ordinem universalem ipsi a natura praestitutum manifeste praetergressa est, ipsamque humanitatem directe vulneravit.

Si igitur nationes cultae in gentibus barbaris nonnunquam intervenire possunt, ut civiles mores in eas inducant, juraque humanitatis contra oppressores vindicent, optimo jure Ecclesia et Christi Vicarii, quibus divinitus concreditum est sacratissimum munus *praedicandi Evangelium omni creaturae*, hoc est, cunctis populis et per totas mundi plagas ferendi *bonum nuntium* redemptionis humani generis et universalis restaurationis ab Unigenito Dei Filio consummatae, uti poterit ministerio Principum, prout magis expedierit, pro hoc

nobilissimo ac praestantissimo civilitatis et regenerationis opere propagando et adimplendo.

182. Postremo, non defuerunt neoterici historici qui hostilitate in Sedem Apostolicam ducti Romanos Pontifices arbitrarietatis incusare ausi sunt, falso asserentes eos cupiditate dominandi, personarum acceptione vel temporali intuitu permotos monopolium commercii cum populis indigenis aliquibus Principibus sibi benevisis pro suo nutu contulisse, aperta justitiae laesione et ingenti caeterarum nationum detrimento.

Rejiciendi ergo hanc novam atque gravissimam censuram, historicae veritati plane reluctantem, necnon venerandae memoriae et prudenti Summorum Pontificum aequitati prorsus injuriosam, sequentem adstruimus propositionem: ***Petri Successores non arbitrarie, sed justis causis suffulti exclusivum commercium cum indigenis novi orbis aliquibus Principibus tribuerunt.***

Pro hujusmodi thesi comprobanda praecipua fundamenta afferemus, quibus Pontifices Maximi innixi privilegium exclusivi commercii quibusdam nationibus aut regibus otorgarunt vel agnoverunt.

183. Et quidem validissimae rationes nobis suppetunt ex ordine supernaturali, naturali et internationali desumptae ad vindicandam RR. Pontificum agendi rationem hac super re, cum exploratum sit ipsos triplici solidissimo motivo fulcitos praefatas concessiones fecisse, videlicet, recta Ecclesia ***gubernatione***, naturali ***aequitate*** vel ***conventionibus*** inter gentes christianas initis.

1.° Omnes norunt B. Petro ejusque in Primatu jurisdictionis Successoribus a Christo Domino esse demandatum sacratissimum munus Ecclesiam regendi, fidem edocendi atque Evangelium in universum mundum diffundendi: age jam, cum propagatio fidei sit proculdubio negotium altissimi ordinis et omnium praestantissimum, curae ac pastorali sollicitudini Summorum Pontificum

commissum, pronum est colligere eos optimo jure posse, si quando efficax atque tutior Evangelii praedicatio commercium unius christianae nationis cum populis indigenis de novo detectis atque *in tenebris et umbra mortis sedentibus* (propter infidelitatem) deposceret, caeteras excludere, praesertim re integra, hoc est, cum nullius gentis jus quaesitum laeditur.

Ejusmodi facultas recte putari debet velut legitimum consectarium supremae potestatis gubernativae et divinae missionis, quae pro fide dilatanda et infidelibus convertendis Christi Vicariis concredita est.

2.º Sub alio respectu potuerunt Romani Pontifices praelaudatas praerogativas quibusdam Principibus largiri, nimirum, spectatis tantum immutabilibus juris naturalis principiis, uti manifestum fit in triplici praecipue casu legitimae terrarum *occupationis*, justae *privilegiorum* exactionis vel *conflictus* inter varias gentes exorti.

a) Ipsa aequitas naturalis cuique suadet nationi vel principi terras longinquas non casu, sed data opera et industria detegenti, competere speciale jus commercium cum incolis illarum regionum agendi, simulque territoria occupandi dominum non habentia vel dominorum consensu concessa; tum quia antiquis temporibus expeditiones maritimae plurimum laboris et expensarum importabant cum exitu incerto ac saepenumero frustrato; tum etiam quia necesse erat vim militarem parare et stationes munitas erigere in terris detectis vel legitimo bello aut consentientibus dominis jam occupatis, non solum ad incursus rejiciendos, verum etiam ad vitam ipsam et personalem securitatem tuendam indigenarum perfidia passim in discrimen positam.

Nunc vero, naturali justitiae repugnat, post tot conatus, tantos labores, tamque ingentes sumptus per aliquam nationem toleratos gratia detegendi ignotas terras magnis divitiis et rebus pretiosis affluentes, caeteras civiles gentes utilitati et commodis commercii

aeque participare, aut populis detectis, quod non raro accidit, arma subministrare contra christianos exploratores vertenda.

b) Idem aequitatis sensus aperte patefacit nationem vel principem nova territoria detegentem aut legitime obtinentem non modo facultate gaudere occupandi terras desertas aut a dominis sibi concessas, caeterosque ab eis occupandis excludendi; verum etiam jure potiri a populis detectis, etiam in suae libertatis fruitione perseverantibus, quaedam specialia privilegia repetere, ac praesertim exclusivum commercium, in compensationem expensarum, quae occassione expeditionis fieri et sufragari debent.

c) Denique eadem aequitas et naturalis ratio disserte docet in praestantissimis negotiis circa insulas et regiones novi orbis versantibus oportere ab omnibus servari atque palam agnosci quemdam ordinem ac normam, ut ita dicam, juridico-internationalem ad vitandas probabiles discordias, et bella inter ipsos Principes christianos praevenienda in casu conflictus, nempe, si quando diversae gentes ratione commercii ad praedictas terras concurrere vellent, ex quo ut plurimum exsurgere solent inter nationes eodem jure praeditas simultates, contentiones et bella.

Age jam, cum omnes nationes pari jure fruantur, earum Principes praefatum ordinem juridicum ab omnibus recognoscendum imponere, vel memoratam regulam internationalem praescribere nequeunt; igitur pro finiendis relationibus cum populis indigenis et praerogativa commercii assignanda necessario confugiendum est vel ad pactum internationale et universale, quod equidem epocha detectionis novi mundi minime exstitit; vel ad jus speciale acquisitum per privilegium perpetuum a populis detectis obtentum, quod nullo pacto admitti potest, utpote naturalem evolutionem humanae activitatis impediens; vel demum recurrendum est ad

jus praevalens atque praeveniens, hoc est, ad aliquam auctoritatem superiorem, quae modum, ordinem et decisionem in hisce quaestionibus Principibus catholicis imponere valeret.

Et sane, hujusmodi fuit auctoritas Ecclesiae, quae aliquo sub respectu superior haberi debet nationibus christianis in ipsis temporalibus negotiis, licet *indirecte*, videlicet, quatenus res religiosas respiciunt, eisque prodesse aut nocere queunt; en quidem adaequat aexplicatio et historica origo interventionis pontificiae pluribus in casibus: Successores B. Petri supremam suam potestatem in his privilegiis elargiendis vel potius declarandis modo indirecto saepe exeruerunt pro aequitate naturali sancienda, in bonum christianae pacis et ad bella inter catholicos Principes praepedienda.

3.° Denique quidam casus peculiares, in quibus elucet salutaris Romanorum Pontificum interventus, recte explicari queunt ex solemnibus pactionibus inter ipsas christianas nationes initis, ac proinde Christi Vicarii sua auctoritate ac suprema declaratione nihil aliud egerunt, quam jura et officia internationalia majori firmitate sancire.

Pro hac animadversione corroboranda in brevitatis obsequium tria tantum potissima facta memorabimus: a) Cum anno 1452 inter Alphonsum V Portugalliae et Henricum IV Castellae regem pactio habita esset, in qua conventum est insulas Canarias sive jam occupatas, sive in posterum occupandas sub alto dominio Coronae Castellae asservatum iri; viceversa autem Coronae Lusitaniae adjudicandas omnes terras detectas vel detegendas in Continente Africano, Summus Pontifex Nicolaus V die 9 Jan. an. 1454 Lusitanis concessit praedictas Africae terras, caeteris interdicens commercium armorum cum populis indigenis, nisi ipsi Lusitani expresse permiserint; ex quo plane infertur ejusmodi Pontificiam sanctionem quoad terrarum *con-*

cessionem in praecedentibus pactis fulcitam esse, quoad vero armorum *prohibitionem* esse repetendam ex praecepto alias lato circa commercium cum Saracenis, ne indigenae arma in christianos verterent cum religionis detrimento vel contra novos dominos et legitimos possessores: [b]) apud historicos etiam fit mentio aliae conventionis anno 1480 inter Coronam Lusitaniae et Castellae celebratae occasione certaminis per quasdam naves utriusque regni habiti; ut autem deinceps tales conflictus et pugnae vitarentur, utrinque pactum est Lusitanos tantum ad oras Guineae navigare et Castellanos ad Canarias solummodo pertingere posse: [c]) edita anno 1493 ab Alexandro VI laudata Constitutione *Inter caetera* ad praefiniendos terminos possessionum Portugalliae et Castellae, limites Regibus Hispaniarum concessi Joanni Lusitaniae regi nimis praejudiciales visi sunt; quapropter pactionem cum Rege Castellae iniit, ut linea divisionis per Alexandrum VI designata non construeretur centum leucis ad occidentem et meridiem insularum quae vulgo nuncupantur *de las Azores* y *Cabo verde,* sed fabricaretur a longiori, servata tercentum septuaginta leucarum distantia.

Jam vero, praesuppositis hisce aliisque similibus conventionibus, mirum esse non debet quod Pontifices Maximi, aequitatem naturalem et mutuas gentium obligationes reveriti, ejusmodi pacta jugiter prae oculis habuerint, quoties de territoriis elargiendis vel privilegiis declarandis ageretur.

184. Hactenus totam curam impendimus explicandis factis, quae ex historica medii aevi periodo ut plurimum deprompta nobis objicere solent hostes Sanctae Sedis, criminali scopo ac nequissima mente memoriam Romanorum Pontificum omni convitiorum genere obscurandi, eorumque agendi rationem falsis ac systematicis accusationibus impugnandi; modo autem ad considerationes novi ordinis confugere cogimur pro aliis

plurimis factis enucleandis, quae recte ac satisfactorie exponi aut interpretari nequeunt ex jure mere divino, hoc est, ex potestate indirecta, quae vi suprematiae spiritualis et ratione finis ultimi Christi Vicariis inest ad cognoscenda, judicanda et dirimenda quaedam temporalia, quatenus relationem vel connexionem cum fine supernaturali et vita aeterna habent aut habere possunt.

Et sane, si diligenter spectentur Apostolicae Litterae hac super re latae, ac rite perpendatur *materia, forma* atque *extensio* earumdem contextus, aperte liquet exstare plura facta, quae tantum potestati indirectae RR. Pontificum tribui haud valent, sed alio ex fonte repetenda est recta eorum explicatio; sic, ex. gr., non videntur cum jure mere divino recte componi: a) decreta Pontificia, in quibus non tantum interdicitur nonnullis gentibus commercium armorum, sed etiam quarumcumque mercium ad bella nullo sub respectu spectantium; b) solemnes Constitutiones in quibus auctoritate propria et singulari munificentia concessiones terrarum fiunt vel termini possessionum assignantur, uti legitur in memorata Alexandri VI Bulla *Inter caetera,* ubi Pontifex explicite declarat se agere: *motu proprio, non ad vestram vel alterius pro vobis* (loquitur de Elisabetha regina Castellae et de Ferdinando rege Aragoniae conjugibus) *super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate et ex certa scientia;* c) Apostolicae declarationes, in quibus ejusmodi territoriales largitiones vel limitationes continentur pro determinatis gentibus cum clausulis obligatoriis quoad caeteras nationes, veluti videre est apud laudatam Alexandri VI Constitutionem, quae, quamvis abstracte considerata haberi posset tamquam solemnior confirmatio praecedentium inter Lusitanos ac Hispanos conventionum, ideoque ab ipsis omnino servanda, non videtur tamen reliquas gentes et principes obstringere posse, cum

exploratum sit pactiones ultra personas contrahentium minime cogere.

Haec igitur aliaque plura facta medii aevi nobis objici solent, de quibus rectam rationem reddere nequimus, invocata tantum suprema auctoritate, qua etiam indirecte in res temporales gaudent Petri Successores ob primatum ipsis divina institutione collatum; quaerenda itaque est alia explicatio obvia et magis categorica, quae profecto plene atque adaequate invenitur in potestate *ethnarchica,* qua aetate media Romani Pontifices functi sunt, populis acclamantibus et Principibus consentientibus.

Eapropter nostri muneris esse ducimus pro coronide hujus Secundae Partis aliquid delibare in sequenti et postremo articulo de *Ethnarchia Christiana,* quae apud populos et gentes medii aevi viguit.

ARTICULUS VII.

SUMMARIUM.

185. Jus Ecclesiae Romanorumque Pontificum in ordine *internationali.* —186. Societas ethnarchica.—187. An, si quando efformaretur, aequalis vel inaequalis esset.—188. Ethnarchia christiana seu *Christianitas* mediae aetatis.—189. Potestas ethnarchica Summi Pontificis.—190. Quonam titulo eam exercuerint Petri Successores.—191. Ratio fundamentalis juris internationalis pontificii.—192. Utilitates pro statibus catholicis.—193. Paulatina defectio atque exitialis dissolutio *Christianitatis.*

185. Pro hac de potestate *indirecta* disquisitione absolvenda consentaneum nobis videtur nonnihil attingere circa postremum jus, Ecclesiae in ordine *internationali* competens, quo equidem Romani Pontifices medio aevo in populorum bonum salutariter et proficue usi sunt, prout ferebant illius aetatis mores et jus publicum tunc temporis vigens; dicendum igitur est de facultate *ethnarchica* Summorum Pontificum, sub qua de-

nominatione venit potestas societatem universalem, *Christianitatem* nuncupatam, constituendi, cogendo in unum omnes populos et christianas nationes sub unica directione ac suprema Christi Vicarii auctoritate.

Priusquam vero de Ethnarchia Christiana sermonem instituamus, notionem generalem societatis ethnarchicae trademus.

186. Societas ethnarchica definiri potest: *Congregatio plurium nationum, quae pro fine seu bono communi assequendo, initis conventionibus et auctoritate constituta, ad invicem conjunguntur;* ex hac definitione plane eruuntur quinque conditiones seu essentialia elementa, quae ad constituendam societatem internationalem prorsus requiruntur, nempe: pluralitas nationum, bonum commune, conjunctio moralis, vinculum juridicum pactis expressis vel tacitis fulcitum, atque auctoritas judicialis, cujus forma, exercitium ac extensio in ipsis pactionibus statuitur et determinatur.

Origo societatis internationalis triplici potissimum fundamento innititur: 1.° *communione negotiorum;* etenim inficiari nequit adesse quaedam negotia pluribus nationibus, iis praesertim populis, qui ob geographicam positionem, identitatem stirpis, relationes commerciales vel alios historicos eventus aliquo morali vinculo devinciuntur, adeo communia, ut status unius aut alterius gentis plurimum intersit etiam aliarum gentium, cum quibus illae specialiter copulantur; uti contingit in ordine *exteriori,* quando una respublica amittit vel notabilem sui territorii partem, vel propriam independentiam in favorem alterius gentis, et cum caeterarum detrimento; quoad ordinem autem *interiorem,* si perturbationes et domesticae dissentiones in aliqua natione oboriantur, ita ut reliquos status afficere queant: 2.° *principio socialitatis;* ejusmodi quippe instinctu homo ordinatur et incitatur ad societatem universalem, cum ipsa natura inclinat non modo ad personas inter se, ut

societas domestica constituatur, et ad familias invicem, ut in societatem civilem efformandam conveniant, verum etiam ad gentes communi vinculo consociandas; unde ultima humani generis perfectio hoc postulare videtur, ut quemadmodum homines singulares vinculo societatis domesticae, et societates domesticae vinculo societatis civilis colligantur; sic denuo societates ipsae civiles altiore quadam junctione invicem copulentur, ac diversi generis societatem efficiant, quae singularum jura tutetur, et mutuo consensu virium ad bonum omnibus commune ducat: 3.° *indigentiis nationum;* nam necessitatibus tum physicis tum moralibus statuum plene cumulateque provideri nequit, nisi hac universali societate populorum constituta, siquidem quaevis gens nonnisi aliarum gentium opera fere completur, atque perpetuo caeterorum populorum juvamine augetur; quamvis enim nationes commerciorum usu et foederum sanctitate mutua sibi praestent praesidia; haec tamen nutantia sunt, litigiis obnoxia et periculorum plena, donec firma et secura reddantur stabilitate legum et certae cujusdam auctoritatis ductu, quae relationes internationales moderetur, ac bonum politicum cujuscumque gentis cum bono totius humani generis conciliet, ut ita ex mutuis viribus singularum gentium exsurgat mirus quidam concentus et ordinata operatio universae societatis humanae ad finem assequendum per ipsam naturam praestitutum.

187. Cum quaestio *juridica* de societate internationali intimam connexionem cum quaestione *historica* habeat, quippe *status juridicus* consociationis universalis gentium a facto positivo totus pendet, nempe, ab existentia reali et definitiva constitutione societatis internationalis, quae equidem nondum effecta est, hinc ad praefiniendam naturam juridicam societatis ethnarchicae juxta nostrum concipiendi modum sequentia videntur statuenda pro triplici hypothesi quae fingi posset, nimirum, *absoluta*, *morali* et *relativa*.

1.° *Generaliter* et *absolute* loquendo, societas ethnarchica *possibilis* est; statim enim ac partes seu nationes pactis solemnibus sese obstringerent ad cuncta negotia communia mutua deliberatione solvenda, simulque formam auctoritatis judicantis determinarent, jam haberetur societas internationalis proprie dicta.

Ejusmodi adsociatio gentium devenire posset aequalis vel inaequalis; *aequalis* emergeret, si auctoritas socialis de se resideret in consessu omnium Principum foederatorum, qui, utpote jure pares, suam independentiam in reliquis negotiis non amisissent, sed ex aequo concurrerent ad ea communia, circa quae juridicam obligationem contraxissent standi judicio adsociatorum; hoc tamen non impediret quominus pacisceretur votum alicujus gentis civibus et opibus praevalentis esse praeponendum: e contra *inaequalis* evaderet societas ethnarchica, si quaedam partes aut nationes a participanda auctoritate internationali excluderetur, quae tantum in caeteris vel in uno Principe agnosceretur, imminuta proinde personalitate juridica aliquorum contrahentium.

2.° *Naturaliter* et *moraliter* loquendo, utraque societas ethnarchica, tum inaequalis tum aequalis, videtur *valde difficilis* seu fere impossibilis; quia si de *inaequali* agatur, aegre Principes et solum necessitate ineluctabili obstricti in hanc societatem coalescerent; sin vero sermo sit de *aequali*, difficillimum quoque Principes convenirent in constituenda adsociatione aequali proprie dicta, in qua singulae nationes sese obligent ad servandum judicium inter consociatos praevalens, renuntiando suae independentiae etiam pro negotiis internationalibus; ad summum in hoc consentire solent, ut hujusmodi negotia non sint exclusive obnoxia potestati eorum ad quos directe ac immediate referuntur, sed communi deliberatione moderentur, reservato sibi ad invicem jure interveniendi, necnon salva sem-

per libertate armorum, si ita ipsis expedierit; ex quo fas est colligere societatem juridicam internationalem in praesentiarum tantum *in fieri* existere, minime autem *in facto*.

3.° *Relative* et *partialiter* loquendo, societas ethnarchica *realis* et *practica* est, uti sat luculenter conjicitur ex accurata observatione cursus humanae civilitatis sub speciali Divinae Providentiae ductu: licet enim rudioribus aetatibus nullum vel fere nullum hujus magnae consociationis vestigium exstiterit, exploratum tamen est eam cum populorum cultura inchoari, progredi atque augeri.

Et re quidem vera, quamvis societas internationalis adeo exoptata vitio temporum nondum veram formam et stabilem existentiam attigerit, velut supra animadvertimus, nihilominus aliquo modo viguit temporibus tum Romani tum Sacri Imperii, ac nunc etiam imperfecta saltem quadam ratione adumbratur consensu praecipuorum regnorum in systemate politico, quod *aequilibrium europeum* vulgo nuncupatur (1).

188. Sub nomine Ethnarchiae seu, prout alii malunt, *Christianitatis* medii aevi passim venit: *Societas nationum catholicarum quae in publico jure agnoscebant divinam Ecclesiae auctoritatem et religionem christianam tamquam legem socialem, ita ut ejus publica violatio censeretur crimen sociale:* Christianitas autem ab Ecclesia differebat in eo quod haec fidelibus et dioecesibus constaret, illa vero ex nationibus conflaretur, quae mutua conspiratione in eumdem scopum tendebant, atque idem principium essentiale amplectebantur, nempe, religionem communem ac inviolabilem.

Nemo profecto inficias ibit aetate media apud gentes christianas Occidentis exstitisse etsi quadam ratione

---

(1) Vid. Vattel— *Le droit des gens*, thom. II, liv. III, chap. 8, § 47.

imperfecta veram societatem internationalem, cujus ethnarcha fuit Romanus Pontifex, cum Ethnarchia Christiana illius temporis, uti ex historia aperte constat, omnes characteres praesetulerit, qui ad ejusmodi magnam consociationem constituendam desiderantur.

Et sane, societas internationalis mediae aetatis quinque elementa necessaria efformandis hisce adsociationibus superius recensita in se habuit: 1.° *multitudinem,* scilicet, gentes quae Romanum Imperium occupaverant, et ab Ecclesia non modo fidem, verum etiam culturam receperant; 2.° *finem communem,* quia negotia omnibus vel pluribus populis tunc temporis communia subjiciebantur moderamini ac decisioni potestatis internationalis; 3.° *moralem conjunctionem,* etenim ratione christianitatis diversa regna ex eversione Imperii Romani exorta ad invicem spectabantur ceu magna membra ejusdem societatis; 4.° *vinculum juridicum,* et quidem arctissimum, quandoquidem jus publicum medii aevi triplici fundamento nitebatur; a) *catholicitate* gentium, quae, etsi moribus rudioribus ut plurimum emicarent, necnon interdum primaevam barbariem et nativam feritatem redolerent, adeo ut Ecclesia pluribus saeculis adlaboraverit gratia informandi eas christianis sensibus, maxima tamen veneratione religionem colebant, atque in persona Episcoporum, quos inter regni primores recensebant, Ecclesiam summa reverentia et sincero obsequio prosequebantur; b) *superioritate* ejusdem Ecclesiae, in qua aderat vera praeeminentia intellectualis, moralis et supernaturalis simul cum virtute socialibus necessitatibus consulendi, dum e contra in regnis post Barbarorum invasionem creatis experiebatur urgens necessitas inveniendi auctoritatem quamdam moralem et excellentiorem, quae viam justitiae ac honestatis edoceret populos ex via agresti eductos atque optimo et libenti animo praeditos ad suscipiendum salutare magisterium et beneficam Ecclesiae actionem; c) *jure* quo-

que *devolutivo* Ecclesiae, quippe quae per id tempus plura etiam temporalia praestare valebat, quia jus internum cujuslibet regni conditione catholicitatis in Principe informatum est, ipsa Ecclesia testis ac judex juratae reciprocae fidelitatis constituta, et insuper quamplurimis feudis, possessionibus regnisque locupletata; 5.° *supremam auctoritatem* judicandi, nam in Summis Pontificibus ex ipsa natura factorum agnita fuit quaedam superioritas internationalis super gentes christianas Occidentis, eisque demandata est cura et judicium negotiorum communium etiam temporalium totius christianitatis aut saltem plurimarum nationum.

189. Sed nunc logica inductione inquirendum obvenit, quare Romano Pontifici aetate media delata et vinculata fuerit praedicta potestas ethnarchica in Europam Christianam?

Jam vero, ejusmodi suprematia internationalis saeculis promediis Christi Vicariis tributa est tribus potissimum de causis, videlicet, intuitu personae, objecti communis et vinculi socialis: 1.° ratione altissimae *repraesentationis;* enimvero Summus Pontifex erat persona absque ulla dubitatione praevalens jure atque virtute; *jure,* quia ad ipsum jure divino spectabat cura religionis; ideoque sub hoc respectu potestas indirecta in temporalia ob finem ultimum, necnon judicium in causis saecularibus propter peccatum vel juramentum, quod est vinculum religiosum; *jure* quoque, quoniam ipsis jure publico humano superioritas quaedam in Imperatores Occidentis competebat, uti alibi demonstravimus; deinde etiam *virtute,* siquidem Romani Praesules caeteris Principibus praestabant potentia, sive intellectiva ad recte judicandum, sive operativa ad societati civili efficaciter subveniendum: 2.° ratione *objecti communis;* negotia namque communia vel respiciebant ipsam religionem, vel communem pacem et concordiam, quae equidem inter negotia fere spiritua-

lia enumerantur ad normam justitiae et generalis utilitatis definienda, cujus justitiae custos et judex supremus habendus est profecto Summus Pontifex: 3.° ratione *vinculi socialis;* unicum enim vinculum morale diversas Occidentis nationes conjungens, etiam relate ad bonum commune temporale, erat utique ipsa religio christiana, ratio adaequata et potissimum fundamentum originis, existentiae ac constitutionis unius societatis internationalis seu christianitatis.

Ex praejactis pronum est inferre: [a]) cunctos populos atque Principes illius aetatis jure meritoque Pontificem acclamasse velut *Caput Christianitatis,* tum quia ille unus vel saltem longe melius caeteris consulere valeret bono communi, tum etiam quia Romanum Antistitem agnoscerent tamquam supremum moderatorem illius religionis, quae unicum consociationis internationalis vinculum constituebat; [b]) *Christianitatem* fuisse societatem ethnarchicam *inaequalem;* quamvis enim auctoritates homogeneae seu Principes eam constituentes pari jure potirentur, aderat tamen auctoritas religiosa heterogenea, cujus suprematiam et in negotiis communibus temporalibus admittebant omnes vel pleraeque gentes Europae christianae; [c]) nationes medii aevi Summo Pontifici recte tribuisse curam boni communis etiam temporalis; quippe, cum christianitas tunc temporis unico catholico spiritu informaretur, Christi Vicarium spectabant uti legitimum judicem etiam eorum, quae jure divino rigorose eidem non competerent; [d]) Pontifices Maximos pro sollicitudine universali rei christianae ipsis incumbente suam auctoritatem vel interventionem aeque ac legitime exercuisse, quotiescumque natura negotiorum, omnibus adjunctis rite perpensis, id suaderet, siquidem ejusmodi pontificius interventus, juxta illius temporis mores, et frequenter fuit invocatus et libenter susceptus.

190. Quae cum ita sint, liquido patet Romanos

Pontifices pro cognoscendis, judicandis ac dirimendis pluribus negotiis titulis cumulativis egisse, nempe, utroque jure fulcitos, jure mere divino et jure etiam humano; ita equidem modo adaequato et satisfactorio explicari queunt omnia facta mediae aetatis, in quibus Successores B. Petri suam auctoritatem in negotiis temporalibus interposuerunt.

Hinc factum est ut eorum judicium invocaretur ante expeditiones maritimas suscipiendas, et ab eis petiretur novorum regnorum investitura, necnon enixe exoptaretur pontificia adjudicatio insularum atque regionum, quae in novo orbe detegebantur.

191. Si vero rem intime spectemus, absque ullo dubitationis genere neque errandi formidine asseverare possumus jus ethnarchicum etiam in temporalia, quo Romae Praesules saeculis mediis potiti sunt velut Supremi Christianitatis Moderatores, ex spirituali eorum potestate recte ac legitime esse profectum, uti duplici observatione manifestum fit.

In primis enim, Pontifices Summi curam temporalium gerebant, non tantum sub temporali respectu, sed praecipue sub aspectu spirituali, quatenus nempe ipsorum directio vel interventus in hisce saecularibus negotiis et plurimum conferret ad concordiam fovendam pacemque inter Principes christianos custodiendam, et faciliorem redderet apud ethnicos verae fidei propagationem.

Deinde, ethnarchica RR. Pontificum suprematia, praehabita speciali conditione societatis europeae illius aevi, nihil aliud erat nisi logica et necessaria applicatio auctoritatis primatialis Petri Successoribus divinitus collatae; et sane, supposita existentia et politica constitutione non cujuslibet adsociationis gentium titulo mere naturali et temporali inter se devinctarum, supra quam equidem nullam potestatem proprie ethnarchicam haberet Romanus Pontifex, sed *Christianitatis*, hoc

est, cujusdam societatis internationalis christianarum gentium unico et communi religionis vinculo ad invicem conjunctarum, etiam ad bonum temporale assequendum, auctoritas intersocialis ad Christi Vicarium necessario deferenda erat, spectata tum natura hujusmodi consociationis ethnarchicae, tum indole pontificiae potestatis: ratione *natura* ipsius societatis internationalis, quia cum ejus sociale vinculum esset religio, judicium circa quaestiones generales et negotia communia incumbere debebat potestati spirituali, quae de rebus religiosis vel cum religione connexis unice cognoscere potest; ratione *indolis* propriae Pontificatus, quia ex institutione divina Primatus in Petri Successoribus residet plenitudo potestatis spiritualis et supernaturalis, ideoque jure divino ipsis inerat auctoritas nativa et suprema judicandi de rebus ac controversiis, quae in Ethnarchia Christiana oborirentur.

Inde consequitur Alexandrum VI saeculo XV exeunte (an. 1493), cum hoc tempore adhuc vigeret aliqua ratione christianitas politica medii aevi, optimo jure asseruisse se procedere in elargiendis finiendisque terris ac insulis noviter detectis ex apostolicae potestatis plenitudine, *auctoritate omnipotentis Dei, nobis in beato Petro concessa, ac Vicariatus Jesu Christi, qua fungimur in terris*, prout in Constitutione toties laudata *Inter caetera* legitur.

192. Sed, quaecumque exstiterit origo ac fundamentum potestatis ethnarchicae, qua, populis acclamantibus et Principibus consentientibus, media aetate functi sunt Romani Pontifices, plerique scriptores in rebus historicis apprime eruditi et praejudiciis partium minime abrepti, etiam inter ipsos protestantes recte sentientes (1), ultro fatentur exercitium et intersocia-

---

(1) Inter alios David Urquhar anno 1869 occasione indictionis Concilii Vaticani necessitatem instaurandi potestatem ethnarchicam

lem agnitionem suprematiae ethnarchicae RR. Pontificum plurimum utilitatis in bonum populorum et civilitatis europeae incrementum contulisse.

Et reipsa ex hac internationali superioritate atque universali cura Summorum Pontificum quamplurima consequuta sunt commoda, quae inter potissimum recenseri merentur: [a]) *tutela* et *conservatio* pacis apud gentes; etenim Supremi Ecclesiae Hierarchae, bono communi totius christianitatis consulentes, causas bellorum saepissime removebant, quae profecto si orta et gesta fuissent, maxime turbassent christianam societatem, atque ipsis partibus contendentibus ingens detrimentum attulissent; sic, ex. gr., sub finem saeculi XV Joannes rex Lusitaniae classem paratam habebat ad aliquam utilitatem ex insulis ac regionibus per Christophorum Columbum in novo orbe detectis capessendam, ex quo equidem obortum fuisset bellum cum Rege Castellae, vires christianas distrahendo magno utriusque regni damno; cognita autem celebri Alejandri VI Const. *Inter caetera,* Joannes expeditionem animo destinatam deseruit: [b]) prudens *moderamen* et recta *ordinatio* rerum internationalium et communium negotiorum; siquidem Pontifices cunctis negotiis modum imponebant, suaque suprema directione eadem expediebant, Ecclesiae et Christianitatis bono semper intendentes: [c]) aequa *solutio* et legitima *compositio* conflictuum atque dissentionum, quae penes nationes exsurgere possent; nam Petri Successores suam auctoritatem ad tollenda jurgia et quaestiones finiendas interponebant, unaque summopere exoptabatur et libenter recipiebatur haec benefica et salutaris Pontificum interventio; sin vero aliqui eam agnoscere vel acceptare renue-

---

Romanorum Pontificum palam professus est in libro cui titulus: *Appel d'un protestant au Pape, pour le retablissement du droit public des nations.*

rent, a Pontifice legitimo jure coerceri poterant utpote hostes publici boni christianitatis, ac proinde ipsius religionis, saltem indirecte; quod si quaedam partes vel nationes de gravamine illato conquererentur, aderat semper recursus ad Supremum Christi Vicarium, qui, duce justitia, contentiones dirimebat, damna resarciri curabat, et res omnes aeque ac pacifice componebat.

193. Pro hac praestantissima controversia absolvenda memorare cogimur factum utique luctuosissimum, nempe totalem extinctionem Ethnarchiae Christianae: a saeculo enim XVI propter criminalem defectionem Principum ac populorum, maxime vero ob culpabilem plurium gentium separationem ab unitate catholica prorsus desiit Christianitas medii aevi; ex tunc temporis, rupta unitate politica, quae nationes illius aetatis ad societatem ethnarchicam constituendam colligabat, nec religio fuit amplius vinculum juridicum consociationis internationalis, neque idcirco Romani Pontifices habiti sunt velut subjectum proprium ac legitimum supremae potestatis judicialis erga populos ac gentes antiquae Europae Christianae, sed omnia negotia et graviores quaestiones, quae nationes Occidentis afficere queant, in coetu Principum praepotentium vel in congressibus Statuum hodiedum judicantur atque solvuntur.

Huic igitur Christianitatis dissolutioni vere lugendae ansam dedere complurimae causae, quas heic brevissime innuimus: a) *conatus* Principum se substrahendi ab auctoritate Pontificum, quae quidem propensio jam a saeculo XIII detegitur; nam, cum societas civilis meliorem coepisset habere organizationem, simulque Principum potestas pedetentim magis solidata esset, Reges Summique Imperantes invocare consueverunt judicium Pontificis, non quidem ut Christi Vicarii et Supremi Moderatoris Ethnarchiae Christianae, sed ut

personae spectatissimae, magna sapientia et singulari prudentia insignitae: b) frequentes *dissensiones* inter Romanos Pontifices et Imperatores Germaniae, quae mutuam Sacerdotii et Imperii concordiam maxime turbarunt, atque scissioni utriusque potestatis viam amplam sternentes vim auctoritatis Pontificiae sensim attenuarunt; c) celeberrimae *contentiones* Philippi IV Galliae cognomento *Pulchri* cum Bonifacio VIII, ex quibus proculdubio decrescere coepit salutaris Ecclesiae Summorumque Pontificum influxus in Principes saeculares et civiles societates; d) *translatio* Sedis Apostolicae in Avenionem; omnes namque norunt tum Ecclesiam, tum suprematiam Pontificiam, occasione hujus *captivitatis babilonicae*, prouti historici appellare solent residentiam Pontificum in celebri Galliarum urbe, magnum et gravissimum vulnus subiise; e) diuturnum ac ominosissimum *schisma* Occidentis, quod equidem venerationem erga Apostolicam Sedem summopere imminuit, ortumque dedit famosae quaestioni de superioritate vel inferioritate Romani Pontificis relate ad Concilium, acriter agitatae et adeo perperam pertractatae in Conciliis Constantiensi et Basileensi; f) haeresis Novatorum, omnium, quae hactenus Ecclesiam divexarunt, perniciosissima, *Protestantismus* nempe, qui ruinam Christianitatis penitus consummavit; ex tunc enim, pluribus nationibus ab Ecclesia discedentibus, incipit nova epocha in historia Juris Publici Externi, quippe radicitus immutatur vetus ac juridicus ordo relationum, quae inter societatem religiosam et civilem intercedere debent.

Et sane, a saeculo XVI, sive ob defectionem Principum curam atque sacratissimum officium Ecclesiam Catholicam tuendi, sectasque dissidentes reprimendi derelinquentium vel negligentium, sive ob celerem et funestam propagationem etiam apud Principes catholicos erroneae et exitialis doctrinae Reformatorum circa relationes Ecclesiae ac Status, sive demum ob pernicio-

sum influxum neotericorum scriptorum, qui Jus Publicum mediae aetatis nescientes vel falso et dolose interpretantes superioritatem Principum supra Ecclesiam vindicare ausi sunt, factum est, ut optata inter Sacerdotium et Imperium concordia prorsus disrupta sit, ac proinde omnino desierit unitas politica Christianitatis, cujus unicum vinculum situm erat in unitate catholica, hoc est, in religione christiana cunctis populis ac gentibus communi.

Hac super re adimpletum est quod jam a saeculo XI in Epistola ad Paschalem II praenuntiabat notissimus Ivo praeclarus Episcopus Carnutensis, cujus auream sententiam Egregius Pontifex Leo XIII, speciali Dei providentia hodiedum Ecclesiae gubernacula tenens, in ejus celebratissima Encyclica *Immortale Dei* tamquam legem perpetuam historiae prae oculis semper habendam inseruit: *Cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat Ecclesia. Cum vero inter se discordant, non tantum parvae res non crescunt, sed etiam magnae res miserabiliter dilabuntur.„* (1).

---

(1) Epist. CCXXXVIII.

SYNOPSIS
JURIS INTERNATIONALIS PUBLICI

SYNOPSIS
JURIS INTERNATIONALIS PUBLICI.

NOTIONES GENERALES.

§ I.

SUMMARIUM.

1. Jus Gentium.—2. Duplex acceptio.—3. Juris Internationalis *Positivi* distinctio.—4. In quo differat Jus Internationale *Publicum* a Jure *Privato*.—5. Juris Publici variae denominationes.—6. Praecipuae divisiones.—7. Natura.—8. Fontes.—9. Adjumenta tum *interna* tum *externa* Juris Internationalis Publici.

1. Sub communi Juris Gentium denominatione usuvenit: *Complexus principiorum quibus jura et officia mutua gentium regulantur.*

2. Jus Gentium duplici acceptione sumi potest, nempe, naturali et positiva; Jus Gentium *naturale* passim definitur: *Complexus jurium et obligationum quae inter diversas gentes ab ipsa natura statuta sunt;* Jus Gentium *positivum* dici solet: *Complexus regularum quibus*

jura et officia mutua gentium definiuntur, et quae a consuetudine vel pactis sancitae sunt.

3. Jus Internationale Positivum tribuitur in Publicum ac Privatum; *Publicum* cum Fiore (1) definiri valet: *Complexus legum quibus devinciuntur personae juridicae societatis internacionalis, atque determinantur jura, officia et relationes inter diversos Status*; *Privatum* vero, juxta Asser (2), appellari potest: *Summa principiorum quibus determinatur legislatio applicanda sive relationibus juridicis inter personas distincti status aut territorii; sive actibus positis apud exteras gentes; sive demum omnibus casibus, in quibus lex alicujus status in territorio alterius exsequenda sit*; pressius autem exprimitur ejus conceptus sequenti Neumann (3) definitione: *Complexus regularum quibus solvuntur conflictus inter diversas legislationes.*

4. Jus Internationale *Publicum* a *Privato* triplici potissimum ratione discriminatur: 1.° Publicum relationes juridicas inter Status moderatur, Privatum relationes subditorum respicit, qui vel ad diversos Status pertinent, vel ad eumdem Statum, sed agitur de materia jurisdictioni alterius competente; 2.° Publicum regulas communes Statibus praescribit ad praeveniendos generales conflictus, Privatum diversas leges determinat inter gentes potius applicandas, quoties conflictus particulares obveniant; 3.° in Jure Publico quaestiones circa ejus applicationem obortae mutuo Statuum consensu vel vi adhibita solvuntur, in Privato lites ac contentiones per tribunalia finiuntur.

---

(1) *Tratado de Derecho internacional público*, vertido al castellano por A. García Moreno. Madrid, 1880-84.

(2) *Derecho Internacional Privado* por T. M. C. Asser Profesor en la Universidad de Amsterdan. Traducción, Prólogo y Notas por Joaquin Fernandez Prida, Profesor de Derecho Internacional en la Universidad de Santiago. Madrid.

(3) *Derecho Internacional Público Moderno* por el Barón Leopoldo de Neumann. Traducción, Prólogo y Notas por Aniceto Sela, Profesor de Derecho Internacional en la Universidad de Oviedo. Madrid.

5. Jus Internationale Publicum, de quo tantum nobis agendum erit, diversis nominibus designari consuevit; praesertim vero vocatum est Jus Gentium, Jus inter Gentes, Jus Publicum Externum, Jus Publicum Europeum, Jus Publicum Christianum, Jus Statuum, et tandem Jus Publicum Internationale. Inquiremus leviter quaenam ex allatis denominationibus praeponenda sit utpote aptior et naturae rei magis adaequata.

Primum enim nuncupatum fuit Jus *Gentium*, quod nobis videtur minus proprium frequensque ansa confusionis, tum quia *Gentis* appellatione eadem saepe notio venit ac nomine familiae, et nos hic voce gentis intelligimus integram civitatem aut nationem seu populum, tum etiam quia apud Romanos Jus *Gentium* erat quasi medium inter jus naturale et humanum, ideoque potius denotabat quoddam jus privatum commune omnibus populis, quam jus publicum mutuas inter gentes relationes regulans in sensu internationali, quo hodie accipitur. Etenim Jurisconsulti Romani Jus dividere solebant in naturale, civile et gentium; jus *naturale*, quod ab ipsa natura datur atque brutis etiam animantibus commune erat; *civile*, quod civili potestate introducitur, atque civium romanorum proprium tantum censebatur; *gentium*, quod communione gentium habetur ac earum usu inducitur, et quamvis cunctis populis exterisque commune, utpote natura rerum et generis humani necessitatibus fulcitum, spectabatur tamen velut jus naturale proprium hominum, qui ratione caeterisque attributis humanae naturae essentialibus gaudent, atque utique in hac acceptione definiebatur in ipsis *Institutis* Justiniani: *jus gentium est quo gentes humanae utuntur* (1).

Hac de causa Zouch jurisperitus Angliae et ante-

---

(1) *Inst.* lib. I.

cessor exoniensis saeculo XVII (anno 1650) denominationi Juri Gentium suffecit nomen Juris *inter Gentes* (1), quoniam disquisitio versabatur non in vestigando jure proprio uniuscujusque gentis, sed in determinando jure, quod mutuas diversarum gentium relationes regulat.

Nonnulli, supposita et praestabilita divisione Juris Publici in *internum* (politicum) atque *externum* (internationale), Jus de quo in praesentiarum agitur, appellare maluerunt Jus Publicum *Externum*, quae quidem denominatio nobis videtur expungenda, utpote arbitraria partitione innixa; dari enim et concipi potest apud Status quoddam jus publicum externum, quod tamen nec internationale sit, neque hoc nomine vocari queat, uti jus provinciale vel municipale, internum equidem quoad provinciam vel municipium, sed quoad nationem aut statum aliquo sensu externum.

Alii vero rentur hujusmodi jus recte cognominari posse Jus Publicum *Europeum*, eo quod in hac mundi regione ortum habuerit evolutio atque acceptatio suorum principiorum; at haec assertio genuinae nostri juris notioni plane adversatur, quod in suo juridico conceptu quamdam universalitatem importat, et cunctis orbis plagis applicari debet.

Non desunt etiam jurisconsulti, quibus hanc juris propaginem magis arridet Jus Publicum *Christianum* nuncupare; sed quamquam salutaria Christianismi principia constitutionem hujus juris praecipue informent, ejusque objectum penitus pervadant, non videtur propria et sat adaequata praedicta appellatio, quippe tunc, uti nuperrime animadvertimus, limitibus restringeretur notio universalis Juris inter Gentes.

Jus *Statuum* insuper vocata est disciplina juridica, de qua modo nobis pertractandum erit, nomen profecto

---

(1) In opere, cui titulus: *Juris et judicii fecialis, sive juris inter gentes et quaestionum de eodem explicatio.*

nimis genericum, in se complectens tam jus interius (politicum) quam exterius (mutuas gentium relationes regulans); ideoque eliminandum videtur, quoniam utrique juri aptari posset, facileque aequivocationem gigneret.

Eapropter sub finem saeculi XVIII (anno 1790) primus omnium Bentham vocabulum *Internationale* usurpavit ad significandum Jus Publicum determinans juridicas inter Summos Imperantes vel Status relationes; ex tunc temporis communiter recepta est et universim adhibetur denominatio Juris *Internationalis* per oppositionem Juri mere *Nationali*.

6. Jus Internationale Publicum diversa ratione a tractatoribus et diplomaticis dispesci solet: Grotius illud partitus est in Jus *pacis* et Jus *belli*, quae quidem divisio, utpote solido fundamento et logica methodo carens, hodie fere oblita est; alii vero idem tribuunt in Jus *terrestre* ac *maritimum;* nonnulli radicalem divisionem inducunt in Jus *naturale* et *positivum;* plerique autem, quibus sub mutatione tantum verborum ultro adstipulamur Jus Internationale distinguere assolent in Jus *personarum* (Monarchae, Status, Legati, etc.), Jus *rerum* (territorium, proprietas, commercium, etc.) atque Jus *obligationum* (foedera publica, conventiones, contractus, etc.). Postea ordinem innuemus, qui rectior ac simplicior nobis videtur pro hisce praelectionibus breviter et perspicue tradendis.

7. De natura Juris Internationalis Publici quatuor praecipuae recensentur sententiae, quae recte nuncupari possent *naturalis-pura naturalis-mitigata, positivo-stricta* et *positivo-lata.*

Prima contendit elementa Juris Internationalis esse eadem Juris Naturalis principia; ejusmodi opinionem tuentur saeculo XVI celeberrimi nostrae Hispaniae theologi Victoria, Soto, Suarez et Ayala, atque ex recentioribus juristis Puffendorfius, Wolfius et Vattel.

Altera asserit fundamentum Juris Gentium in ipso Jure Naturali reperiri; sed hoc ab illo distinguitur in eo quod Juris Naturalis principia sine discursu vel facillimo discursu innotescunt, dum Juris Gentium fundamenta per plures illationes et difficiliorem argumentationem colliguntur; hinc saltem quoad nonnulla praecepta necessaria est quaedam determinatio positiva, per usus, foedera aliaque media facta; ita censent aliqui theologi, quorum meminit Grandclaude in suo praeclaro *Breviario Philosophiae Scholasticae* (1).

Tertia sententia positivo-stricta omnes leges atque principia, quae in Jure Gentium habentur, ex voluntate populorum vel ex consuetudinibus mutuatur, minime autem ex ipsa natura, ac proinde Jus Internationale appellat sive pactitium seu conventionale, hoc est, pactis expressis vel tacitis gentium innixum, sive consuetudinarium, id est, usu diuturno omnium vel fere omnium gentium introductum; hujus scholae fundator spectari debet H. Grotius, qui in Prolegomenis sui operis *De jure belli et pacis* Jus Gentium ita definit: *Quod gentium omnium aut mulctarum voluntate vim obligandi accepit*; huic sententiae assentiri videntur saeculo XVII Zouch, Racher et Moser, atque saeculo XVIII Galiam, Campredi aliique juristae.

Quarta sententia, nempe, positivo-lata, viam mediam sequens, tenet Jus Internationale duplici elementorum genere coalescere, aliis ex Jure Naturali sumptis, aliis autem ex Jure Positivo depromptis; ejusmodi placito adstipulantur Martens, Wheaton, Phillimore, Liberatore, Grandclaude atque probatissimi Juris Internationalis Tractatores nostris diebus. Hanc equidem sententiam amplectimur, quandoquidem, ut ait Liberatore: "satis liquet ipsis *(pactionibus)* supereminere jus

(1) *Ethica Specialis*, sect. II, cap. IV.

quoddam gentium absolute dictum, quod omnes omnino gentes adstringat, nec a consensu populorum aut voluntate imperantium, sed ab ipsa natura profectum sit. Unde fit, ut universalibus et immutabilibus principiis constet, prout tamen non privatis hominibus, sed nationibus se mutuo respicientibus applicantur.„ (1) Cum eximio philosopho Matthaeo Liberatore consentit ipse Vattel, qui ita scribit: "Jus gentium nihil aliud in sua origine est, quam Jus naturae nationibus applicatum„ (2); necnon ipse Grotius fassus est: "Extra jus naturale, quod ipsum quoque gentium dici solet vix ullum jus reperiri omnibus gentibus commune„; ex quibus verbis nonnulli scriptores collegerunt celeberrimum juristam batavum esse accensendum inter eos, qui Jus Internationale existimant veluti Jus mere Naturale propter propriam ejus indolem et intimam essentiam.

8. Fontes Juris Internationalis ad quinque genera revocari queunt, scilicet, foedera seu conventiones, legislationem, jurisprudentiam, usus ac consuetudines, atque jus naturale. Ex his fontibus, si res *practice* inspiciatur, primum locum obtinent in Jure Internationali Positivo pacta seu conventiones; sin vero res *theorice* spectetur, aliter dijudicandum est, etenim ratione habita essentialium fundamentorum, quibus Jus Gentium innititur, vera praelatione gaudent et ordine praecedere debent principia Juris Naturalis.

Primus ac potissimus Juris Internationalis Positivi fons reperitur in conventionibus seu pactis inter varios Status initis gratia statuendi, moderandi vel definiendi quamlibet relationem juridicam. Magni momenti existimantur, tum quia deficientiae Juris Internationalis supplent, tum etiam quia apud nationes pro norma haben-

(1) *Institutiones Philosophicae, Jus Naturae*, introd.

(2) *Le droit des gens n'est originairement autre chose, que le droit de la nature appliqué aux nations.* (*Le droit des gens*, tom. I, prelim. § V).

tur ad quaestiones dirimendas et conflictus solvendos; praecipua foedera publica recensione digna, utpote originem epochae determinatae praebentia, sunt haec: Westfaliense (1648), Ultrajectense (1713), Viennense (1815), Parisiense (1856) atque Berolinense (1878).

Legislationem insuper inter fontes enumeravimus; quamvis enim vera et completa legislatio non habeatur, quia nondum adest societas proprie ethnarchica, nec tribunal supremum auctoritate leges exsequendi praeditum, neque codex internationalis; attamen admittere necesse est quasdam dispositiones atque statuta exstare indolis legislativae, quippe pleraeque nationes in Congressibus ac Collationibus saepe coactae pro discutiendis et dirimendis quaestionibus diversarum gentium leges tulerunt cunctos Status ut plurimum cogentes: sic, ex. gr. in Congressu Viennensi anno 1815 habito abolitum est nigritarum commercium et proclamata fuit libera navigatio fluvialis, necnon in Congressu Parisiensi anno 1856 celebrato fere sancitus est quidam Codex maritimus.

Jurisprudentia etiam tamquam fons Juris Internationalis haberi meretur, quia interdum existere possunt resolutiones a Tribunali Superiori latae; et sane quoad Jus Internationale agnoscenda est aliqua jurisprudentia, licet exigua et valde deficiens, Tribunalibus Arbitralibus innixa, quae per partes seu nationes eligi valent pro recta foederum applicatione, legitima pactionum interpretatione vel aequa dissidiorum compositione, et quorum sententiae a Statibus arbitratum invocantibus, etiam vi adhibita, exsequi debent: celeberrima fuit decisio arbitralis anno 1871 per Tribunal Genevense lata ad finiendam quaestionem inter Angliam et Status Foederatos Americae obortam occasione navigii Alabama dicti et violationis neutralitatis ex parte Angliae in bello secessionis inter Status Septentrionales atque Australes.

Ad usus quoque et consuetudines pro recte applicando Jure Internationali confugiendum est; nam agitur de Jure novo, vix orto, valde imperfecto, in quo equidem plures deficientiae adhuc notantur, simulque quamplurima principia et leges inveniuntur, quae interpretatione egent; jam vero tritum compertumque est consuetudinem, ubi deficit lex, legi supplere, unaque esse optimam legum interpretem.

Demum, si pro solvenda re desierit solida basis atque legitimum fulcimentum, quia nihil certi ac explicite ex legislatione, jurisprudentia vel consuetudine deprehendatur, ad postremum fontem recurrendum est, nempe, ad suprema et immutabilia Juris Naturalis principia.

9. Scientiae auxiliares, quae ad rectam Juris Internationalis Publici intelligentiam summopere conferunt, in duas classes tribui possunt, *internas* nempe atque *externas*, prout ejusdem ordinis juridici sint et arctiorem relationem cum Jure Publico Gentium habeant, vel ad diversum ordinem spectent et remota tantum necessitudine cum illo connectantur.

Tria sunt praecipua adjumenta *interna* Juris Internationalis Publici, nimirum: Jus Internationale Privatum, quo definitur competentia legifera et jurisdictionalis Statuum ad vitandos vel solvendos conflictus inter subditos; Jus Politicum, in quo determinatur constitutio et fundamentalis Statuum organizatio, cujus cognitio adeo necessaria est gratia introspiciendi ac rite definiendi terminos seu personas juridicas relationis internationalis; Jus Processale, ubi continentur et traduntur media practica et efficaciora caetera jura servandi et officia inter gentes exsequendi.

Tria etiam recensentur adjumenta *externa*, scilicet: Philosophia ad veram Juris Gentium naturam assequendam; Historia dignoscendi ergo originem atque evolutionem Juris Internationalis; Geographia, ut situs

Statuum, loca bellorum, congressuum aliorumque eventuum, necnon limites territoriales designari valeant.

§ II.

SUMMARIUM.

10. Quid in Jure Publico Internationali ad genuinam ejus notionem dignoscendam spectari oporteat.—11. Quaestio *critica*.—12. An sit vere Jus Internationale.—13. Utrum sit perfectum.—14. Num aliquando devenire poterit perfectum.—15. Quaestio *historica*.—16. Quaenam relationes et principia apud gentes exstiterint antiquis temporibus.—17. Quaenam medio aevo emicuerint.—18. Quaenam viguerint epocha recentiori. 19. Quaenam aetate novissima praevaluerint.

10. Ad germanam Juris Publici, quo mutuae gentium relationes regulantur, notionem recte attingendam penitusque dignoscendam, operis pretium erit ipsum perpendere sub triplici respectu, *critico* nempe, *historico* atque *scientifico*.

In antecessum igitur inquirere oportet vim ac naturam hujusmodi Juris, principia quae apud gentes hac super re pro varietate temporum praevaluerint, et postremo ortum, progressum actualemque conditionem novae scientiae haec studia juridica hodiedum excolentis.

11. In primis enim disserere jubat de quaestione *critica*, sub qua tria capita haud exigui momenti enucleanda et solvenda veniunt: interrogari solet an sit vere Jus Internationale, utrum perfectum censeri valeat, atque num aliquando perfectum esse poterit. Huic triplici quaestioni breviter et categorice respondebimus, mentem nostram aperte ac ingenue patefaciendo.

12. Quoad existentiam Juris Internationalis, nemo utique eam inficiabitur, siquidem ex ipsis verbis JUS— INTER— NATIONALE litteraliter et stricte sumptis plane colligitur; tria certe requiruntur juxta tritam praefati Juris denominationem ad ipsum vere constituen-

dum, videlicet, pluralitas nationum (*Nationale*), relatio seu communicatio earumdem (*Inter*) et elementa constitutiva omnis juris (*Jus*): age jam triplex laudata conditio in Jure Internationali Publico adamussim impletur.

Adest primum pluralitas nationum, uti evidenter patet, tum *a posteriori* ex levissima inspectione cujuslibet chartae geographicae, ubi delineatae apparent plurimae adsociationes independentes seu distincti Status politici, tum *a priori*; etenim ratio ipsa cuique suadet ex diversitate originis, linguae, usus, historiae atque traditionis surgere ac efformari debuisse varias gentes seu humanas aggrupationes, quae organizatione, legibus, charactere et aspirationibus inter se differrent.

Exstat deinde reciproca gentium relatio, factum equidem certissimum atque ineluctabile, principio socialitatis innixum; Status enim, sicut homo, finitus est, limitibus undique circumscriptus, ideoque praesidiis et communicatione indiget tam in ordine physico (unde permutatio rerum seu commercium), quam in ordine morali (unde permutatio idearum et sensationum): exinde ortum ducit societas internationalis, de cujus futura constitutione, sub nominibus *reipublicae nationum, magnae civitatis, communitatis juridicae populorum, Status humani*, aliisque hujusmodi, Bentham, Savigny, Lorimer (1) et haud pauci juristae passim loquuntur.

Concurrunt tandem tria elementa essentialia omni juri nimirum, subjectum, objectum et relatio juridica seu causa efficiens: subjectum, tum *activum*, cum Status exigere aut reclamare potest, tum *passivum*, si Status facere aut praestare tenetur; objectum, sive *immediatum* veluti nationalitas, territorium, proprietas etc.,

---

(1) *Principios de Derecho internacional, traducidos al francés y extractados par E. Nys.* Versión castellana de Lopez Coterilla. Madrid, 1888.

sive *mediatum* omni genere actuum et actionum constitutum; relatio juridica seu causa efficiens obligationum internationalium habetur in pactis aut contractibus et quasi-contractibus apud nationes initis.

13. Quoad qualitatem seu indolem Juris Internationalis Publici, ex triplici capite manifestum fit illud nondum perfectionem attigisse, sed in praesentiarum vitiis juridicis adolere multisque naevis scatere: 1.° ex defectu *sanctionis*, quia desunt tribunalia internationalia pro urgenda adimpletione pactionum et observantia legum; 2.° ex defectu *legislationis*, etenim nondum adest codex internationalis qui cunctos Status complectatur, eosque in quolibet casu particulari adigat; 3.° ex defectu *organizationis*, quippe non existit Status Internationalis seu Societas Ethnarchica proprie dicta, potestate suprema et legislativa instructa.

Praecedentes observationes aperte ostendunt Jus Internationale in praesenti rerum conditione imperfectum, incompletum, embryonarium, ut ita dicam, esse; sed minime sufficiunt ad infitiandam ejus existentiam; etenim si non adest sanctio seu coactio proprie dicta, per tribunalia internationalia applicata, in promptu sunt quaedam media coercitiva veluti hostimentum, sequestratio, etc., et loco tribunalium viget collectio regularum, consuetudinum atque conventionum, quarum observantia mediis illis coactivis exigitur et procuratur; si non exstat codex internationalis, in infantia populorum codices non reperiebantur, et tamen jure non carebant, quia apud cunctas gentes jus consuetudinarium, institutionibus et usibus nationalibus fulcitum, antiquius est lege scripta; si demum nondum constituta est (et forsitan nunquam constituetur) societas ethnarchica universalis, practice ac relative diffiteri nequit aliqualem consociationem internationalem in Europa existere, necnon praestantissimos Congressus internationales esse congregatos pro jure conventionali in Statibus Europeis stabiliendo.

14. Quod vero ad futuram perfectionem Juris Internationalis Publici respicit, *absolute* loquendo nemo profecto possibilitatem facti inficiabitur; sed *moraliter* loquendo nobis videtur sero vel nunquam obtentum iri hujusmodi desideratum; quamvis enim Status, Imperantes, Congressus, Sapientes, Legislatores et Diplomatici plurimum adlaboraverint et totam operam navarint pro hoc laudabili scopo attingendo, nondum res ad felicem exitum perducta est, et fortasse ad optatum finem nunquam pervenietur tribus potissimum gravissimis incommodis, quae dificillime removeri possent, scilicet, *applicatione* universali Juris Internationalis, *codificatione* legum atque *constitutione* societatis ethnarchicae.

Applicatio. Res valde difficilis, fere impossibilis est Jus Internationale generatim applicare, hoc est, cunctis populis ac gentibus: a) ejusdem enim actio tantum complecti valet nationes, in quibus recipiuntur et vigent principia fundamentalia civilitatis europeae: b) relationes gentium ab ipsarum recognitione internationali pendent; jam vero, non omnes populi jure potiuntur ad eamdem recognitionem, sed juxta gradum culturae majori vel minori consideratione apud exteras nationes haberi possunt: hinc, cum gentes in tres magnas aggrupationes seu classes passim distingui soleant, nempe, in cultas, barbaras aut semi-cultas et prorsus incultas seu silvaticas, recte exsurgit triplex recognitio politica pro diversa conditione civilitatis, *plena, partialis* et mere *naturalis;* jus itaque ad plenam recognitionem politicam habent Stati Europei, Coloniae eorumdem per incolas europeos vel ipsorum progeniem occupatae; recognitione politica partiali pollent Turchia asiatica et europea, quidam Status historici Asiae adhuc independentes veluti Persia, Japonia, Imperium Sinense et Regnum Siamum; recognitio mere naturalis seu humana populis incultis competit, quia etiam gentes silvestres Juri Naturali subjacent ejusque praescriptiones

servare tenentur: c) in ipsis quoque Statibus, qui sese jactitant maximum culturae gradum obtinuisse, praecepta Juris Internationalis minime custodiuntur, uti evidenter ostendunt tot tamque frequentes violationes; teste locuplete istius assertionis iniqua agendi ratione Russiae erga infelicem Poloniam, Italiae erga dominia temporalia Sanctae Sedis, Foederationis Americanae erga antiquas Colonias Hispanicas, et perfidae Angliae erga Respublicas Sudafricanas.

Codificatio. Magna insuper difficultas ex defectu Codicis Internationalis, quo explicite definiantur mutuae Statum relationes, oritur; licet enim omnes juristae et tractatores optimae notae necessitatem fassi sint in unum colligendi cunctas leges atque principia Jus Internationale constituentia; quamquam etiam Bentham (1), Katchenowski (2), Ferrater et Parodo (3), Bluntschli (4) et Dudley Field (5) laudabilia experimenta tentata sint, necnon praeclara opera ediderint; quamvis demum Institutum Gandavense Juris Internationalis (6) evulgaverit *Specimen reglamenti pro processu arbitrali internationali* anno 1875, *Manuale legum belli terrestris* anno 1885, *Reglamentum internationale praedarum maritimarum* anno 1887, atque eruditissimas *Memorias* in suis authenticis *Annuariis* et in *Recensione Juris internationalis ac Legislationis comparatae*; attamen agnoscendum est ingens opus codificationis internationalis adeo optatum totque laboribus atque tantis moliminibus praeparatum usque in praesens non-

---

(1) In sua adumbratione Codicis Internationalis.

(2) *Memoria* Societati juridicae Londinensi anno 1862 dicata.

(3) Jus Internationale in forma articulorum legis expositum.

(4) *Jus Internationale codificatum* (conf. versionem gallicam Lardy).

(5) *Specimen Codicis Internationalis* (vid. *Proget d'un Code international*, traduit par Rolin. Paris, 1881).

(6) Academia cosmopolita anno 1873 instituta et quibusdam selectis membris composita.

dum perfectum, multoque minus consummatum fuisse.

Constitutio. Denique maxima et fere insuperabilis difficultas, ut Jus Internationale suum apicem et vigorem universalem assequatur, semper erit formatio seu constitutio societatis aut status internationalis, cui praeficiatur quaedam potestas suprema, vel *pantarchica* (regimen omnium) si ethnarchia *aequalis* esset, vel *poliarchica* (regimen multorum), *oligarchica* (regimen paucorum) aut *monarchica* (regimen unius) si societas internationalis *inaequalis* emergeret.

Fatemur equidem plures theorias confictas, necnon complurimas et nobilissimas prolusiones esse tentatas pro ejusmodi fine adipiscendo; sed pariter declarare cogimur cunctos conatus universaque experimenta ordinem speculativum atque limites cultae Europae vix aut ne vix quidem praetergressa fuisse; unde liceat nobis hac super re tres sequentes observationes cum Mendizabal, egregio Juris Naturalis scriptore (1), adstruere: 1.° sunt principia justitiae universalis, quae omnibus personalitatibus juridicis applicari possunt ad mutuas relationes regulandas; 2.° assignatio officiorum internationalium, quae positiva et hypothetica vocantur, Suprematiae Statuum competit; 3.° actualis conditio relationum internationalium maximopere favet decisivo influxui Juris Naturalis, juxta spiritus publici interpretationem et mentem scriptorum hisce de rebus agentium; ratio enim cunctis pariter imponitur.

15. Ut simplici intuitu conspiciantur relationes atque principia, quae inter gentes lapsu temporis et juxta diversa rerum adjuncta praevaluerunt, Historia Juris Internationalis in quatuor epochas optime partiri potest, *antiquam, mediam, novam* et *novissimam.*

---

(1) *Elementos de Derecho Natural* por D. Luis Mendizabal y Martín, Catedrático numerario de dicha asignatura en la Universidad de Valladolid. 1890.

16. 1.ª Epocha (a remotissimis temporibus usque ad saeculum VII aerae christianae). Populi antiquitatis relationes internationales in sensu quo hodiedum usurpantur, vix coluere; etsi enim haud raro reperiantur nonnulla foedera vel pactiones praesertim inter tribus adfines, uti apud Graecos, nihilominus ex ordinarie contingentibus veteres nationes ad invicem dissitae ac disjunctae manebant, sive quia putabant sibi sufficire et omnia habere intra limites sui territorii, sive potius quia dominationem universalem appetebant, velut Persae aut Macedonii, ac conterendi ergo caeteras inimicas gentes bellum quocumque ferebant.

Certum est aliquam hujus generalis regulae exceptionem interdum datam esse; sic apud Romanos non solum instituta fuit specialis magistratura, quae nomine *praetoris peregrini* ad regulandas relationes cum exteris cunctis hominibus applicaret *jus gentium*, speciem seu formam Juris Internationalis Privati, verum etiam viguit *jus feciale* (1) leges circa legationes, foedera publica et bellum complectens, et novo Juri Internationali Publico valde simile; attamen elementa constitutiva hujusmodi Juris Gentium in desuetudinem abierunt, postquam Roma universo orbe tunc noto potita est, ac demum in oblivionem prorsus desiere post Romani Imperii eversionem et magnam Barbarorum irruptionem.

Hac remota aetate relationes gentium sequenti regulabantur principio: *Solitas populorum et praedominium vis physicae*.

17. 2.ª Epocha (a saec. VII usque ad XVI). Aetate media obvium atque naturale est frequentiores penes Status relationes detegere institutioni Ethnarchiae Christianae debitas, licet sat crebro intersectas vel disruptas propter contentiones et bella feudalismi.

(1) Nomen accepit a collegio *Sacerdotum Fecialium* a Numma Pompilio creato, quibus munus concreditum erat bellum declarandi et pacem concludendi, specialibus ritibus et formulis adhibitis.

Principium relationes internationales medio aevo determinans ad hanc compendiosam formulam redigi valet: *unitas, consolidatio atque extensio Statuum* obtenta vel consummata per Principes et Dominos vi declarationis, protectionis aut concessionis Romani Pontificis, qui utpote Caput Christianitatis saeculis promediis habitus est velut Supremus Europae Ethnarcha pro negotiis etiam temporalibus.

18. 3.ª Epocha (a saec. XVI usque ad XIX). Aetate nova incipit Juri Internationali nova et fausta aera; etenim ex tunc temporis relationes inter gentes undequaque explicantur ac crescunt: et sane inventio typographiae, incrementa litterarum, artium atque industriae, progressus commercii, detectiones terrarum in novo orbe, caeteraque praestantissima facta, quae initium hujus historicae periodi peculiari nota distinguunt, frequentiorem ansam praebuere augendi et dilatandi communicationem inter populos.

Exinde turmatim surgunt mutua foedera, pactiones navigationis et commercii, exercitus regulares, legationes permanentes, organizationes territoriales, novaeque combinationes politicae, inter quas eminent systema Statuum Occidentalium ac Meridionalium in conventione Westfaliae (1648) praefinitum, systema Statuum Septentrionalium per pactum Olivae (1660) sancitum, systema politicum in Congressu Viennae (1815), qui denuo ac solemniter principium *legitimitatis* proclamavit, ad moderandas relationes inter Europae nationes, simulque finiendas circumscriptiones territoriales Statuum post Gallicam Perturbationem, stabilitum.

Principium communiter receptum pro regulandis reciprocis gentium relationibus recentiori aetate situm est in hoc axiomate internationali: conservatio *statu quo* seu tutela et defensio pacis generalis, innixa fundamentò inconcusso independentiae politicae et autonomiae propriae singularium nationum. Ejusmodi prin-

cipium, quod sub evulgata denominatione *aequilibrii europei* passim venit, a Revolutione Gallica prorsus violatum restabiliendum curarunt Congressus Viennense supra laudatum et Sacrum Foedus *(Santa Alianza)* inter Status Europae Septentrionalis sub ductu Autocratae Russiarum anno 1815 initum ad impediendum celerem propagationem et triumphum definitivum novae ac subversivae theoriae *legitimum* dominium dynastiarum regnantium impetentis.

19. 4.ª Epocha (saec. XIX). Denique aetate novissima majori perspicuitate et solemniori ratione definiuntur juridicae relationes, quae inter nationes intercedere debent; quandoquidem in *Congressibus* ac *Collationibus* promulgata sunt principia positiva Juris Internationalis, necnon in publicis *Foederibus* consignatae fuere leges efficaciores ab Statibus Europeis firmiter ac generaliter servandae.

Decurrente hac postrema et recentissima epocha, acclamatum ut plurimum atque in praxim reductum principium *nationalitatum,* de quo postea loquemur, in eo situm quod patrocinatores hujus theoriae contendant homines ejusdem stirpis, idiomatis, usuum et religionis in unum Statum convenire oportere.

Novissimis temporibus memoratu digna censentur in ordine internationali sequentia praestantiora facta: perturbatio et independentia Graeciae interventioni europeae debita; bellum Orientis absolutum conventione Parisiensi anni 1856, in qua sancita sunt nova principia juris maritimi; unitas Italiana, quae bellum inter Sardiniam, Franciam et Austriam exortum subsequuta est, pactio Tigurina 1859, et violenta Romae occupatio anno 1870 consummata; fundatio Imperii Germanici, ejusque praepotentia in negotiis internationalibus Europae velut necessarium consectarium belli Franco-Prusiani et Foederis Francofordiensis anni 1871; renovatio celeberrimae quaestionis Orientis occasione belli

Russo-Turcici anno 1877 oborti, cui terminum posuit pactum Sancti Stephani, conventione Berolinensi anni 1878 subrogatum et in solemni Potentiarum Congressu receptum.

Quoad Americam, fere omnes Coloniae Hispanicae subversivis ac perniciosis francmassonum et perturbatorum theoriis seductae adversus Metropolim anno 1810 sese insurrexerunt, atque successu temporis opus rebellionis consummantes plenam emancipationem consequutae sunt: ad historiam autem veridicam et rectam criticem attinet pronuntiare utrum independentia regionum, quas Christophorus Columbus detexit in bonum populorum indigenarum contulerit, vel potius eorum perniciei, crebris dissidiis et perpetuis seditionibus ansam dederit.

§ III.

Summarium.

20. Quaestio *scientifica*: an Jus Internationale Publicum scientiae nomine insigniri valeat —21. Historia scientiae Juris Internationalis.—22. Origo atque evolutio hujus novae Disciplinae.—23. Scholae Hispanica et Italica saeculi XVI.—24. Scholae quae floruere saeculo XVII, XVIII ac XIX.—25. Praecipua systemata pro tradenda scientia juridico-internationali adhibita.—26. Recensio bibliographica.—27. Ordo tractationis.

20. Scientia duplici modo spectari potest, *actualiter* nempe et *habitualiter*; sub primo respectu definitur: *cognitio rerum per causas* seu *cognitio certa et evidens per demonstrationem comparata;* ex quo colligitur duo requiri ad constituendam scientiam hoc sensu sumptam, nimirum, certitudinem *consequentis* et evidentiam *consequentiae,* id est, ut veritates per discursum cognitae sint certae etiamque evidenter certae, utpote derivatae ex praemissis notis sive evidentia *immediata,* cujusmodi

sunt axiomata seu primaria principia, sive evidentia *mediata*, quales habentur praemissae aut propositiones, quae vi demonstrationis in veritates axiomaticas seu *evidentes per se* reduci possunt. Quod si scientia tamquam habitus inspiciatur, recte definiri valet: *Complexus seu collectio veritatum demonstratarum aut quae demonstrari queunt.*

Nunc vero, Jus Internationale Publicum nomen ac dignitatem verae scientiae meretur, quippe veritates certas, necnon evidenter certas complectitur, tum demonstratas, quia ex principiis axiomatibus deducuntur, tum demonstrabiles, quia absque magna dificultate intuetur earum nexus cum principiis necessariis, immutabilibus atque universalibus Juris Naturalis; sic, ex. gr. aequalitas et independentia Statuum, libertas marium, fraternitas omnium hominum penes cunctas gentes censentur veritates adeo certae ac demonstratae seu demonstrabiles, ut injusta invasio Statuum, monopolium navigationis vel commercium nigritarum semper putabuntur veluti facta ratione et sensu communi reprobata, atque in Jure Internationali punitione digna.

21. Pro enucleando conceptu scientifico Juris Internationalis vel leviter delineare oportet historiam hujus novae disciplinae.

Historia scientiae Juris Internationalis denominatur: *recensio chronologica et critica expositio scholarum, doctrinarum atque opinionum, quae hanc recentiorem disciplinam constituunt, una cum ejus bibliographia et juridica litteratura.*

Animadvertendum est minime esse confundendam historiam Scientiae Juris Internationalis cum historia ejusdem Juris, siquidem magnum discrimen inter utramque adest; historia Scientiae sita est in exponenda theoria juridica circa mutuas gentium relationes, historia Juris in tradenda praxi hac super re diversis temporibus servata; historia Scientiae in questione prae-

via versatur, historia Juris naturam intimam rei, de qua agitur, respicit; historia Scientiae valde recens est, historia Juris antiquitate praestat, quippe ad ipsam originem et constitutionem Statuum assurgit.

22. Origo atque evolutio hujusmodi Scientiae a recentiori aetate repetenda est, nempe, a saeculo XVI; apud veteres vix vestigium aliquod reperitur hujus studii juridici vel specimen proprie dictum inquisitionum internationalium; etenim non exstant lucubrationes Juris Internationalis a Graecis vel Romanis consriptae, sed tantum in operibus Platonis et Aristotelis disseminatae habentur nonnullae sententiae ad exteras gentes respicientes; exploratum namque est populos antiquitatis intra suos fines contentos cunctos exteros tamquam hostes quolibet jure destitutos spectasse, Romanosque fere toto orbe potitos ac suas leges ubique terrarum imponentes eo ipso fundamentum relationum penes gentes convellisse.

Medio aevo notum etiam est feudalismum ita varie Jus Publicum interpretatum esse atque in ejus applicatione aberrasse, ut revera exstiterit magnus et praecipuus obex existentiae ac evolutioni Juris Internationalis; fuit equidem tunc temporis societas internationalis, quae *Ethnarchia Christiana* vocatur, tribus fundamentalibus legibus innixa, videlicet, catholicitate Statuum, vinculo communi religionis et suprema Romanorum Pontificum potestate; at vero non viguit Jus Internationale juxta usualem hujus vocis acceptionem, hoc est, tamquam complexus legum, quae communi consensu et sanctione cunctas nationes adunarent atque obstringerent pro regulandis earumdem relationibus in ordine mere politico, cum hoc fere impossibile redderetur propter bella, jurgia et dissentiones adeo frequentes hac luctuosa epocha.

Tandem recentiori aetate, saeculo nempe XVI, quo tot praestantissima facta, sing ularia inventa, mi-

rabilesque detectiones completa sunt, nationes firmiori basi solidantur, Status novis dominiis locupletantur, commercium undequaque augetur, gentes vi hujus universalis progressus amico foedere et arctiori necessitudine inter se conjunguntur, atque in mente Sapientum surgit altissima cogitatio mutuas populorum ac gentium relationes regulis certis et juridicis principiis accommodandi: en quidem origo fecunda et genesis historica novae scientiae studio Juris Internationalis assidua cura intendentis.

23. Aetate igitur novissima, saeculo *aureo* apud nostrates nuncupata, quia fuit utique fulgentissima periodus nostrae civilitatis, universalis dominationis atque patrii splendoris, ortum habuit scientia juridico-internationali, quam fovendam sedulo curarunt Schola Hispanica et Italica.

Praecipua laude recenseri meretur nostra Schola Hispanica, cujus ornamentum et gloria exstitere praeclari theologi ac juristae illius florentissimae aetatis Franciscus Victoria, Dominicus Soto, Franciscus Suarezius, Baltassar Ayala aliique bene multi, qui Juri Naturali et Gentium dilucidando nobilissimam operam navarunt. Franciscus Victoria suas edidit *Praelectiones Theologicas*, et in parte 4.ª cui titulus *De Indiis*, occasione detectionis Americae, systema distributionis vere completum evolvit relate ad insulas ac terras in novo orbe repertas, necnon in parte 5.ª *De jure Belli* inscripta optimum tractatum promit de hac praestantissima controversia: Dominicus Soto in suo praeclaro opere *De justitia et jure* atque Eximius Suarezius in ejus percelebri tractatione *De legibus et de Deo legislatore* certissima et inconcussa Juris Internationalis principia sanxerunt: denique Baltassar Ayala in egregio opere *De jure et officiis belli* praecipuas regulas et aequissimas praxes exposuit, quibus ex naturali justitia attemperari debent exercitus bellum gerentes.

Eodem tempore floruit Schola Italica, cui praefecti sunt Albericus Gentilis et Machiavellus; ille duo opera magni momenti evulgavit, alterum *De delegationibus*, in quo Jus legationum explicavit, alterum vero *De jure belli*, ubi graviores hac de re quaestiones dilucidavit; hic autem librum in lucem edidit circa *Legationes* versantem, ex quo factum est, ut in posterum legationes permanentes apud exteras nationes instituerentur, gratia constabiliendi ac jugiter asservandi mutuas gentium relationes.

24. Saeculo XVII eminent etiam aliae duae Scholae, nempe, *Positiva* Hugonis Grotii et *Naturalis* Hobbessii ac Puffendorfii. Grotius notissimus jurisconsultus Batavus, quem patrem ac fundatorem Juris Internationalis nuncupare solent, eo quod hoc a Theologia et Jure Naturali, cum quibus usque tunc permixtum erat, sejunxit, duo celebratissima opera excussit, aliud *Mare Liberum* denominatum, in quo contendit mare esse liberum et nullo pacto constituere posse Statibus objectum proprietatis, aliud autem insignitum titulo *De jure belli et pacis*, in prope innumera idiomata versum, quadragies uno tantum saeculo editum, quamplurimis Universitatibus expositum, et velut Codicem habitum ab Europa per Congressum et Conventiones Westfaliae restaurata; Hobbesius et Puffendorfius e contra asserebant Jus Internationale non esse spectandum tamquam positivum juxta Grotii placitum, sed uti naturale, quia essentialiter ex Jure naturae sua principia depromit.

Saeculo XVIII caeteris scholis praestat positiva, quia plures scriptores, inter quos emicant Bynkershoek, Galiam, Campredi, aliique bene multi singulari studio defendebant Jus Internationale ex pactis atque usibus tantum esse repetendum. Huic quoque aetati accensendae sunt schola Italica Bentham, socialista Rousseau, philosophica Montesquieu, et rationalista

Kantii, qui omnes scriptores suis pacitis et systematibus in constituendo ac interpretando Jure Internationali influxum plus minusve salutarem exercuerunt juxta praejudicia uniuscujusque scholae.

Demum, saeculo XIX facile est comperire triplicem propensionem juridico-internationalem, quae totidem scholis originem praebent, videlicet, scholae philosophicae Tibau, scholae historicae Savigny, atque scholae Krausse, quam quodam apparatu et nomine specioso harmonicam vocare assolent.

25. Ex praejactis pronum est conjicere quatuor methodos esse usitatas pro varietate scholarum in exponenda scientia juridica internationali, scilicet, *theoricam, theorico-practicam, positivam,* atque *positivo-naturalem* seu *mixtam:* methodus *theorica* regulare intendit mutuas Statuum relationes juxta leges ex Jure Naturali deductas (eam amplexati sunt juristae saeculi XVI, Hobbessius, Puffendorfius, Wolfius, et Vattel); *theorico-practica* leges internationales mutuatur ex usu ac consuetudine populorum, quin tamen principia Juris Naturalis praetermittat (hanc sequuti fuere nonnulli theologi et juristae, quorum meminit Grandclaude); *positiva* praefatas leges tantummodo ex historia, traditione ac factis derivat, hoc est, ex pactionibus, congressibus, usibus, condictis, resolutionibus, aliisque id genus, omissione facta ulterioris critices vel peculiaris judicii circa memorata fundamenta juridica (ejusmodi processum scientificum latius vel strictius servarunt Grotius, Zouch, Rachel atque Moser saeculo XVII, necnon Galiam, Campredi et juristae saeculi XVIII); *positivo-naturalis* seu *mixta* leges internationales quoque educit ex publicis conventionibus, mutuis contractibus, usibus receptis, caeterisque factis historicis, sed tamen haec recto judicio perpendit, ordinate colligit, simulque accurate confert cum principiis generalibus Juris Naturalis (hunc ordinem in suis operibus ut plurimum custodi-

re maluerunt Kantius, Martens, Weaton, Phillimore atque juristae saeculi XIX.

26. Pro hac disquisitione scientifica circa Jus Internationale absolvenda, nostri muneris esse ducimus recensionem bibliographicam subjungere, quae statum hujus novae Disciplinae aliquatenus nobis ostendat; sed cum nimis longum ac perdifficile esset censum texere omnium operum, quae de hoc praestantissimo argumento praesenti centuria exarata sunt, contenti erimus Europam et Americam leviter percurrere, hinc et illinc seligentes praecipuos scriptores, qui Juri Internationali exponendo ac propagando sedulam curam impenderunt.

Quod ad Europam attinet, speciali memoratu digni habentur: in Hispania Ferrater (1), Sanchez Cisneros (2), Corsini (3), Riquelme (4), Conceptio Arenal (5), Lopez Sanchez (6), Olivart (7), Negrin (8), Sanz de Mendiondo (9), Landa (10), Martinez de Monge (11), et Torres Campos (12); in Italia Mancini (13) et Fiore (14); in Austria Otodolman (15); in Germania Bluntschli (16);

---

(1) *Código de Derecho internacional.* Barcelona, 1846-47.
(2) *Instituciones del derecho público de la guerra.* Madrid, 1817.
(3) *Las leyes de la guerra según las tradiciones y los adelantos de la civilizacion.* Madrid, 1857.
(4) *Elementos de Derecho público internacional.* Mataró, 1875.
(5) *Ensayo sobre el Derecho de gentes.* Madrid, 1879.
(6) *Elementos de Derecho internacional público.* Madrid, 1866-77.
(7) *Manual de Derecho internacional público y privado.* Barcelona, 1886.
(8) *Tratado de Derecho internacional marítimo.* Madrid, 1883.
(9) *Filosofía de la guerra.* Madrid, 1837.
(10) *El Derecho de la guerra conforme á la moral.* Pamplona, 1877.
(11) *La razon de la guerra.* 1879.
(12) *Elementos de Derecho Internacional Público.* Madrid, 1890.
(13) *Diritto internazionale.* Napoli, 1873.
(14) *Nouveau Droit international public, traduit de l'italien par Antoine.* París, 1885-86.
(15) *Derecho internacional moderno.*
(16) *Le Droit international codifié, traduit par Lardy.* París, 1886.

in Russia Bulmericus (1); in Gallia Ortolan (2) atque Morin (3); in Belgio Laurens (4); in Dania Leper (5), aliique multi in caeteris nationibus.

Quod vero ad Americam spectat, excellunt quoque praeclari scriptores, praesertim autem Calvo (6), Bello (7), Seijas (8), et Alcorta (9).

27. Priusquam ad rem internationalem pertractandam deveniamus consentaneum nobis videtur ordinem tradere in expositione hujus scientiae stricte servandum.

Ejusmodi tractatum, quem ad instar compendii subsidiarii vel brevis speciminis levissime evolvemus, in quatuor capita partiemur: in primo capite de *subjecto* Juris Internationalis seu de *personis juridicis* disseremus; in secundo capite de *objecto* Juris Internationalis, hoc est, de *rebus*, circa quas ipsum versatur, agemus; in tertio capite *obligationes* Juris Internationalis perpendemus, nempe *Foedera* et *Contractus*, quae equidem *causam efficientem* constituunt vinculi juridici essentialiter requisiti, ut Jus Gentium vere positivum habeatur; in postremo autem capite sermo fiet de *contentionibus internationalibus*, deque *mediis* quae apud Status suppetunt ad solvenda dubia, dirimendas quaestiones, urgendamque observantiam jurium atque officiorum, amicales et pacificas inter gentes relationes regulantium.

---

(1) *Teoria y Práctica del Derecho Internacional.*

(2) *Des moyens d'acquerir le domaine international.* París, 1851.

(3) *Les lois relatives á la guerre selon le Droit international moderne.* París, 1872.

(4) *Historia del Derecho de gentes.*

(5) *Derecho sobre los beligerantes.*

(6) *Derecho internacional teórico y práctico de Europa y América.* París, 1868.

(7) *Principios de Derecho internacional.* Madrid, 1883.

(8) *El Derecho internacional hispano-americano* (público y privado). Caracas, 1884 y siguientes.

(9) *Curso de Derecho internacional público.* Buenos Aires, 1887.

CAPUT I.

SUBJECTUM JURIS INTERNATIONALIS

ARTICULUS I.

SUMMARIUM.

28. Subjectum seu personae juridicae Juris Internationalis —29. Conceptus *Nationis.*—30. Notio *Status.*—31. Discrimen inter Nationem atque Statum.—32. Principium *nationalitatis.*—33. Diversae sententiae circa elementa constitutiva nationis.—34. Personalitas Statuum.—35. Classificatio Statuum.

28. Subjectum seu personae Juris Internationalis denominantur Status vel Nationes, quatenus membra sunt consociationis aut communitatis ethnarchicae; etenim quilibet Status vera capacitate praeditus est, quae in ordine relationum internationalium recte comparari potest capacitati, qua gaudent individua in suis privatis relationibus.

Status tamquam subjectum Juris internationalis unam eamdemque personam constituunt cum subjecto proprio Juris Politici, quia Jus positivum Gentium constitutionem internam Statuum, diversam regiminis formam, vel peculiares institutiones politicas directe ac primario haud spectat, sed notionem, existentiam atque

organizationem Status tantum complectitur: hinc sub Jure Internationali Publico cadunt tum imperia, regna vel reipublicae, tum monarchiae, oligarchiae, aristocratiae, democratiae vel quodcumque aliud regimen mixtum.

Solum Status, qui hanc denominationem, juxta conceptum realem ac formalem hujus vocis postea tradendum, vere ac proprie merentur, subjectum esse possunt Juris Internationalis: hinc excludi debent societas familiaris, municipia, conventus provinciales, coetus regionales vel quaelibet aliae adsociationes subalternatae, quocumque nomine vocentur.

Demum Status, ut spectari valeant ceu membra societatis internationalis, ac proinde Juri positivo Gentium subjaceant, necessum est conditionem civilitatis adimpleant: hinc sub aspectu juridico-internationali vel totali vel saltem completa personalitate carent gentes incultae, nationes barbarae, tribus nomadae vel populi sylvestres.

29. *Natio*, si vocis etymon spectes, a verbo latino *nascor* (nacer) procedit, ideoque relationem originis vel ideam communis nativitatis in mentem evocat; sin vero rem nomine significatam attendas, recte dici potest: ***Societas personarum quae vinculo stirpis, idiomatis, usuum, traditionum, religionis aliisve communibus characteribus conjunguntur, atque regionem determinatam vel diversa territoria obtinent.***

Ex allata definitione tria elementa colliguntur, quae ad constituendam nationem necessario requiruntur, videlicet: aggrupatio hominum, communio originis, linguae, habituum caeterarumque conditionum, atque extensio territorialis, sive ejusmodi extensio in uno tantum territorio sita sit unico imperio (soberanía) subjecto, sive talis extensio per diversa territoria distinctae dominationi vel diversis Summis Imperantibus obnoxia constituatur; siquidem optime et esse et concipi potest

magna aggrupatio hominum, qui, quamvis communibus generis, linguae, consuetudinis ac religionis characteribus vinciantur, tamen dispersi habeantur per dissitas mundi plagas aut varia territoria, quibus regendis praeficiantur distinctae auctoritates supremae atque independentes.

30. Sub nomine autem *Status* passim intelligitur: *Agglomeratio permanens civium seu subditorum, territorium determinatum plus minusve amplum occupantium, sub regimine supremae auctoritatis, cui pleno jure competit gubernatio politica totius associationis, atque observantia defensioque Juris.*

Ex quo infertur tria etiam esse elementa constitutiva, quae notionem Status rite definiunt, nempe: aggrupatio subditorum, occupatio permanens territorii determitati, et plenum imperium (soberanía) in idem territorium.

31. Ex genuino Status ac Nationis conceptu superius delineato pronum est conjicere insuper quodnam discrimen inter utramque entitatem politicam atque juridicam personalitatem sit ponendum; differunt enim triplici potissimum de capite: 1.° Status exclusivum imperium exposcit; Natio autem suprematiam distinctarum auctoritatum importare valet; 2.° Status ex subditis constat, nulla habita ratione stirpis, sermonis, usuum, aliorumque elementorum id genus; Natio vero hominibus coalescit communi nexu originis, traditionum, habituum, indolis, similiumque characterum colligatis; 3.° Status conflatus est ex territorio specialiter definito, cujus limites efficiunt imperium illud jurisdictionem territorialem (*soberanía territorial*) vulgo nuncupatum; sed Natio in suo conceptu atque denominatione capit et complectitur plurima extensaque territoria, ex quibus emergunt vel exsurgere queunt varia imperia seu jurisdictiones locales (*soberanías territoriales*).

Natio proinde computari potest velut unitas natu-

ralis, Status vero ceu unitas artificialis; unde recte sequitur plures nationes constituere posse Statum unum, puta ex. gr. Austriam-Hungariam, atque vice-versa unam tantum nationem in plures Status desmembrari posse, uti Americam Latinam vel Peninsulam Ibericam.

32. Quamvis Historia nobis testatur ideam nationalitatis ad remotissima usque tempora assurgere, quippe compertum apud omnes habetur post invasionem Barbarorum et Romani Imperii dissolutionem plura regna in Occidente esse formata ex ipsis veteris Imperii ruinis, attamen principium *nationalitatis* in sensu quo nunc sumitur natio, ab initio saeculi XIX originem ducit, ortum equidem ex odio et animadversione Galliae erga Germaniam, atque a celebri jurista anglico Weaton (1) praecipue assertum et propalatum.

Ex tunc temporis plerique tractatores Juris Publici Internationalis in Gallia, Germania, Italia, etiamque in Helvetia, stabilire ac propugnare totis viribus nisi sunt sequentem theoriam, quam principium *nationalitatis* appellare solent: oportet unamquamque nationem unum ac distinctum Statum constituere, ita ut limites Statuum cum finibus Nationum conveniant, atque hoc pacto exsurgant et instituantur magnae hominum aggrupationes, quae, sicut communionem originis, linguae ac historiae habent, sic etiam eamdem constitutionem politicam obtineant, eodemque jure polleant.

Hujusmodi principium, quidquid blaterent ejus patrocinatores, et licet speculative videatur evolutioni ac firmitati Juris gentium favere, in praxi dificillimae applicationis semper erit; tum quia nonnullae nationes, veluti Turcica et Graeca, ita permixtae atque confusae apud aliquas orbis regiones existant, ut res prorsus im-

---

(1) *Elements du Droit international.* Leipzig, 1874.—*Histoire du progrès du Droit des gens*, 1864.

possibilis sit veram et perfectam separationem inter illas statuere, tum etiam quia limes territorialis duas finitimas Nationes disjungens haud semper duobus Statibus potest esse terminus adaequatus vel margo communis; tum denique quia magna viget discrepantia opinionum penes ipsos juristas, cum agitur in concreto de adsignandis elementis constitutivis nationis, uti numero sequenti videbimus.

33. Quatuor praecipuae theoriae conflctae sunt ad finiendum characterem peculiarem, quo nationes ad invicem distinguuntur, nimirum, Gallica, Germanica, Italica atque Helvetia, earumque assertores pro sua sententia corroboranda diversa rationum momenta allegare conantur.

Galli, mente ac scopo suos fines usque ad Rhenum extendendi, fundamentum *naturale* ut plurimum invocare solent, autumantes limites naturales, velut mare, montes, colles, aliaque hujusmodi, esse censendos tamquam margines ab ipso Deo praestitutas intuitu nationes sejungendi.

Germani rationem *etnograficam* primum attulere, contendentes ejusmodi distinctivum a communione stirpis (de razas) esse repetendum, ut ita inter Germanos recenserentur Alsatiani, Lotharingi, multique etiam Helvetii et Belgae: huic primevae expositioni theoriae germanicae ultro adstipulati sunt Russi et Itali, illi propter panslavismum, hoc est, ob suum systema universalis dominationis in Slavos, isti vero ad unitatem nationalem citius assequendam. Sed cum haec regula nec facile nec tuto ad optatam metam duceret, quia vix aut ne vix quidem inveniri poterunt gentes purae originis (de raza pura), Germani ad *philologiam* sese confugerunt, affirmantes denuo notam characteristicam nationum esse reponendam in assimilatione stirpium sanguinis mixti primigeniae stirpi quoad qualitates physicas ac morales, quae quidem assimilatio recte conji-

citur ex usu atque adoptione ejusdem linguae. Denique cum haec nova theoriae evolutio Germaniam aliosque Status de injustitia et aperta laesione erga libertatem et independentiam infelicis Poloniae plene argueret, defensores hujus sententiae ad *ethologiam* appellarunt, effutientes vim cohaesionis inter gentes, ut nationem constituere possint, sitam esse in eo quod dictitant *conscientiam communis culturae*, id est, in quodam sensu solidaritatis ex eadem cultura profectum, vi cujus populi in unam politicam aggrupationem tendunt, eidemque Juri sese subjiciunt.

Apud Italos duplex placitum viget, Mancini atque Mamiani, licet tandem theoria manciniana praevaluit: celeberrimus patronus theoriae nationalitatum sententiam *ecclecticam*, ut ita dicam, proposuit ac propugnavit; juxta Mancini, nationalitates habendae sunt uti effectus necessarius vel consectarium legitime deductum ex fusione seu combinatione omnium elementorum, originis, idiomatis, territorii, historiae, etc.; ita ut nationes organismum naturale, historicum vere constituant, utpote a Natura genitae ob communionem stirpis, territorii et linguae, simulque ab Historia formatae ob identitatem usuum, traditionum, habituum, indolis, aliorumque elementorum hujus generis: hinc, hisce characteribus concurrentibus, nota differentialis nationum in unitate morali communis cogitationis diversas gentes pervadentis ponenda est. Adversus Mancini Mamiani probare aggressus est elementum reale atque juridicum nationis esse potissime gentium consensum seu voluntatem populorum in efformanda natione et libero gubernio sibi eligendo: istiusmodi theoriam libenter amplexati sunt scriptores americani; attamen, cum post bellum secessionis inter Status Septentrionis et Austri politici et juristae Unionis Americanae sibi contradixissent, opinio Mamiani gravissimum vulnus subiit.

Postremo, tractatores et jurisconsulti Helvetiae, cum

nationalitatem in communibus elementis stirpis, linguae etiamque culturae, quae omnia apud illam Foederationem unitate atque identitate carent, fundare nequirent, amore nationali ducti suisque institutionibus suffulti blaterare ausi sunt differentiam nationalitatum esse sumendam ex distincta civilitate morali seu ex diversa gradatione cognitionis et observantiae legis moralis.

34. Status tamquam subjectum Juris Internationalis quadruplici personalitate gaudent, scilicet, juridica, physica, politica et morali.

Ratione personalitatis *juridicae*, Status sunt verae et praestantissimae entitates, quae ad instar *personae* non modo juribus determinatis pollent, verum etiam nova jura acquirere, exercere ac retinere, necnon diversas obligationes juridicas contrahere valent.

Ratione personalitatis *physicae*, Status veluti membra societatis internationalis jus proprium atque insitum obtinent servandi et tutandi suam existentiam, integritatem ac independentiam, quin nulli aliae nationi licitum sit contra eorum vitam, conservationem vel autonomiam attentare, nisi necessitas imperiosa propriam salutem tuendi in casu particulari illud postulaverit.

Ratione personalitatis *politicae*, Status optime ac libere exercere possunt omnia jura generalia et specialia, quae in sua constitutione reperiuntur sancita, etiamque custodire atque vindicare peculiares institutiones in suum organismum inductas, dummodo ejusmodi jurium exercitium atque institutionum politicarum servatio ac tutela limites justitiae et aequitatis minime transgrediantur, neque conflictus inter alias nationes gignere queant.

Rationi personalitatis *moralis*, Status, sicut cives ex quibus conflantur, capacitate ac libertate fruuntur, ideoque respondere tenentur de factis nocumentum aliis Statibus vel privatis exteris inferentibus, praeser-

tim in quatuor casibus: 1.° quoties ipse Status actionem damnificantem posuerit, etenim Jus Internationale ceu facta illicita aut veras laesiones habet quascumque injustas aggressiones contra caeteros Status vel contra jura fundamentalia personarum, quae sub eorum tutela et protectione positae sunt, maxime vero contra earumdem libertatem, honorem et proprietatem; 2.° cum officiales seu Status functionarii damnificatores exstiterint; 3.° si cives particulares Status intra ejus territorium ali Statui vel subditis exterae nationis detrimentum intulerint; 4.° quando demum Status negligens fuerit in damnis per suos functionarios aut cives illatis impediendis, vel imbecillis in sontibus convenienti rigore reprimendis.

35. Notissima et valde trita apud omnes est divisio Statuum in *supremos* (soberanos), *semi-supremos* (semisoberanos), *tributarios, protectos, simplices* ac *compositos: supremi* dicuntur qui pleno imperio et absoluta independentia tam in ordine exteriori quam in ordine interiori gaudent (diversa imperia et regna independentia Europae); *semi-supremi* vocantur qui imperio interno seu autonomia (soberanía interna) ut plurimum pollent, sed imperio externo aut independentia (soberanía externa) carent, eo quod in ordine internationali exterae potentiae subjaceant (Aegyptus qui Imperio Sublimis Portae subest); *tributarii* nominantur qui in testimonium submissionis atque dependentiae ab alio superiori Statu eidem tributum solvere tenentur (olim Rhumania et Servia nuper emancipatae, hodie adhuc Bulgaria Turchiae tributaria); *protecti* appellantur illi Status qui sub tutela et protectione aliarum nationum praepotentium positi habentur (quondam insulae Archipielagi Jonici ab Anglia protectae usque ad annum 1864, quo Greciae adnexae sunt; hodiedum Respublica Udurensis—Valle de Andorra—sub protectoratu Hispaniae et Galliae constituta, etiamque Principatus Mo-

noecensis—de Mónaco—qui ex protectione Italiae in protectoratum Galliae transiit); *simplices* nuncupantur qui nullo speciali vinculo aliis Statibus connectuntur, sed organismum politicum completum efficiunt, suprematia tum interna tum externa praeditum (Hispania, Gallia, aliique plurimi Status); *compositi* denique denominantur qui ex agglomeratione Statuum communibus institutionibus vel potestate superiori atque centrali inter se colligatorum exsurgunt.

Status triplici modo compositi esse possunt, per Unionem, Confoederationem et Foederationem: *Unio* in personalem atque realem distingui solet; *personalis* est aggrupatio duorum vel plurium Statuum sub uno Monarcha aut Summo Imperante, servata tamen uniuscujusque Status libertate ac independentia, uti conjunctio Hispaniae et Germaniae in persona Caroli V saeculo XVI, necnon Suediae ac Noruegiae nostris diebus; *realis* autem recte dici valet fusio Statuum in novam nationalitatem, amissa proinde autonomia et independentia singulorum Statuum; hujus fusurae vel permixtionis complurima exempla nobis praebet Historia; apposite itaque adduci queunt conjunctio Visigothorum, Hispanorum ac Romanorum postrema epocha dominationis gothicae, copulatio variorum regnorum Hispaniae saeculo XV sub Catholicis Regibus facta, et recentiori aetate coagmentatio diversorum Statuum Imperium Austriacum constituentium.

Confoederatio passim subaudit: Conjunctio plurium Statuum, qui pro moderandis atque solvendis negotiis communibus, mutua pactione inita, institutioni generali, ut plurimum Coetui vel Diaetae, sese subjiciunt, salva semper manente in caeteris suprematia interna et externa uniuscujusque Status confoederati; in praesentiarum nullum specimen hujuscemodi conjunctionis citari potest; attamen duo praestantissima exempla desumi valent ex antiqua Confoederatione Germanica,

quae quidem anno 1871, constituto Imperio Germanico foederativo sub directione Regis Borussiae, prorsus cessavit, etiamque ex veteri Confoederatione Helvetica, quae tandem in Foederationem desiit.

Foederatio communiter definitur: Agglomeratio plurium Statuum, qui suam autonomiam quoad ordinem interiorem retinentes, pro negotiis communibus et relationibus internationalibus vi constitutionis *foederalis* Statui centrali potestatem conferunt; praeclariora foederationis exempla habentur quoad Europam in Republica Helvetiae, quoad vero Americam in Statibus Unionis.

ARTICULUS II.

Summarium.

36. Subjectum *activum*.—37. Jura Statuum.—38. Jus *existentiae*: Recognitio internationalis.—39. Jus *conservationis*.—40. Modificationes Statuum, earumque effectus.—41. Jus *aequalitatis*.—42. Notio aequalitatis. –43. Dignitas, tituli ac praelationes Statuum.

36. Sub denominatione subjecti *activi* sermone juridico-internationali veniunt Status ceu creditores inspecti, hoc est, quatenus reclamare possunt fidelem adimpletionem obligationum internationalium, rectamque observantiam jurium, quae ipsis competunt tamquam membra seu partes constituentes societatis internationalis; unde necesse est primum tradatur notio et classificatio jurium.

37. Jura Statuum nuncupantur: ***essentialia attributa seu legitimae facultates quae vi legis naturalis, vel positivae, vel utriusque Statibus competunt ad aliquid faciendum, omittendum aut praestandum.***

Quinque vero praecipua jura enumerantur Statibus adscribenda, quae singulare studium sedulamque expositionem merentur, videlicet: jus *existentiae*, jus *conser-*

vationis, jus *aequalitatis*, jus *autonomiae* atque jus *independentiae*. De his omnibus etsi leviter nonnihil dicemus.

38. Jus *existentiae* idem est ac facultas vivendi qua gaudent Status sicut individua; origo, evolutio, organizatio interna et politicae Statuum modificationes ad jus publicum internum proprie attinent; Jus enim Internationale Status jam existentes et constitutos supponit, eique proinde tantum competit principia circa recognitionem tradere.

Recognitio dicitur actus quo novus Status in societatem internationalem cooptatur; positio hujus actus vel notae extrinsecae, qua in ordine internationali declaratur atque dignoscitur existentia juridica nationum, habenda est simul ceu jus et officium tum Statibus de novo ortis tum communitati internationali eos agnoscenti. Tria hac super re distinguere oportet, nempe, necessitatem recognitionis, ejusdem species atque praecipua requisita.

1.° Necessaria est recognitio: a) cum ab aliqua natione segregatur pars territorii et exsurgit novus Status independens; b) quoties variae provinciae in unum Statum coalescunt; c) quando quilibet Monarcha seu Summus Imperans novo titulo insignitur.

2.° Recognitio potest esse: a) *perfecta* ceu plena, *imperfecta* aut semi-plena et *naturalis*, prout agatur de populis cultis, barbaris vel agrestibus, juxta tritam divisionem humanitatis a Lorimer factam aliasque traditam in gentes cultas, semicultas atque incultas; b) *formalis* vel *virtualis*, quatenus recognitio per actus publicos atque explicita declaratione fiat, vel tantum modo implicito, veluti Consules recipiendo, relationes regulares aut pacta ineundo; c) *individualis* vel *collectiva*, si novus Status, ab uno solummodo vel a cunctis membris communitatis internationalis agnoscatur.

3.° Ad recognitionem impertiendam, hoc est, ut aliquis Status noviter creatus in sinum societatis inter-

nationalis ingrediatur, quaedam conditiones necessario requiruntur: [a]) ut reapse existat Status triplici elemento essentiali conflatum, nimirum, personali, reali et formali, seu aggrupatione hominum, territorio determinato atque suprema auctoritate sociali; [b]) ut *factum* tantummodo agnoscatur, nempe existentia novi Status, sive ex expugnatione, sive ex sejunctione, sive ex quacumque alia causa ortum duxerit, quin tamen praejudicetur *jus*, id est, quin recognitio secum importet legitimitatem mediorum, quibus usus est Status ad sese constituendum; [c]) ut declaratio agnitionis tempore opportuno fiat, scilicet, cum jam finitae sint contentiones, ex quibus pendet origo atque formatio Status jura internationalia invocantis; ex defectu hujus conditionis aestimata est apud diplomaticos anti-juridica agendi ratio Galliae, cum independentiae Unionis Americanae assentita est, nondum soluta controversia inter Status Foederationis et Angliam vigente; [d]) ut praefata recognitio a competenti auctoritate proficiscatur, videlicet, a societate internationali, cui tantum incumbit admissionem decernere, et ita novum Statum firmitate juridica apud caeteras gentes munire.

39. Praeter jus existentiae, Status veluti individua facultate pollent propriam vitam tuendi atque *asservandi*, ideoque ipsis integrum erit removere omnia pericula, vitare quoscumque impetus, necnon repellere exteriores invasiones, quae eorum existentiam ac conservationem laedere vel in discrimen evidens aut imminens vertere possint: hinc in sui tutelam et securitatem optimo jure exercitus terrestres et maritimos organizare ac retinere valent, arces et castra erigere, munitiones atque propugnacula construere, foedera offensiva et defensiva inire, summatim, cuncta media consentanea, efficacia, et necessario tutamini rectaeque custodiae adaequata adhibere, dummodo impleantur conditiones, quas Jus Naturale ad legitimam defensio-

nem praescribit, simulque sarta tectaque servetur independentia caeterorum Statuum.

40. Cum jure conservationis intime connectuntur vicissitudines ac modificationes ad constitutionem internam vel organizationem territorialem Statuum spectantes, et ut plurimum efectus juridico-internationales producentes. Transformationes politicas, quae constitutionem internam Statuum respiciunt, silentio praeterimus, quia, licet organizatio politica Status sit conditio essentialis ejusdem existentiae tamquam personae internationalis, et quamvis etiam politicae perturbationes interdum ipsum Jus Internationale afficere possint, tamen generaliter loquendo hujusmodi quaestiones potius ad jus publicum internum pertinent: sed non possumus quin aliquid delibemus de modificationibus territorialibus, quippe quae variationes limitum passim importare solent, necnon relationes regulares gentium deturbare aut infringere queunt.

Jam vero, mutationes territoriales ex triplici capite dimanare valent: 1.° ex amissione totali territorii per mortem juridicam aut extinctionem alicujus Status; 2.° ex amissione partiali seu imminutione territorii per segregationem nonnullarum provinciarum vel possessionum; 3.° ex auctione territorii per adnexionem novarum ditionum: videamus igitur praecipuos effectus juridicos qui ex hac triplici territoriali modificatione sequuntur.

1.° *Amissio totalis* territorii originem praebet morti unius Status atque alterius successioni, adestque inter utrumque eadem correlatio ac inter defunctum et haeredem: hinc Status vita functus non modo personalitate internationali privatur, quia desinit esse membrum societatis communis gentium, verum etiam personalitate propria et juridica exspoliatur, quia expirant comitia, tribunalia, constitutio politica et interna organizatio, unaque cessant pacta et conventiones, ni-

si in detrimentum tertii vergant; Status autem haeres (vel haeredes si fuerint plures) demortuo succedit in omnibus ejus juribus ac obligationibus, sua facit bona ad dominium publicum spectantia, cunctaque debita tum activa tum passiva suscipit, quoniam, cum agitur de Jure Internationali, non datur successio ex bonorum recensione *(á beneficio de inventario)*.

2.° *Amissio partialis* seu imminutio territorii per segregationem alicujus regionis vel nonnullarum provinciarum, infelici exitui belli externi aut interni ut plurimum debitam, non aufert Statui diviso suam personalitatem internationalem neque juridicam; etenim apud gentes omnia jura suprematiae inhaerentia retinet, atque in ordine interiori vero imperio (soberanía) potitur; quin immo ipsum exonerat ab obligationibus internationalibus, quae provinciae vel regionibus sejunctis specialiter incumbunt, necnon eximere solet a quadam parte proportionali debitorum, quae ad provincias vel dominia segregata, ideoque ad novum Statum jure meritoque transire debent.

3.° Demum augmentum territorii per *adnexionem* aliarum ditionum juridicam correlationem importat, cum simul concurrat auctio territorialis ex alia parte, ex alia vero diminutio: unde Status accrescens acceptare tenetur jura et obligationes, quae ad dominia aggregata pertinent, maxime autem eorum debita; et vicissim regiones vel provinciae annexae participare debent commodis atque oneribus Status adnectentis.

41. Jus *aequalitatis* vocatur facultas quae Statibus inest fruendi in Jure gentium et coram societate internationali eadem consideratione, reverentia et obsequio.

Enimvero, sicut singuli homines personae dignitate gaudent, et aequales omnino sunt inter se quoad jura innata; ita etiam magnae aggrupationes morales vel corpora politica, quae Status nuncupantur, mutua in-

dependentia, propriaque personalitate pollent, atque vicissim aequiparantur relate ad jura essentialia, quae ex hac personalitate enascuntur, quin ullum discrimen hoc in sensu inter Status admitti queat ratione majoris numeri sociorum, vel propter potentiae amplitudinem aut copiam divitiarum: "ut enim, apposite inquit praelaudatus Liberatore, pusillus homo et fere omnium egenus aut imbellis viribus, non minus homo est, quam dives et ingenio acutiore aut validiore corpore utens; sic respublica, utcumque angustis conclusa limitibus aut rerum penuria laborans aut cultura rudiore praedita, aequalia jura sibi vindicat ac regnum utcumque potens et vastum et majore gradu cultus civilis ornatum" (1).

Quamvis vero ejusmodi principia *especulative* certitudinem obtineant, atque *juridice* apud cunctas gentes recipiantur, nihilominus *practice* ac *politice* nationes recentiori aetate eadem conculcare vel parvipendere consuescunt; hinc decantatae aequalitati gentium directe repugnat: [a]) divisio Statuum in Potentias primi, secundi et tertii ordinis juxta majorem vel minorem culturam vel territorialem extensionem, quod quidem memoratum principium prorsus evertit, cum Potentiae quae primi ordinis dicuntur, jus exclusivum sibi arrogant non solum judicandi ac dirimendi suas internationales quaestiones, verum etiam negotia aliorum Statuum pro suo lubitu moderandi et componendi; [b]) distinctio sat frequens inter magnas et parvas nationes seu inter Status majores et minores, in Jure Internationali plane inamissibilis ideoque rejicienda; [c]) arbitraria et anomala constitutio Congressuum internationalium, uti celebratio Vienensis (1815) et Berolinensis (1878), ex quibus expuncti sunt agentes personam Statuum, quorum dire-

---

(1) Oper. et loc. cit.

cte intererat solutio quaestionum agendarum; d) declaratio belli ceu medium coercitionis, proclamata primum a Grotio ac deinde per plures Juris Internationalis peritos propugnata, ita ut Status laesus, vices judicis et partis simul gerens, Statum laedentem per se judicare atque punire valeat, quo certe aequalitas violatur.

42. Ut germanus aequalitatis conceptus attingatur et rite definiatur, praemonendum est ipsam utpote ex eadem natura fluentem versari tantum circa jura fundamentalia, quae ab essentia societatis civilis vel Status dimanant, quippe eumdem habent titulum idemque fulcimentum, nimirum, naturam hominis ac politicae consociationis factum; sin vero de juribus accidentalibus agatur, quae nempe facto aliquo humano nituntur, possunt singuli Status discriminari inter se, et licet aequales dici queant in hoc tantum sensu, quatenus aeque reverentiam et observantiam ab aliis deposcunt, tamen ejusmodi essentialis atque juridica aequalitas recte componi valet cum quibusdam differentiis accessoriis et secundariis.

Et sane sub hoc respectu triplex differentiarum genus inter Status adesse potest: differentiae *physicae,* quoniam nonnulli Status mediis naturalibus carent ad quaedam jura exercenda, velut Helvetia quae ob defectum marium jus maritimum internationale exerere nequit, etsi aliquando attentaverit; differentiae *morales,* quia non omnes gentes eamdem aptitudinem pro exercitio juris habent, neque eumdem civilitatis gradum sortitae sunt in ordine internationali, ut populi barbari atque agrestes, qui profecto observantiae jurium et adimpletioni obligationum respondere nequeunt eadem securitate ac nationes cultae; differentiae *categoricae,* quae quidem logice exsurgunt ex majori dominatione, numerosis incolis, ingentibus divitiis, aliisque externis adjunctis, divisioni Statuum in varias classes ansam

necessariam praebentibus, unde originem ducunt dignitas, tituli ac praelationes Nationum.

43. In differentia *categorica* Statuum tria distinguere oportet, videlicet, dignitatem (rango), titulum et praelationem (preferencia): *dignitas* nihil aliud est nisi expressio externa praestantiae politicae seu imperii uniuscujusque Status; exinde procedit distinctio nationum in Status *imperiales, regales* (quibus accensendae Reipublicae, quia dignitas categoriam afficit, haud vero formam regiminis respicit) et *non regales*. Status regii et imperiales sequentibus praerogativis ornantur: titulo majestatico, peculiari scuto armorum, speciali ac solemniori caerimoniali, necnon jure legatos seu agentes diplomaticos primi ordinis mittendi.

Titulus est quaedam tessera vel nota extrinseca, quam omnes Status praeseferunt, Summique eorumdem Imperantes ostendere solent, quoties agitur de subscriptione Conventionum, adsistentia ad Congressus vel aliis actibus internationalibus. Olim recognitio novi tituli aegre obtinebatur; hodiedum autem facile acceptatur, si novus titulus dignitati et conditioni internationali Status cohaereat; ita cernimus titulum Imperatricis Indiarum recenti epocha Reginae Angliae tributum, atque recentiorem adhuc transformationem Principatuum Rhumaniae ac Serviae in regna cito per diversas nationes agnita fuisse. Hac super re recenseri merentur religiosi tituli quibus nonnulli Europae Monarchae a Romanis Pontificibus insigniti fuere in remunerationem singularis adhaesionis erga Sanctam Sedem vel defensionis Ecclesiae; sic Rex Hispaniae vocatur rex *catholicus*, Rex Galliae *christianissimus* nuncupabatur, Rex Angliae *defensor fidei* dicebatur, Rex Portugalliae *fidelissimus* nominatur, atque Imperator Austriae utpote Rex Hungariae *majestas apostolica* appellatur.

Praelatio dicitur jus praecedendi juxta consuetudinem vel regulas internationales Statibus eorumque

personam agentibus competens, cum in Congressus coeunt, seu pacta, protocolla aut quaecumque alia acta subscribere tenentur. Usus communiter receptus sequentem ordinem induxit: catholicae nationes Summo Pontifici praeeminentiam tribuunt, quamvis observantia hujus consuetudinis Russiam ditionesque protestantes obstringere nequit; apud Status independentes primum locum obtinent nationes supremae honore imperiali vel regio decoratae, uti Imperia, Regna, magni Ducatus et potentiores Reipublicae, nempe, Galliae, Helvetiae et Unionis Americanae; deinde veniunt Status semi-supremi, tributarii et protecti, qui omnes Potentiam, a qua pendent, semper subsequi debent.

Demum conflictus antecessionis et quaestiones ritualitatis, quae ratione dignitatis inter Status oriri queunt, juxta morem communiter receptum, sorte, ordine alphabetico vel alternatione *(alternado)* solvuntur, vi cujus Potentiae obsignantes *(signatarias)* exemplaria pactionum seu actorum alternatim subscribunt.

ARTICULUS III.

SUMMARIUM.

44. Jus *autonomiae.*—45. Jus *independentiae.*—46. Interventio.—47. Judicium criticum circa evulgatum et perniciosum principium de *non-interventu.*—48. Quaenam sententia hac super re praeponenda sit.

44. Jus *autonomiae* seu imperii interni (soberanía interior) vocari assolet facultas Statibus competens seipsos gubernandi, propriam organizationem statuendi, suumque organismum socialem asservandi.

Ex hac definitione colligitur Status vi hujus suprematiae internae seu autonomiae pleno jure pollere: a) determinandi suam internam Constitutionem seu formam regiminis; quilibet enim Status perfectum domi-

nium habet suorum actuum ac deliberationum, et quaecumque extera interventio in hoc rerum ordine prorsus esset attentare contra libertatem et independentiam nationum; [b]) condendi suam legislationem vel Codices, quoniam pro ferendo jure nemo alius melius ac proprius cognoscere valet usus et consuetudines, aptitudinem et indolem, qualitates physicas et morales alicujus populi vel gentis, quam ipse Status publico regimini praepositus; [c]) moderandi Administrationem justitiae, quandoquidem cuique Statui liberum est sua tribunalia instituere atque organizare ad jus restaurandum et constabiliendum.

Hujusmodi autonomia pro regimine ac internis negotiis fruuntur non modo Status *simplices* qui supremi appellantur, sed etiam plerumque illi qui semi-supremi, tributarii et protecti cognominantur; atque inter *compositos* non tantum confoederati, verum quoque Status foederati, qui, etsi relationibus directis cum exteris gentibus per pactum foederis renuntiarint, uti Status Unionis Americanae, nihilominus facultatem sibi retinent moderandi ac dirimendi sua interiora negotia vel quaestiones.

45. Jus *independentiae* seu externi imperii (soberanía externa) nuncupatur potestas, qua funguntur Status non solum intra territorium nationale jura sua exercendi, verum etiam actus libere exsequendi in ordine exteriori, unaque removendi quaecumque obstacula libertatem actionis, communicationis vel pactionis cum caeteris gentibus praepedientia.

Exinde pronum est inferre praecipua independentiae externae Statuum attributa esse: [a]) consuetudinem cum reliquis populis gerere ad instinctum naturalem socialitatis explendum, ita ut, si quae exstiterint gentes, veluti olim Sinenses, renuentes mutuas cum exteris nationibus relationes, contra apertam Juris Naturalis et Internationalis prohibitionem agerent; [b]) legatio-

nes instituere seu jus agentes diplomaticos mittendi; [c]) pacta celebrare seu jus conventiones et contractus ineundi pro supplendo defectu auctoritatis supremae internationalis quaestiones Statuum dirimentis; [d]) jus indicendi bellum pacemque concludendi; [e]) jus neutralitatis ex ipso bello exortum, vi cujus Status a quocumque auxilio belligerantibus praestando abstinent.

Praedictae libertates omnino desiderantur ad veram et perfectam independentiam constituendam; adeoque gentes quae hisce attributis carent, cujusmodi habentur Status semi-supremi, tributarii vel protecti, suprematia proprie dicta gaudere nequeunt, siquidem dependentia et nationalitas inter se pugnant, et quaelibet servitus internationalis censenda est aperta juris violatio, genuinum Status conceptum prorsus evertens.

Attamen libertas Statuum penitus absoluta nec esse nec concipi potest, sed quibusdam limitibus obnoxia esse debet, quia quemadmodum individua libertate morali abuti valent, ita etiam nationes libertatem politicam perperam intelligere vel injuste exerere queunt: eapropter pertractare hoc loco cogimur de praecipua limitatione libertati gentium apposita, nempe de celeberrima theoria *interventionis*, ejusque recta interpretatione.

46. Sub nomine *interventionis* denotatur *interpositio violenta seu invasio unius vel plurium Statuum in res interiores aut externa negotia alius vel aliorum Statuum.* Dicitur in definitione immixtio seu *violenta interpositio* ad secernendam interventionem a *mediatione*, quae equidem etiam in interventu posita est, sed amicali, voluntario, rogatu partium contendentium, minime autem contra voluntatem saltem unius partis dissidentis.

Interventio tribui solet: 1.° in *pacificam* et *armatam*, prout vi morali vel physica interponatur; 2.° in *individualem* et *collectivam*, prout ab una tantum vel pluribus nationibus exerceatur; 3.° in *officialem* et *officiosam*,

prout per solemnia documenta diplomatica vel per gestiones privatas fiat.

47. Circa interventionem quatuor sententias distinguere oportet: 1.° alii cum Wolfio, Mancini, Monroe (1) et haud paucis recentioribus diplomaticis absolute adstruunt principium de *non-interventu*; 2.° alii, ducibus Sormier atque nonnullis scriptoribus britannis, tamquam regulam generalem et juridicum criterium proclamant principium interventionis; 3.° alii vero Savigny, Plumber, Calvo, Pradier, Fiore, Liberatore, plerosque philosophos ac tractatores Juris sequentes necessitatem interventionis tuentur, non equidem ceu normam universalem, sed uti exceptionem ad casus concretos et particulares applicandam ex amore internationali, hoc est, tamquam officium *imperfectum*; 4.° quidam demum cum Mendizabal (2) aliisque juristis,

---

(1) Principium de *non-interventu* quoad Americam proclamatum fuit ab hoc celebri Praeside magnae Reipublicae Septentrionalis in solemni mandato (mensaje) anni 1823, in quo continetur notissima formula—*America americanis*—; ex tunc temporis Status Unionis constitusunt protectores caeterarum Reipublicarum Americae Latinae, quae ejusmodi interventionem sub praetenso protectoratus nomine respuunt, veluti quemlibet alium interventum Europae in suis actibus.

(2) En quomodo loquitur L. Mendizabal Professor Vallisoletanus in suo praeclaro opere de *Jure Naturali*: «Quizás parezca peligroso sancionar el deber de impedir los actos de tiranía y los desórdenes sociales, ó se crea erróneo convertir lo que es de pura caridad en obligación jurídica; pero con las restricciones indicadas al formular el deber correspondiente, se justifica no tan solo el derecho para evitar el mal, sino el deber que la fraternidad universal determina en semejante caso.

De lo expuesto deducimos que la intervención, ó sea «la ingerencia de unos Estados en los asuntos de otros», si tiene lugar con justa causa, áun en provecho exclusivo de la sociedad, en cuyo favor se interviene, es un acto justo derivado del amor internacional; y puede ser obligatorio cuando sea:

I. Posible intervenir sin temer daños graves ó mayores de los que fundadamente se considere han de originarse á la sociedad que interviene en el caso de que se abstenga de toda ingerencia.

II. Eficaz la intervención.

No es preciso determinar las causas justas de intervenir, una vez señalado el principio; únicamente añadiremos, que todo acto debe pro-

quibus ultro adstipulamur, contendunt interventionem in casibus particularibus, justa causa intercedente ac certis conditionibus positis, spectari posse velut obligationem *juridicam* seu officium *perfectum* et positivum Statuum.

Primam sententiam plane rejicimus: [a]) quia rectae rationi adversatur; inter alios enim egregius philosophus Matthaeus Liberatore decantatum de *non-interventu* principium, per gubernia et rei politicae peritos hodiedum sancitum veluti effatum juridicum atque fundamentalem regulam nationibus in suis mutuis relationibus applicandam, ita nuncupat: "ineptum illud principium de *non-interventu*, quod nonnulli juris naturalis corruptores, invita natura, obstrudere satagunt. Hujusmodi principium, rationi plane repugnans, damnatum est Pontificio oraculo" (1): [b]) quia testimonio historico contradicit; et sane Historia quamplurima interventionis exempla nobis exhibet ex aetate antiqua, media, nova et novissima, quae tantum insinuare sufficiat; aetate *antiqua* — interventiones Romae erga populos Orientis—; aetate *media*—frequentes interventiones Romanorum Pontificum in gentes *Christianitatem* constituentes atque Imperatorum in Principes *feudatarios*—; aetate *nova*—interventiones sive ad bella religionis vel successionis finienda, sive ad aequilibrium politicum asservandum, sive ad institutiones traditionales atque Principum legitimitatem vindicandam contra exitialia revolutionis principia, a Sacro Foedere *(Santa Alianza)* praesertim promotae—; aetate *novissima*—interventiones pro meliori reddenda conditione Christianorum Turchiae subditorum, pro restabiliendo dominio tempo-

---

porcionarse al fin, y no debiendo tener el Estado que interviene más propósito que restablecer el órden perturbado, sería injusto si procurase su beneficio particular ó hiciera más daño del que se proponía evitar.»

(1) *Institutiones Philosophicae*, tom. III, pars III, cap. I, art. I.

rali Sanctae Sedis, quo adeo inique exspoliati sunt nostris diebus B. Petri Successores, pro rebus Poloniae injuste componendis, siquidem haec postrema interventio Russiae, Prussiae ac Austriae, vere anti-juridica et damnabilis, ***ethnicidium*** proprie dictum perpetravit, vitam libertatemque nationi rite constitutae auferens—: [c]) quia ab Ecclesia reprobata est; etenim Summus Pontifex Pius IX Allocutione *Novos et ante* habita in Consistorio Secreto 28 Septembris 1860 aperte declaravit: "Abstinere non possumus quin, praeter alia, deploremus funestum ac perniciosum principium, quod vocant de *non-interventu,* a quibusdam Guberniis haud ita pridem, caeteris tolerantibus, proclamatum, et adhibitum etiam cum de injusta alicujus Gubernii contra aliud aggressione agatur: ita ut quaedam veluti impunitas ac licentia impetendi ac diripiendi aliena jura, proprietates ac ditiones ipsas, contra divinas humanasque leges sanciri videatur"; necnon in Syllabo sequentem propositionem, quae est LXII, improbavit: "Proclamandum est et observandum principium quod vocant de *non-interventu.*"

Secundam sententiam etiam propulsare cogimur duplici potissimum ratione: [a]) quia, semel admissa interventione tamquam norma juridica et regula universali, non modo laederetur, sed prorsus corrueret libertas et independentia Statuum; [b]) quia si ejusmodi theoria praevaleret, sequerentur frequentes et gravissimi abusus ex parte gentium, atque insuper patrarentur omnigenae iniquitates et atrociora crimina contra Jus Internationale, prout evidenter testatur historia vetus et recens.

Tertia opinio, licet communiter recepta, nobis videtur parum efficax et valde insufficiens ad tutandam constabiliendamque pacem, integritatem et Statuum independentiam in duobus casibus praecipue ac crebro hac de re obvenientibus, nempe, cum agitur de usur-

patione, exspoliatione, tyrannide vel alio quocumque facinore per nationem praepotentem et iniquam patrato (exempla infauste suppetunt nostra aetate), deinque quoties sermo est de subversione sociali ex politicis perturbationibus vel bellis intestinis ut plurimum profecta.

Et re quidem vera, omnes optime norunt officia *imperfecta*, benevolentia seu amore internationali mere fulcita, nec exigi neque impleri posse invitis Statibus, in quorum obsequium exercentur, ex quo recte consequerentur duo perniciosissima consectaria: [a]) nationes hac nefasta epocha *egoismi internationalis* prorsus abstinerent, atque, teste luctuosa et quotidiana experientia, impavide cernerent horrendum ac iniquum spectaculum tot usurpationum tamque immanium flagitiorum; [b]) populi ac gentes nostra recentiori aetate, qua juges et transcendentales perturbationes undique oriuntur, non solum ad invicem dividerentur et inter sese dilacerarentur, verum etiam in profundum ruinae ac dissolutionis abyssum penitus ruerent, uti ex historia coaetanea luculenter constat.

48. Quarta denique sententia, quae interventionem, justa causa accedente atque quibusdam conditionibus concurrentibus, tamquam officium *juridicum* ac *perfectum* existimat, nobis magis arridet solidiorque videtur triplici potissimum capite.

In primis enim, sarta tectaque servatur legitima libertas et suprema Statuum independentia; quandoquidem non adest nec praepotentia vel superioritas unius Status, neque depressio aut inferioritas alterius gentis; etenim natio quae, necessitate impellente, obligationem juridicam seu officium perfectum interveniendo adimplet, non extollitur supra alias, neque quemdam primatum aut suprematiam ostendit; atque vicissim Status qui interventionem acceptare tenetur, non amittit propriam independentiam, sed tantum suppletur in sua

deficientia vel corrigitur in ejus inordinatis actibus (1).

Deinde praesupponitur semper ad interventionem interponendam causa legitima et proportionata, videlicet, necessitas et justitia, quae ex nostra sententia in quinque praesertim casibus existere queunt; [a]) quoties agitur de restaurando Jure Naturali, cujus observantiae subjacent cuncti homines, populi ac gentes, veluti si aliquis Status restituere vellet servitutem; [b]) quando restabilire urget Jus Internationale Naturale, quia unus vel plures Status alteri nationi recte constitutae existentiam, libertatem, aequalitatem vel quodlibet aliud jus fundamentale detrectaret aut laederet; [c]) cum omnium Statuum interest servari atque custodiri Jus Internationale Positivum quoad ea capita, principia et resolutiones apud cunctas nationes in Conventionibus, Congressibus vel Collationibus communiter receptas; [d]) pro impediendis et corrigendis actibus tyrannidis atque oppressionis in subditos; [e]) ad tollendas vel removendas magnas perturbationes sociales, dummodo in his duobus postremis casibus facta abusiva auctoritatis politicae vel subversiva societatis sint gravia, permanentia, exteris gentibus notoria, necnon Status, ubi haec contingerent, mediis adaequatis careat ad abusus corrigendos vel ordinem socialem restabiliendum.

Denique assignantur debitae conditiones pro determinanda opportunitate atque finiendo modo interveniendi: [a]) ut non exsurgant ex interventu graviora vel majora damna illis, quae ex abstentione timeri pos-

---

(1) Apposite ad rem ait praelaudatus Mendizabal: «El punto de vista que hemos adoptado en el texto, nos parece el menos depresivo para la Soberanía de los Estados; porque considerando la intervención como un deber y justificándola por completo la necesidad y la justicia, no hay preponderancia reconocida, ni tampoco independencia violada; pues quien cumple una obligacion no es superior, y el que no tiene plenitud de medios ó conducta ordenada, no puede reclamar contra quien suple sus deficiencias ó rectifica sus actos desordenados». (*Elementos de Derecho Natural*).

sent; b) ut fiducia habeatur in efficacia interventionis; c) ut mensura servetur in exercitio interventionis, ita ut positio hujus actus internationalis in restaurationem ordinis, defensionem justitiae, bonum populorum, tutelam gentium et pacem socialem firmandam directe ducat, minime autem in proprium Status intervenientis commodum vel positivum caeterarum nationum detrimentum.

ARTICULUS IV.

SUMMARIUM.

49. Subjectum *passivum*.—50. Officia Statuum.—51. Praecipuae divisiones.—52. Officia *negativa*.—53. Recta eorumdem expositio.—54. Officia *positiva*.—55. Officia *imperfecta*.—56. Quaenam praesertim recenseri mereantur.—57. Utrum Status tamquam personae juridicae societatis internationalis semper respondere teneantur de damnis nationibus vel alienigenis illatis.

49. Nomine subjecti *passivi* designantur Status veluti debitores spectati, hoc est, quatenus praestare obstringuntur quaedam determinata *officia*, necnon agnoscere ac revereri tenentur tamquam sacra et inviolabilia jura propria et fundamentalia, quae caeteris gentibus communitatem internationalem constituentibus ex ipsa natura competunt.

50. Officia Statuum definiri queunt: *obligationes morales vel juridicae aliquid faciendi, omittendi aut praestandi, quae Statibus incumbunt sive jure naturali, sive jure positivo, sive jure naturali-positivo.*

Nos nos latet, uti animadvertit Vattel (1), eos qui potentia et viribus praestant, naturae vocibus et pactionum obligationi vix obtemperaturos, neque ab inferenda injuria esse abstinendos, quoties ad imbecilliores opprimendos certa spe utilitatis pelliciuntur: enimvero,

---

(1) *Le droit des gens.* thom. I, liv. II, chap. 1.

ipsimet nostris oculis quotidie conspicimus nationes, quae viribus praepollent, vix aut ne vix quidem intra proprii imperii limites contineri, sed aestu dilatandi sua dominia ductas in alieni direptionem devenire atque in abyssum omnis flagitii et injustitiae praecipites ruere; attamen consentaneum nobis videtur praecepta tradere, quae pro justitia internationali servanda et mutuis humanitatis officiis inter gentes adimplendis prae oculis haberi debent, quippe, quaecumque sint perniciosa nostrae aetatis exempla, utcumque fortiores cupiditatum stimuli atque frequentissima propriae utilitatis incitamenta, magni momenti esse ducimus semel ac iterum Principibus et Guberniis patefacere et inculcare aeterna et immutabilia principia, quae a naturali aequitate ac recto ordine praescribuntur, ut ita neoterici politici, justitiae conculcatores et legum internationalium violatores, vel a gravioribus injuriis inferendis arceantur, vel saltem communi gentium vituperatione atque contemptu puniantur.

51. Officia passim tribui solent: 1.° in *absoluta* et *hypothetica*; *absoluta* quae vi solius naturae, nullo posito facto, emergunt; *hypothetica* quae ex hypothesi alicujus facti enascuntur: 2.° *absoluta* subdividuntur in *perfecta* et *imperfecta*; dicuntur *perfecta* illa quorum praestatio titulo juridico innititur, et vi adhita exigi possunt: *imperfecta* vero illa quorum observatio motivo beneficentiae vel charitatis tantum fulcitur, et licet postulari queant, minime autem exigi valent: 3.° *perfecta* denuo partiri possunt in *negativa* et *positiva; negativa* appellantur quae prohibent ne alter alteri noceat, ideoque sita sunt in reverentia juribus alienis debita; *positiva* quae jubent ut aliis benefaciamus, atque idcirco in auxilio praebendo aut beneficentia erga alios praestanda consistunt.

52. In primis enim Status ad invicem devinciuntur arctissimo nexu officiorum, quae *negativa* vocantur;

etenim cum quaevis natio jura alterius colere debeat, ante omnia hoc praestare tenetur, ut nulli detrimentum inferat respectu eorum omnium quae ad caeteros Status utcumque attinent: hac de re societates civiles eadem regula mensurandae sunt ac individua; sicut enim quilibet homo seorsum inspectus neminem laedere debet quoad bona tum interna tum externa; ita etiam Status seu civiles societates ex hominibus coalescentes eidem legi, a Supremo omnium Creatore universo humano generi impositae, prorsus subjiciuntur.

Quatuor vero praecipua officia *negativa* recensentur:

I. Revereri existentiam aliorum Statuum, eorumque conservationi nullo pacto attentare (ejusmodi officium juribus *existentiae* ac *conservationis* supra memoratis respondet).

II. Nulli Statui impedire liberum suprematiae (soberanía) exercitium intra limites suae ditionis ac territorii, dummodo actus hostiles in alienigenas non exsequatur (hoc officium juri *autonomiae* cohaeret).

III. Nihil efficere quod legitimae evolutioni, vinculis juridicis vel externis relationibus caeterorum Statuum opponatur, nisi aliis nationibus directe aut indirecte dominari intendant (hujusmodi officium juri *independentiae* consonat.

IV. Permittere alienigenis intra fines proprii imperii et territorii quidquid absque detrimento civium et sine boni publici jactura aeque ac honeste exsequi possint, (congruit hoc officium juri *aequalitatis*.

53. Primum officium negativum mutui obsequii ac reverentiae ipso jure naturae fulcitur, prohibetque ne ullus Status alteri nationi liberae atque recte constitutae vitam, integritatem vel independentiam adimat, nisi aliquando bellum justum id pateretur; et sane, privare aliquem Statum sua independentia, ex qua ejus vita et conservatio pendent, idem esset ac duplex cri-

men ethnicidii et latrocinii internationalis perpetrare, quoniam amissio propriae existentiae et legitimae libertatis apud nationes secum importat mortem socialem et inicuam expoliationem. Quamobrem Status, Gubernia et Summi Imperantes, qui dilatandae dominationis cupiditate innocuas nationes debellant et propriae ditioni submittunt, optimo jure cognominari possunt *genticidae* et *latrones*, quamvis sua internationalia flagitia specioso praetextu rationis politicae vel gloriae militaris dissimulare vel obtegere conentur; apposite ad rem ajunt celebrem piratam Manicam ita festive ad Alexandrum Magnum alloquutum esse: "Ego qui naviculam piratam ago, praedo nominor; tu, qui idem facis magna classe, haberis Deus.„

Secundum officium colendi imperium (soberania interna) Statuum jure defensionis restringitur; nam, si quaevis natio bellicos apparatus machinaretur, foedera offensiva pacisceretur aut quoscumque alios actus perageret, ex quibus merito timeri posset grave periculum seu detrimentum societati internationali, licitum esset ipsam cogere ad imminutionem sui exercitus, irritationem pactorum, omissionemque cujuslibet hostilis ostensionis.

Tertium officium ad mutuam Statuum observantiam spectans praecipue versatur in tutanda independentia (soberanía externa) gentium, atque praescribit ut nulla natio in usu propriae libertatis impediatur quoad ea omnia, quae jus perfectum caeterarum gentium minime laedunt, simulque respondent, juxta naturalem aequitatem et pactiones habitas, relationibus tum internis tum externis populorum et consociationum, vero imperio et suprema auctoritate fruentium. Hinc proculdubio violaretur jus independentiae ac libertatis cujuslibet Status, si extranea gens interno ejusdem regimini illegitime se immisceret, aut suas cum aliis liberis nationibus relationes praepedire vel etiam mo-

derari vellet, aut sibi tribueret facultatem judicandi et dirimendi controversias obortas.

Quartum officium a singulis Statibus postulat ut alienigenis agnoscatur facultas ingrediendi ac residendi in territorio nationis, juribus civilibus fruendi, legum protectionem invocandi, agentes diplomaticos vel consulares habendi, qui nomine suae respectivae gentis negotia exteriora moderentur juraque suorum concivium tueantur, necnon libere circumnavigandi, servatis tamen legitimis restrictionibus, quae a naturali aequitate, defensione nationali vel publico bono Statuum littori finitimorum exquiruntur.

54. Praeter *negativa* officia exstant obligationes *positivae*, quarum observantia Status urget; ad tria autem revocari valent ejusmodi officia positiva, quibus gentes mutuo vinciuntur:

I. Reciproca agendi ratio quoad jura, commoda et obsequia, ita ut quilibet Status alteri nationi easdem facultates ac concessiones tribuat, quas ab ipsa recepit, unaque sedulo adimpleat omnes reverentiae atque observationis regulas ab amore internationali et comitate gentium praescriptas (hoc officium juri *aequalitatis* respondet).

II. Fidelis adimpletio cunctarum obligationum, quae ex pactis aliisve factis juridicis speciatim ac determinate originem ducere queant (consonum est ejusmodi officium juribus *autonomiae* atque *independentiae*, quarum vi unusquisque Status personae juridicae assimilatur capacitate, libertate ac responsabilitate instructae in ordine contrahendi, paciscendi vel sese obstringendi).

III. Mutua protectio pro tutela et integritate Statuum, corrigendo in quavis natione abusus auctoritatis, vel ordinem socialem restaurando, cum ob gravitatem, durationem et notorietatem factorum ex una parte, ex alia vero propter impotentiam, deficientiam

vel negligentiam publicae potestatis, necessaria fit interventio (istiusmodi officium juribus *existentiae et conservationis* convenit).

55. Hactenus de officiis justitiae, quae *perfecta* vocantur, egimus, modo de officiis beneficentiae *imperfectis* nuncupatis levissime disseremus.

Inficiari nequit nationes sicut individua lege naturae teneri, ideoque Status invicem praestare obligari ea omnia, quae singulos homines erga alios adigunt; ex quo fit eos, qui Respublicas moderantur, ita propriis civibus consulere debere, ut non obliviscantur dilectionis erga reliquas societates aut universum hominum genus; ipsi enim ethnici haec officia imperfecta ex amore internationali derivata palam agnoverunt, uti Princeps oratorum Tullius, sic inquiens: "Qui civium rationem dicunt habendam, externorum negant; hi dirimunt communem humani generis societatem, qua sublata, beneficentia, liberalitas, bonitas, justitia funditus tollitur; quae qui tollunt, etiam adversus Deos immortales impii judicandi sunt, ab iis enim constitutam inter homines societatem evertunt." (1)

Age jam, observantia ejusmodi officiorum sequenti principio regulanda est: *unusquisque Status salutem et felicitatem aliarum nationum amare et procurare debet, quin tamen officia, quibus erga seipsum cogitur, infringat vel negligat:* adjicitur in enuntiatione principii conditio *quin tamen* etc., quia quaelibet societas arctissima obligatione tenetur ita prospiciendi bono sociorum, quibus coalescit, ut nullum detrimentum ipsis inferat gratia aliis benefaciendi; unde pronum est colligere limites beneficentiae erga alios Status ab officio bono propriae nationis consulendi esse desumendos.

56. His praehabitis, duo sunt praecipua officia im-

---

(1) *De officiis*, lib. III, cap. V.

perfecta memoratu digna, ad quae caetera omnia commode revocari possunt, nempe, suppetias ferre nationibus in necessitate constitutis, eisdemque bona propria communicare.

1.° Quaevis natio tenetur equidem alteri auxilium praebere, quae forte gravi aliqua indigentia vel calamitate laboret, etiamsi leve aliquod incommodum aut periculum subire cogatur: hinc [a]) si quando contingat ut Status affinis intestino et civili bello laceretur cum evidenti jactura suae existentiae, aut eum hostis praepotens injuste invadat, charitas internationalis jubet ut vicinae nationes, quoad fieri possit, opem ferant, ipsumque e periculo eripiant; praesertim si gens, quae aggressionem patitur, praesidium deposcat; [b]) si eveniat insuper ut Status finitimus fame, pestilentia aut aliis aerumnis affligatur, gentes propinquae, quoad possunt, ipsi opitulari debent, nisi eamdem calamitatem aut consimile malum perpeti exponantur; servata autem hujusmodi legitima cautione, quaelibet societas semper obstringitur officio curandi atque sua opera et viribus tutandi salutem ac prosperitatem caeterarum gentium.

2.° Exploratum quoque est nationes commercia et permutationes rerum necessariarum aut utilium inter se fovere tum propter propriam utilitatem, tum propter mutuum auxilium et necessarium juvamen, quod sibi praestare debent; enimvero, cum non omnia ubique gignantur, sed alibi abundent fruges, alibi pecora, alibi metalla et sic de aliis plurimis rebus, videtur ipsa natura intendisse hac de causa quamdam conjunctionem gentium, simulque reciprocam earumdem dependentiam ac subjectionem; *conjunctionem*, quoniam gentem unam ad communicandum cum alia ordinavit, etiamque vi proprii commodi ad benevolentiae exercitium obstrinxit; *dependentiam*, quippe indigentiae, quae ex hac bonorum discrepantia enascuntur, mutuae sunt

atque omnes gentes generatim afficiunt; unde natio, quae eget, ei, qui abundat, fit obnoxia.

Quamvis autem ipso naturae sensu nationes ad commercia exercenda inducantur et quandoque etiam adigantur; tamen animadvertendum est ejusmodi obligationem, excepta tantum extrema necessitate, inter officia mere *imperfecta* esse accensendam, ideoque ejus adimpletionem vi repeti minime posse. Et sane, cum nationes ad aliarum gentium salutem et felicitatem concurrere teneantur, ita ut sibi non noceant, integrum equidem ac proprium earum erit judicare, utrum tot et talium mercium invectio vel asportatio ipsis conveniat necne: nihilominus praefata obligatio ex imperfecta in perfectam devenire poterit vel propter extremam necessitatem alterius gentis, ut nuperrime diximus, vel propter contractus auc pactiones, quae stricta justitia nationes sicuti homines singulares adstringere valent.

57. Cum sermo sit de mutuis gentium officiis, abs re non erit inquirere, an Status semper adigantur damna populis vel subditis exteris illata resarcire.

Jam vero, Status velut personae juridicae consociationis internationalis vera capacitate et libertate gaudent, atque idcirco respondere tenentur de quibuslibet damnis caeteris gentibus vel alienigenis illatis, quoties actio damnificans eorum voluntati, cooperationi aut conniventiae recte tribui queat: hinc, ut alibi innuimus, sarcire debent nocumenta, quae aliis nationibus vel subditis externis gigni possent, quandocumque detrimentum profectum fuerit ex actu positivo eorumdem Statuum, vel ex criminali facto suorum officialium aut civium privatorum, vel ex culpabili potestatis publicae negligentia, vel etiam ex punibili imbecillitate auctoritatis socilis.

Non autem aequum videtur Statibus injungere compensationem damnorum, quae belli civilis tempore vel causa interiorum perturbationum exteri paterentur,

reluctante Statu atque publicis Magistratibus repugnantibus; etenim ejusmodi obligationem imponere idem esset ac constituere quoddam privilegium vere exosum ac onerosum, nationibus praepotentibus valde favens, maxime vero nocens exiguis Statibus, simulque proclamare quamdam arbitrariam inaequalitatem penes territorium nationis inter jura civium et jura alienigenarum.

Quidquid enim hac super re effutierint et clamaverint politici Americani, non adest solidum fundamentum pro hujusmodi compensationibus exposcendis; etsi aliunde omnes agnoscant et palam profiteantur supremae cujuslibet nationis potestati semper incumbere hisce in adjunctis sacratissimum officium personas et proprietates tum civium tum exterorum efficaciter tuendi adversus quoscumque incursus seu actus violentiae aut exspoliationis.

ARTICULUS V.

SUMMARIUM.

58. Subjectum *repraesentativum*.—59. Repraesentatio Statuum.—60. Jus *diplomaticum*.—61. Quot sint organa repraesentationis internationalis.—62. Summi Imperantes: eorum praerogativae.—63. An aliquando cessent.—64. In quo differant Reges atque Praesides Statuum.—65. Agentes *Diplomatici*.—66. Legationes.—67. Classificatio Legatorum.—68. Eorum jura, privilegia et munera.—69. Agentes *Consulares*.—70. Ipsorum gradatio.—71. Attributiones et jura.—72. Congressus ac Collationes internationales.—73. Discrimen inter ejusmodi Coetus.

58. Subjectum *repraesentativum* nuncupamus quascumque personas physicas vel morales, quae repraesentationem Statuum ostendunt ac gerunt in eorum exterioribus relationibus, tamquam media seu instrumenta *(órganos)* specialiter constituta pro voluntate nationum adimplenda, diversis Juris Internationalis functionibus

exercendis atque mutuis gentium pactis et decisionibus exsequendis.

59. Representatio generatim sumpta nihil aliud est quam facultas personis ac rebus invigilandi; hinc repraesentatio Statuum recte dici potest facultas, qua gaudent nationes prospiciendi personis et rebus suorum subditorum apud exteras gentes in societatem internationalem cooptatas. Ejusmodi jus ex potestate imperii (*soberania)* oritur, atque idcirco per Status supremos et juxta mensuram suprematiae tantum exerceri valet; unde Status foederati ut singuli spectati repraesentatione internationali carent, vel pro hac aliquatenus habenda pluribus limitationibus subjacent, atque Status semisupremi, tributarii vel protecti ad exercitium praefati juris consensu indigent illius Status, cui ratione dependentiae subsunt.

60. Ex jure repraesentationis recto tramite procedit *jus diplomaticum* appellatum, nempe, ea pars specialis Juris Internationalis, quae in moderandis ac sustinendis relationibus inter Status, necnon in dirigendis perficiendisque mutuis ipsorum negotiationibus primario ac immediate versatur. In jure diplomatico apprime secernenda est scientia diplomatiae ab arte diplomatiae; etenim scientia est summa principiorum, quibus nationes attemperari debent pro reciprocis relationibus ineundis et asservandis vel pro negotiationibus ad invicem inchoandis et concludendis; ars vero sita est in complexu regularum quae applicandae erunt ad bonum exitum et rectam negotiationum exsecutionem.

61. Quinque potissimum dinumerantur instrumenta seu organa repraesentationis internationalis, videlicet: Summi Imperantes aut Moderatores Statuum, Agentes Diplomatici, Agentes Consulares, Congressus atque Collationes internationales. De singulis summis labiis aliquid delibabimus.

62. Inter personas subjectum repraesentativum

in ordini internationali constituentes primum locum obtinent Summi Imperantes seu Moderatores Statuum, sub qua denominatione veniunt quicumque nationibus praeficiuntur, sive Monarchae, sive Praesides fuerint; Jus enim Internationale formam regiminis politici minime respicit, sed omnes Status conditionibus essentialibus praediti eadem personalitate atque juridica aequalitate funguntur.

Duae sunt praecipuae praerogativae, quibus insigniuntur Summi Imperantes, nimirum, jus repraesentationis et jus extraterritorialitatis: 1.° Moderatoribus Statuum specialissime competit jus repraesentationis, quia ipsis utpote primis nationis Magistratibus, genuinae atque altissimae imperii (soberanía) personificationi, et Rectoribus politicae interioris, exterioris et relationum commercialium, merito deferenda est apud exteras gentes quaedam authentica, solemnior atque spectatissima repraesentatio quoad relationes vel negotiationes cum caeteris Statibus concertandas: 2.° Rectoribus Statuum quoque tribuendum est privilegium quod dictitant *extraterritorialitatis*, in eo positum quod Summi Imperantes per quamdam fictionem juris vel potius vi consuetudinis apud gentes communiter receptae (quia mera fictio seu falsum suppositum nunquam devenire poterit legitima origo et solidum fulcimentum cujuslibet juris vel institutionis internationalis), licet intra territorium alicujus Status inveniantur ac resideant, ab exteris dominiis abesse censentur, perinde ac si ex suis ditionibus minime exiissent.

Jus extraterritorialitatis, quo pollent Supremi nationum Moderatores, ut plurimum importare solet: a) exemptionem a legislatione extera; b) immunitatatem a jurisdictione civili ac criminali in externis dominiis vigente; c) liberationem a tributis saltem personalibus, qui equidem cum altissima dignitate civili et suprema investitura politica recte consistere atque componi nequeunt.

63. Attamen memoratae praerogativae nonnumquam cessare possunt; etenim jus repraesentationis desinit, tum cum Rectores Statuum veram et absolutam suprematiam non obtinent, tum etiam quando forsitan ex throno vel e culmine potestatis exciderint, quia in utroque casu sub respectu internationali nequeunt sibi adsumere juridicam summorum imperantium personalitatem, quippe tunc eorum voluntas nullo pacto spectari valet tamquam genuina expressio et formalis significatio voluntatis Status. Quod vero attinet ad extraterritorialitatis privilegium, exemptiones ac praerogativae ex ipso derivatae vi et valore destituuntur: [a]) si Rex aut Praeses exteras regiones peragrans, nondum in eis recognitus est; [b]) quando alicui Regi vel Principi explicite fuerit vetatum ad determinata dominia adire; [c]) cum Summi Imperantes in exteras nationes occulte ingrediuntur; [d]) quoties bellum cum Statu invisendo gerunt; [e]) quandocumque Principes iter faciunt in Status, quibus subjiciuntur vel deservire tenentur.

64. Praemonendum esse ducimus Monarchas, sive Imperatores sive Reges sint, non eadem consideratione gaudere quoad ordinem relationum internationalium ac Praesides Statuum, quippe hi, juxta constitutionem politicam Rerumpublicarum, utpote potestate exsecutiva tantum instructi, minime vero auctoritate suprema, quae in natione residet, hujus personam agunt intra limites atque majorem vel minorem extensionem mandati ipsis commissi.

Hinc, quamvis Praesides Rerumpublicarum juribus repraesentationis et extraterritorialitatis generatim potiantur, adest tamen inter eos ac Reges triplex discrimen: 1.° secundum usus internationales, diversi nationum Monarchae inter sese habentur veluti membra unius ejusdemque familiae, et ideo in suis relationibus omnes eventus prosperos vel adversos sibi communicare, nec-

non mutua amoris, benevolentiae atque necessitudinis officia praestare assolent; 2.° in epistolis familiaribus reciproce vocantur *fratres*; 3.° ceu membra ejusdem familiae Principes regnantes ad invicem agnoscunt quoscumque titulos, dignitates vel honorificas condecorationes, eisdem per leges, traditiones aut consuetudines respectivi Status tributas.

Age jam, qui Rebuspublicis praeeunt, hoc triplici conceptu seu titulo familiaritatis, denominationis atque recognitionis honorificae passim orbantur.

65. Moderatores Statuum in ordine repraesentativo immediate subsequuntur Agentes Diplomatici, quo nomine designantur illi functionarii seu publici ministri, qui apud exteras gentes legatione funguntur ad sustentandas moderandasque mutuas Statuum relationes. Ejusmodi Ministri aetate antiqua et medio aevo populos ac gentes pro tempore determinato repraesentarunt; sed postquam saeculo XVI communicationes inter cultas nationes adeo excreverunt, ortae sunt legationes permanentes.

Agentes diplomatici dispesci possunt: 1.° ratione *facultatum*, in *Plenipotentiarios* et *Ministros* cum *potentia limitata;* 2.° ratione *durationis*, in *Ordinarios* et *Extraordinarios*; 3.° ratione *missionis* seu objecti in *Negotiatores* atque *Caerimoniales* seu *Officiosos*, quorum definitiones praetermittimus, cum ipsa nomina rem significatam sat clare exprimant.

66. Legationes seu Missiones dicuntur quaedam institutiones permanentes et juridicae entitates a Statibus cultis recentiori aetate in territorio alieno creatae, gratia relationes, negotiationes atque commercium internationale fovendi.

Jus legationis in ipso Jure Naturali Gentium fulcitur, quippe facultas mittendi atque recipiendi vice-gerentes seu repraesentantes Statuum pro colenda cum caeteris populis communicatione, repetenda est tum ex

juribus fundamentalibus autonomiae ac independentiae, quae cunctis nationibus inhaerent, tum ex ipso naturali principio socialitatis, quod Status sicut singulos homines compellit ad magnam consotiationem efformandam, etiamque mutuam populorum conjunctionem institutis communibus ex consensu emergentibus firmiorem stabilioremque reddendam.

Jus insuper legationis *active* vel *passive* considerari valet: jus *activum* legationis vocatur facultas Statibus competens mittendi ad caeteras nationes agentes diplomaticos ipsos repraesentantes; jus *passivum* legationis appellatur facultas qua gaudent Status recipiendi Legatos per alias nationes missos. Utramque legationem jus seu facultatem nuncupavimus, quia nondum prorsus exploratum est apud tractatores et jurisperitos, utrum mittere agentes diplomaticos sit mere jus vel potius officium perfectum et proprie juridicum: quidquid sit de hac quaestione theorice spectata, in praxi, usibus internationalibus inspectis, fere omnes obligationem juridicam existimant consuetudinem generaliter receptam legatos designandi atque penes gentes exteras habendi, ita ut nominatio et missio agentium regularium putetur ceu testimonium mutuae pacis et internationalis amicitiae, avocatio e contra atque recessus ministrorum personam Status gerentium censeatur tamquam signum dissentionis notaque hostilitatis.

Jus legationis tum activum tum passivum, juxta superius exposita, Statibus supremis tantum competit; sed cum quaestio suprematiae (soberanía) non semper innotescat adeo obvia, ut nullum locum dubitandi relinquat, oportet hanc rem aperte dilucidare etsi levissima insinuatione: Status *simplices* utpote pleno imperio praediti jure activo et passivo legationis pollent; quoad Status *compositos* haec videntur tenenda: Statibus compositis per unionem *personalem* proprie loquendo inest utrumque legationis jus, quia unusquisque Status suam inde-

pendentiam retinet et tantum habetur unicus Monarcha; attamen hic vi consuetudinis facultatem assumit mittendi ac recipiendi legationes; Status compositi per unionem *realem*, cum veterem personalitatem amittant, jure legationis carent, quod equidem transit ad novum Statum ex fusione emergentem; Status compositi per *incorporationem*, ex qua exsurgit unus Status praedominans et varii Status subordinati, omnes etiam jure nominandi vel suscipiendi legatos privantur, illud enim ad Statum vera suprematia ornatum plene devolvitur; in Statibus compositis per *foederationem*, potestas centralis, pro negotiis externis foedere communi constituta, legatos mittit atque recipit; Status compositi per *confoederationem*, quatenus quilibet propriam independentiam in ordine interiori atque exteriori retinet, agentes diplomaticos designare vel admittere libere possunt: demum quoad Status *semi-supremos, tributarios* ac *protectos*, jus legationis tam activum quam passivum Statui majori, principali aut protectori, ex quo dependent, adscribendum est.

Tandem quaevis legatio seu missio cessat aut finit: [a]) adimpletione objecti specialis; [b]) lapsu temporis praefiniti; [c]) abdicatione vel morte tum Principis legatum mittentis, tum Principis ad quem minister diplomaticus mittitur; [d]) declaratione belli vel simplici abruptione relationum regularium.

67. Quod vero ad gradum dignitatemque Legatorum spectat, juxta dispositiones in Congressibus Viennensi (1815) et Aquisgranensi (1818) editas et hodiedum hac super re vigentes, Agentes Diplomatici in quatuor classes seu categorias distingui solent, videlicet: 1.ª complectitur *legatos* proprie et absolute dictos; 2.ª ministros *plenipotentiarios*, qui etiam legati *extraordinarii* vocantur; 3.ª ministros *residentes;* 4.ª *agentes* negotiorum.

Primae classi seu altiori gradui adscribendi sunt

Oratores proprie dicti (*Embajadores*) *Nuntii* at *Legati a latere;* a Statibus supremis mittuntur ad ipsos Monarchas seu Summos Imperantes, quibuscum directe agunt et negotia internationalia pertractant. *Ministri Plenipotentiarii, Legati Extraordinarii* quoque nuncupati, quamvis eorum missio ordinaria et permanens sit, item per suos Monarchas ad caeteros Moderatores Statuum mittuntur, at non directe cum his, sed cum ipsorum Ministris de rebus internationalibus disserunt; in ejusmodi censum cooptari debent *Internuntii* Pontificii et *Internuntius* Austriacus apud Aulam Constantinopolis. Ministri *Residentes* apud Rectores nationum pariter legatione funguntur, etsi locum Ministris Plenipotentiariis inferiorem obtineant. *Agentes* demum negotiorum postremum gradum in progressione diplomatica occupant, suamque missionem permanenter vel perfunctorie secus Ministrum Relationum Exteriorum exercent.

Servata hac essentiali classificatione, nonnullae aliae varietates novaeque subdivissiones inductae sunt penes diversas Europae nationes (1).

68. Agentes Diplomatici ex pactis, consuetudine atque traditione quibusdam juribus pollent, privilegiis specialibus gaudent, necnon officiis singularibus obstringuntur; quamobrem operis pretium erit nonnihil dicere de facultatibus insitis, communibus praerogativis et obligationibus legatorum propriis.

1.° Jura legatorum ad quinque praecipua capita optime revocari possunt: inviolabilitatem, extraterritorialitatem, exemptionem a tributis, immunitatem a legislatione et jurisdictione tum civili tum criminali,

---

(1) En España, según el artículo 1.º de la ley publicada en 14 de Marzo de 1883, y completada por el reglamento de 23 de Julio del mismo año, la carrera diplomática es especial, y se divide en los siguientes grados ó categorías: 1.º embajadores; 2.º ministros plenipotenciarios de 1.ª clase; 3.º ministros plenipotenciarios de 2.ª clase; 4.º ministros residentes; 5.º secretarios de 1.ª clase; 6.º secretarios de 2.ª clase; 7.º secretarios de 3.ª clase; 8.º agregados diplomáticos.

atque liberum religionis exercitium: [a]) Ministri vices Statuum gerentes inviolabiles omnino esse debent, tum propter characterem repraesentativum quo ornantur, tum propter libertatem proprio exercendo muneri requisitam; si enim vis ipsis inferri posset, facile a suis functionibus fideliter implendis deterrerentur; [b]) jure extraterritorialitatis potiri, hoc est, libertate ac independentia frui a nationibus exteris in quibus resident, perinde ac si intra dominia suae gentis adhuc degerent, quia cum sint organa mutuae communicationis Statuum, proculdubio facultatem habere debent manifestandi sensa, quae nationi, ad quam mittuntur patefacienda susceperunt, etiamque rescribendi responsa, quae dantur, ac novas instructiones postulandi; qua in re impediri minime possunt, quin hoc ipso in proprio jure laedantur; [c]) legatis insuper adjudicanda est in ditionibus exteris exemptio a tributis personalibus atque indirectis, exceptis fortasse, juxta probabiliorem sententiam, vectigalibus quae dicuntur consumptionis (consumo) et inspectionis (aduana), licet haec postrema, si quando exigantur, cum certis limitationibus et prudenti interpretatione applicanda erunt propter indolem secretam epistolarum, aliorumque documentorum, quae cum missione diplomatica et negotiationibus internationalibus connecti queunt; [d]) item agentibus respectivas nationes repraesentantibus aequum est tribui immunitatem a jurisdictione civili et poenali exterarum gentium, licet hujusmodi exemptio rectius ac probabilius eisdem competat veluti personis publicis spectatis, non vero quatenus personas privatas agunt; [e]) denique repraesentantes diversos societatis internationalis Status, eorumque officiales ac domestici ex more communiter recepto actus privatos suae religionis intra aedes legationis exercere possunt.

2.° Inter jura accidentalia et potissima privilegia legatorum memorari merentur: [a]) honores publici et

caerimoniae exteriores, quae a Congressibus Westfaliensi et Viennensi ipsis debentur, juxta majorem vel minorem dignitatis gradum in classificatione diplomatica; [b]) exercitium cujusdam jurisdictionis mere voluntariae seu gratiosae tum in personas legationis, tum etiam in suos concives, sive pro recensione civili gerenda, sive pro actibus authenticis aut testamentis recipiendis, sive pro aliis similibus functionibus implendis, secundum consuetudinem et legislationem uniuscujusque Status.

3.° Praecipua munera agentibus diplomaticis incumbentia hujusmodi sunt: [a]) moderari relationes ac negotiationes suorum Statuum cum caeteris gentibus; [b]) urgere adimpletionem foederum ac pactorum; [c]) impedire quominus laedantur jura nationis, quam repraesentant, vel subditorum in dominiis exteris degentium; [d]) tueri res ac personas suorum concivium, quoties hi necessitate cogantur legationis praesidium et opem invocandi.

69. Agentes Consulares vocantur illi publici functionarii qui ad exteras gentes mittuntur intuitu fovendi ac protegendi suarum nationum commercium, necnon concivibus mercaturam facientibus accurata *consulendi.*

Ejusmodi denominatio desumpta est a judicibus commercii apud Pisanos, Venetianos et Barcinonenses ita nuncupatis; institutio vero hujus specialium agentium generis, quamvis antiquissima censetur utpote sub aliis nominibus cognita et usurpata penes remotissimos populos tamen in nationibus cultis vigere ac propagari potissimum coepit a fine saeculi XV vel initio saeculi XVI.

70. Institutio consularis multiplicem gradationem praesefert; passim vero in sequentes classes seu categorias dividi solent ejusmodi publici functionarii: 1.° in *ordinarios* et *exrtaordinarios; ordinarii* dicuntur qui com-

munibus praescriptionibus Juris Internationalis subjacent et per nationes cultas ad Status civilitate donatos mittuntur, cujusmodi sunt Consules Europae et Americae; *extraordinarii* appellantur qui a regula generali excipiuntur utpote ad gentes infideles, incultas seu barbaras missi, ita putantur Consules ex Europa vel America profecti in regiones Asiae aut Africae, veluti Persiam, Siamum, Sinam, Marochium, Barbariam, etc.: 2.° in *generales* et *particulares;* Consules *generales* nuncupantur qui corporationi consulari alicujus nationis in territorio alieno praesident et positionem mediam inter Consules, Viceconsules atque Agentem Diplomaticum obtinent; *particulares* denominantur qui specialibus districtibus seu regionibus commercialibus cujuslibet Status praeficiuntur: 3.° in *viceconsules* et *agentes consulares; viceconsules* gradum inferiorem in ordine consulari tenent, et possunt esse *auxiliares* vel *independentes,* auxiliares cum consules adjuvant in regione mercantili magnae praestantiae, independentes autem cum functiones exercent in aliquo districtu exigui commercii: 4.° in *amicos* et *electos; amici* vulgo audiunt qui ex civibus ejusdem Status, quem repraesentare debent, desumuntur; *electi* e contra nominantur qui ex civibus nationis exterae, ubi munere fungi debent, seliguntur (1).

71. Attributiones Consulum tripliciter spectari

---

(1) En España, según el artículo 1.° de la Ley arriba citada de 14 de Marzo de 1883, completada por el Reglamento de 23 de Julio del mismo año, la carrera consular es especial y se divide en las categorías siguientes: 1.° Cónsules generales; 2.° Cónsules de 1.ª clase; 3.° Cónsules de 2.ª clase; 4.° Vicecónsules.

«Los Cónsules, dice el artículo 22 del Reglamento de la carrera consular publicado en 23 de Julio de 1883, son agentes administrativos comerciales de la nación; tienen además atribuciones judiciales y notariales y están encargados del Registro civil. En el desempeño de sus cargos deben atenerse á lo dispuesto en los tratados, á los principios del Derecho internacional y á los usos establecidos en el país en que residan.»

queunt, generaliter, specialiter et exceptionaliter: *generaliter* functio consularis sita est in commercio terrestri ac maritimo propriae nationis fovendo et concivibus mercatoribus efficaciter protegendis: *specialiter* Agentibus Consularibus competit: [a]) invigilare adimpletioni pactionum commercialium; [b]) reclamationem interponere, si quando violentur, sive apud auctoritates districtus in quo resident, sive apud potestatem supremam immediate vel mediante Agente Diplomatico; [c]) concives defendere adversus quamcumque aggresionem vel offensionem alienigenarum vel exterarum gentium; [d]) curam gerere negotiorum ad subditos suae nationis absentes attinentium, exitumque gestionum eis communicare; [e]) fidem facere tamquam notarii publici suae gentis in territorio alieno, de contractibus, scripturis, testamentis, aliisque actibus id genus; [f]) inscribere in censum natalem, matrimonium ac defunctionem suorum conterraneorum; [g]) jurisdictionem voluntariam et arbitralem in populares exercere; *exceptionaliter* autem Consulibus extraordinariis, qui in extremas et dissitas Orientis plagas vel incultas Africae regiones mittuntur, unanimi Statuum consensu quaedam peculiares functiones tribui solent, praesertim vero exercitium jurisdictionis civilis et poenalis, administratio generalis justitiae, facultas judicandi ac dirimendi quaestiones obortas inter proprios concives, vel inter suos conterraneos et alienigenas.

Quoad jura ejusmodi agentium propria haec videntur statuenda: Consules *ordinarii* fruuntur: [a]) inviolabilitate relate ad suas personas, communicationem, documenta, archivum et domicilium; [b]) exemptione ab oneribus personalibus; [c]) quibusdam honorificis distinctionibus, quia publicis aliarum nationum ministris assimilantur: Consules autem *extraordinarii* in nationibus incultis Statibusque infidelibus aequiparantur Legatis, ideoque praestantioribus praerogativis funguntur,

praecipue: [a]) extraterritorialitate; [b]) immunitate a legislatione et jurisdictione, tam civili quam criminali; [c]) liberatione a vectigalibus; [d]) libero religionis exercitio.

72. Postremus locus in serie personarum physicarum vel moralium, quae repraesentationem internationalem ostendunt, Congressibus et Collationibus communiter assignatur.

Congressus et Collationes internationales vulgo nuncupantur: *Coetus seu congregatio Statuum per suos legitimos repraesentantes habita ad pertractanda, discutienda et solvenda negotia vel quaestiones internationales.*

Hujusmodi solemnes conventus dicuntur internationales, quia res agendae ad diversas nationes spectant, ipsa adsociatio ex personalitate Statuum exsurgit, cunctique repraesentantes, sive Monarchae aut Summi Imperantes sint, sive Agentes Diplomatici aut Legati exstiterint, charactere internationali insigniti sunt.

73. Non adest consensio apud tractatores Juris Publici Internationalis circa discrimen inter Congressus et Collationes ponendum.

Alii enim contendunt Congressus internationales a Collationibus triplici pacto differri: 1.° in Congressus coeunt tantum Reges vel Supremi Statuum Moderatores; in Collationes vero Agentes Diplomatici: 2.° Congressus convocantur ad negotia politica tractanda; Collationes autem pro quaestionibus internationalibus ordinis oeconomici discutiendas: 3.° in Congressibus agitur de rebus maximae praestantiae nationes mutuo afficientibus; sed in Collationibus de capitibus minoris momenti disseritur, licet cum societate internationali connexis.

Verumtamen plerique scriptores, cum facta ex historia Juris Internationalis deprompta memoratis differentiis non apte atque adamussim cohaereant, rectius autumant verum discrimem inter utrumque conventum esse repetendum ex natura et scopo hujusmodi Coe-

tuum: juxta patrocinatores istius sententiae, Congressus denominari debent magnae illae adsociationes Statuum, quae characterem vere et proprie legislativum induunt, quoniam primario et directe intendunt leges internationales ferre pro constituendo Jure Internationali positivo; Collationes potius appellandae sunt consensus illi, in quibus praecipue ac directe elucet character judicialis, quia factis apud diversas nationes consummatis jus antea constitutum applicare student, in quo equidem situm est verum judicium seu actus judicialis.

CAPUT II.

OBJECTUM JURIS INTERNATIONALIS.

ARTICULUS I.

SUMMARIUM.

74. Objectum seu res circa quas versatur Jus Internationale.—75. *Proprietas* internationalis.—76. *Bona* Statuum.—77. *Territorium* ejusque extensio.—78. *Limites* territoriales.—79. Acquisitio territorii.—80. Modi *originarii.*—81. Modi *derivativi.*—82. Amissio territorii.

74. Cum objectum Juris generaliter sumpti dicatur "id omne quod facultati personarum subest ad finem rationalem obtinendum„, veluti res, bona et servitutes hominum inter res juridicas computatae, atque in Jure Internationali personae sint Status, objectum hujusmodi Juris erit "quodcumque facultati Statuum subest pro fine proprio societatis internationalis assequendo.„

Sub objecto igitur Juris Internationalis cadunt quinque praecipua capita, videlicet: proprietas internationalis, servitutes nationum, libera navigatio, mutuum gentium commercium atque ministeria (servicios) apud varios Status passim usitata.

75. Proprietas internationalis nuncupatur "jus

quo pollent singulae nationes res acquirendi, possidendi et usufruendi pro suis necessitatibus subveniendis simulque recto exercitio ac legitima sui imperii (soberanía) evolutione procuranda„. Proprietas internationalis duo potissimum in sua notione complectitur, *bona* et *territorium*, de quibus seorsim agemus.

76. In primis enim objectum proprietatis internationalis constituunt *bona*, sub qua denominatione veniunt res *specifice* consideratae, quae in potestate vel dominio hominis esse possunt.

Bona praesertim dividi solent, uti omnes norunt: 1.° in *mobilia* et *immobilia; immobilia* appellantur res quae moveri nequeunt e loco ubi sitae sunt; *mobilia* vocantur res quae de uno in alium locum moveri ac transferri valent, sive per seipsas puta animalia, sive opera hominum velut vestes, fructus aliaque similia, juxta textum Codicis Partitarum (1): 2.° *dominii publici* et *proprietatis privatae; dominii publici* dicuntur bona tum *communia* quia ad integram communitatem spectant et usui publico deserviunt, uti viae, flumina, pontes, etc., tum *privativa* Statuum, quae licet non censeantur communis usus, tamen ministerio publico vel prosperitati nationali fovendae dicata sunt sicut moenia, arces, etc. (2); *proprietatis privatae* nominantur caetera bona, quae

(1) Ita legimus in Leg, 4.ª Tit. 29. Part. 3.ª: *Muebles son llamadas todas las cosas que los omes pueden mover de un lugar á otro; é las que se pueden ellas por sí mover naturalmente, son así como los caballos é los mulos*, etc.

(2) En textus novissimi Codicis Civilis in Hispania anno 1889 editi:

Art. 339. Son bienes de dominio público:

1.º Los destinados al uso público, como los caminos, canales, ríos, torrentes, puertos y puentes construidos por el Estado, las riberas, playas, radas y otros análogos.

2.º Los que pertenecen privativamente al Estado, sin ser de uso común, y están destinados á algún servicio público ó al fomento de la riqueza nacional, como las murallas, fortalezas y demás obras de defensa del territorio, y las minas, mientras que no se otorgue su concesión (Lib. Seg., Tit. Prim., Cap. III).

ad individua, collegia, etiamque Statum tamquam personam juridicam pertinent, unde passim subdividuntur in haec quatuor genera: bona Status, bona Coronae aut Summorum Imperantium (apud nos Regalis Patrimonii), bona Corporationum atque bona particularium (1).

77. Praeterea, proprietati nationum accensendum est *territorium*, quo nomine subaudit illa pars superficialis orbis in quam unusquisque Status suum dominatum atque imperium exercet. Territorium necesse est triplici charactere ornetur, ut vere existat imperium territoriale (soberanía territorial), scilicet, unitate, integritate atque indivisibilitate: debet esse *unum*, quamvis ex dissitis regionibus, pluribus insulis vel archipielagis aut diversis coloniis constet, quia Status, in has terras ditionesque jurisdictionem exercens, unus idemque est; debet esse *integrum*, saltem essentialiter, ne amittatur existentia Status; demum oportet esse *indi-*

---

(1) Heic subjungimus articulos Codicis Civilis Hispanici hac de re pertractantes:

Art. 340. Todos los demás bienes pertenecientes al Estado, en que no concurran las circunstancias expresadas en el artículo anterior, tienen el carácter de propiedad privada.

Art. 341. Los bienes de dominio público, cuando dejen de estar destinados al uso general ó á las necesidades de la defensa del territorio, pasan á formar parte de los bienes de propiedad del Estado.

Art. 342. Los bienes del Patrimonio Real se rigen por su ley especial; y, lo que en ella no se halle previsto, por las disposiciones generales que sobre la propiedad particular se establecen en este Código.

Art. 343. Los bienes de las provincias y de los pueblos se dividen en bienes de uso público y bienes patrimoniales.

Art. 344 Son bienes de uso público en las provincias y en los pueblos, los caminos provinciales y los vecinales, las plazas, calles, fuentes y aguas públicas, los paseos y las obras públicas de servicio general, costeadas por los mismos pueblos ó provincias.

Todos los demás bienes que unos y otras posean, son patrimoniales y se regirán por las disposiciones de este Código, salvo lo dispuesto en leyes especiales.

Art. 345. Son bienes de propiedad privada, además de los patrimoniales del Estado, de la Provincia y del Municipio, los pertenecientes á particulares, individual ó colectivamente (Lib , Tit. y Cap. citados).

visibile, secus enim prorsus rueret et evanesceret notio suprematiae in unum idemque territorium.

Territorium capit omnia quae intra limites Status continentur veluti terras, flumina, lacus et maria interiora; flumina, lacus et maria contigua usque ad terminum postea definiendum; insulas aquis Status circumdatas, *integras*, si flumen vel lacus ad unum Statum attineat, *dimidiatas*, si flumen ad duos Status pertineat; insulas littori adjacentes usque ad zonam (de 10 á 20 leguas) necessariam tutelae terrestri et maritimae defensioni: amplectitur etiam omnia quae extrafines Status habentur, dummodo in ea suum imperium exerat, uti insulas, colonias, aedes ac domus legatorum, naves mercatorias aut bellatrices altum mare surcantes vel in aquis exterarum gentium flotantes.

78. *Limites* territoriales denominantur confinia seu termini quibus Status ad invicem sejunguntur: dividi solent in naturales et artificiales, terrestres atque maritimos; confinia naturalia vocantur limina vel septa ab ipsa natura praestituta, puta montes perpetui (cordilleras), flumina, lacus et maria; fines artificiales dicuntur margines quae explicita (per foedera et pactiones) vel tacita (per usum aut consuetudinem) Statuum voluntate designantur.

Limites artificiales passim distinguuntur per monumenta, columnas, aliave signa visibilia, atque in chartis geographis exquisite denotantur vi graduum longitudinis et latitudinis; margines autem naturales vulgo determinantur quibusdam lineis fictitiis vel mutuo conventis: hinc quoad montes perpetuos (cordilleras), limites definiuntur linea delineata per summitatem (cima) collis altioris; quoad flumina, linea supponitur exstructa per medietatem incilis (cauce); demum quoad maria *territorialia* seu *jurisdictionalia* appellata, zona maritima cujuslibet Status dimetiri assolet linea speciali quae dicitur *observantiae* (linea de respeto).

Ejusmodi linea in necessitate propriae defensionis fulcita, etsi non omnes hac de re consentiant, ut plurimum computatur per distantiam vel trajectoriam quam percurrit explosio glandis muralis (bala de cañón) a tormento bellico potentiori emissae.

79. Status tamquam personae juridicae societatis internationalis facultate gaudent acquirendi et alienandi possessiones territoriales et quascumque alias proprietates eorum dominio subjectas, servata tamen legislatione interna uniuscujusque nationis.

Duplici pacto acquirere possunt Status dominium internationale, sicut individua dominium privatum, nimirum, mediis *originariis* ac mediis *derivativis:* media *originaria* vocantur illa, quibus utitur Status ad sua dominia augenda absque amissione vel imminutione territorii aliorum Statuum, quia nulla alia persona ab acquirente distincta antecedenter intervenit; e contra media *derivativa* cognominantur ea quae pacifice vel violenter adhibet alter Status pro suis dominiis amplificandis cum amissione vel imminutione territorii alterius Status, quia antecedenter intercedunt aliae personae.

80. Tres enumerantur modi *originarii* acquirendi, nempe, occupatio, accessio atque praescriptio, de quibus perpauca loquemur, quippe arctam connexionem habent cum principiis a Jure Romano etiamque Jure Patrio singularum gentium communiter traditis.

Occupatio. Hic modus originarius passim definitur: "realis apprehensio rei, quae nullius sit, cum animo sibi acquirendi"; hinc occupatio internationalis recte dici poterit: "realis apprehensio territorii *nullius* ex parte nationum cum animo illud sibi acquirendi".

Historia nobis suppeditat complurima occupationis exempla tum antiquis temporibus tum recentiori aetate, praesertim vero saeculis XV et XVI, in quibus prope innumerae regiones ac insulae ignotae per Lusitanos

et Hispanos detectae sunt apud Indias Orientales atque Occidentales: hodiedum autem ejusmodi acquisitiones vix aut ne vix quidem locum obtinere possunt, cum omnes vel fere omnes orbis terrae jam exploratae sint.

Attamen, cum novae insulae efformari possunt, vel territoria derelicta reperiri aut regiones incultae occupari, gratia civiles mores inducendi (civilización) vel colonias instituendi (colonización), si sententiae quorumdam juristarum occupationem regionum silvestrium propugnanti standum sit, consentaneum ducimus praecipuas conditiones innuere, quae ex Jure Naturali gentium, necnon ex recentiori Jure Internationali positivo desiderantur ad veram et legitimam occupationem constituendam.

Ex Jure Naturali tria requiruntur: 1.° territorium *nullius*, secus enim occupatio esset vera et aperta usurpatio; 2.° animus rem suam faciendi, alioquin haberetur transitus, habitatio, residentia vel quodcumque aliud, non autem occupatio proprie dicta; 3.° captus possessionis seu realis apprehensio, nam aliter terra aut regio non fieret propria occupantis.

Ad Jus Internationale positivum quod attinet, Collatio Africana Berolinensis anno 1885 habita, ad praepediendas adnexiones fictitias, quasdam regulas seu conditiones statuit, quibus in posterum omnis occupatio attemperanda esset, ut justa et legitima evaderet, videlicet: 1.° ut occupatio nomine atque assensu alicujus Status vel Gubernii recogniti fiat; 2.° ut possessio sit *effectiva* (non mere symbolica), *permanens* (non autem transitoria) et *formalis* (non tantum materialis), sita in eo quod in territorio detecto, occupato atque possesso constituatur aliquod regimen vel systema gubernativum cum recta administratione et politica auctoritate; 3.° ut factum possessionis Potentiis Acta Collationis Berolinensis obsignantibus notificetur.

Accesio. Hoc nomine designatur: "modus acqui-

rendi dominium in rem aliquam propterea quod res illa rei nostrae adjiciatur„. In Jure Internationali locum tantum obtinet accessio *naturalis*, quae nihil aliud est quam "auctio territorii ex influxu agentium physicorum profecta„. Hac super re praevalet tritum Juris Romani effatum: *accessorium sequitur principale*; unde, sicut quod nascitur in nostra proprietate vel ipsi adjicitur, nostrum censetur, ita etiam quod territorio alicujus Status per unionem aut coagmentationem aggregatur, eidem Statui tamquam juste acquisitum adscribendum est.

Ex omnibus accessionis casibus, quorum meminit Jus Romanum et Civile, duo praecipue in Jure Internationali obvenire solent, nempe, coagulatio insularum atque mutatio cursus fluvialis.

1.° Si qua insula in mari alto efformetur, ad neminem pertinet, sed tamquam res *nullius* erit primum occupantis; si insula in zona maritima alicujus Status emerserit, vi accesionis huic adjudicabitur; si in flumine nationali confletur insula, absque ulla dubitatione ad Statuum attinebit, ubi visa et orta est; sin vero coagulatio insulae fiat in mari internationali, eo quod limites duorum aut plurium Statuum praestituat, tunc delineabitur linea divisoria per dimidium incilis fluvialis, et unicuique Statui tribuetur pars in sua margine sita; quod si de pluribus Statibus confinibus agatur, in hoc peculiari casu exstruetur vel potius confingetur linea anteriori perpendicularis, quae portionem insulae singulis nationibus competentem aperte finiet.

2.° Contingere etiam potest ob causarum naturalium concursum, ut aliquis fluvius internationalis primaevum alveum derelinquat et novum cursum sequatur; cum autem hoc naturale phaenomenon evenerit, Jus Internationale docet adesse accessionem quoad flumen, non vero quoad territorium; ideoque agmen per aliam regionem decurrens in proprietatem novi Status transit,

sed confinia nationum eadem permanent hoc tantum discrimine, quod antea limes censebatur dimidium naturale fluminis, postea putatur margo medietas veteris cursus fluvialis.

Praescriptio. Inter media originaria nova dominia aut territoria acquirendi optime recenseri potest praescriptio seu continuata possessio, modo gaudeat conditionibus a lege assignatis, scilicet, bona fide, titulo legitimo, possessione non interrupta, tempore requisito, persona habili et re praescriptibili.

Hac super re Juri Internationali aptari queunt eadem principia ac regulae quae in jure privato vigent, excepta conditione temporis; etenim in Jure Internationali non agnoscitur terminus praescriptionis, quia quilibet Status dominium in territorium retinet, dum potest ac vult suam auctoritatem in eodem exercere: hinc praescriptio ad casus tantum possessionis immemorialis videtur esse restringenda.

81. Tres etiam modi *derivativi* exstant acquirendi dominium internationale, scilicet, emptio, cessio atque successio; licet enim aliqui expugnationem (conquista) memorant inter media derivativa territoria aliarum gentium habendi ac possidendi, hoc acquirendi medium prorsus rejicimus utpote rectis justitiae principiis plane reluctans; et sane assentiri nequimus illorum juristarum sententiae, qui, *occupationem bellicam* Juris Romani invocantes, autumant integrum esse nationibus pro suis ditionibus augendis expugnationem adhibere; nam ejusmodi acquisitionis forma omnino illegitima et aperte injusta apparet, siquidem de possessione violenta agitur, de vera usurpatione alieni, de occupatione armata territorii, non *nullius*, sed a domino certo et proprio legitime possessi.

Omnes medii derivativi ad vim juridicam obtinendam necessario postulant foedus publicum, in quo constet mutuus consensus Status acquirentis atque Status vendentis, cedentis aut succedentis.

Emptio. Hic modus acquirendi in Jure Internationali veluti exceptionalis habendus est, quia vix Status hac ratione utuntur pro novis territoriis suo imperio adjiciendis; attamen non desunt aliqua exempla etiam aetate recentiori, uti possessiones Russo-Americanae vi emptionis per Status-Unionis anno 1868 acquisitae.

Cessio. Cessiones territoriales saeculis promediis decurrentibus et aetate nova incipiente valde frequentes fuerunt, quia Reges ac Principes tunc temporis bona et proprietates Status veluti suum patrimonium passim spectabant: hinc res obvia et usitata erat apud nationes medii aevi etiamque recentioris epochae Monarchas pro suo lubitu donationes elargiri, dominia permutare, territoria alienare, dotes constituere, provincias impertiri, multasque alias cessiones sub diversa forma facere.

Novissimis autem temporibus cessiones *voluntariae* ac *gratuitae* admodum rarae sunt; tamen anno 1863 Anglia Greciae concessit insulas Archipielagi Jonici: frequentiora vero habemus exempla cessionum *cum causa*, sive remuneratoria, sive onerosa, sive politica sive Internationali; ita cernimus Hispaniam per foedus Washington (1819) Statibus Unionis Americanae Floridam donasse; per conventionem Tigurinam (1859) Longobardiam Italiae fuisse concessam; per pactionem Taurinensem (1860) Niciam et Sabaudiam Galliae esse adjudicatam; per pactum 1866 Venetiam ex dominio Austriae in Italiam transisse.

Successio. Postremus modus dominia internationalia acquirendi in sucessione reponitur, quae olim facilem usum et crebram applicationem obtinebat, cum nempe Reges, uti superius animadvertimus, bona Statuum libere administrabant, atque territorium nationale ad nutum suae voluntatis inter filios aut cognatos tribuebant; hodiedum autem successio tantum locum habet, cum alius Status per amissionem totalem territorii ve-

re desinit, alius vero ejus jurium atque officiorum haeres constituitur.

82. Jura et territoria Statuum eisdem mediis amitti solent, quibus acquiruntur, quippe acquisitio et amissio ideae correlativae sunt; etenim, si de mediis derivativis agatur, cum aliquis Status portionem sui territorii concedit, abalienat, vel ex suis juribus atque dominiis prorsus excidit, dum alia natio suas ditiones per acceptationem, emptionem, aut sucessionem auget, ipse partialem vel totalem dominii ac territorii amissionem subit: sin vero de mediis originariis sermo sit, in dubium revocari nequit quin occupatio, accessio et praescriptio simul existant modi acquirendi aliis Statibus, aliis vero occasio deperdendi; quandoquidem res, terrae aut insulae derelictae et per occupationem apprehensae, territoria vel fluvia per accessionem adjecta, necnon regiones per legitimam praescriptionem possessae de uno in alterum Statum transeunt, ideoque eodem tempore atque iisdem de causis fit apud nationes acquisitio et jactura dominii.

ARTICULUS II.

SUMMARIUM.

83. *Servitutes* internationales.—84. Principia communiter recepta inter gentes super *Navigatione*.—85. *Commercium* internationale.—86. *Ministeria* (*servicios*) internationalia.—87. Circulatio tabellaria (correos).—88. Telegraphum.—89. Viae ferreae.—90. Praescripciones hygienicae.—91. Uniformitas ponderis ac mensurae.—92. Unitas monetalis.

83. *Servitus* generatim sumpta dicitur "gravamen rei immobili impositum in favorem alterius rei etiam immobilis distincto domino competentis„; in Jure autem Internationali servitutes pariter implicant limitationes quasdam juribus supremis Statuum appositas, ideoque recte nuncupari possunt "quaedam gravamina aliis na-

tionibus injuncta in favorem aliorum Statuum„: hinc, sicut in jure privato hac super re distingui solent *praedium dominans*, pro quo constituitur servitus, atque *praedium serviens*, qui gravamen subire cogitur, ita etiam in Jure Internationali, cum de materia servitutis agitur, Status in *dominantes* et *servientes* tribui queunt, prout beneficio servitutis in alios fruuntur vel gravamen ferre tenentur.

Praetermissis notissimis servitutis divisionibus, quae a jure privato passim traduntur atque in nostro jure vix applicationem habent, pro scopo internationali satis erit duplex genus servitutum recensere, nimirum, positivas et negativas; *positivae* appellantur quae Statui servienti obligationem injungunt aliquid faciendi vel consentiendi, uti servitutes transitus, stationis, etc.; *negativae* vocantur quae Statui servienti vetant ne aliquid faciat, quod equidem absque hac limitatione ei licitum esset, velut prohibitio Russiae anno 1856 facta, ne iterum Sebastopolis munitiones erigeret.

84. Quaestio de navigatione quatuor praecipua capita complectitur; etenim inquirendum modo venit utrum liberunt sit necne *maria, freta, canales* et *fluvia* sulcare; de hoc igitur unius ejusdemque quaestionis quadruplici aspectu levissime disseremus.

1.° Cum agitur de investigando ac determinando an mare altum esse possit alicui nationi objectum proprietatis et possessionis, vel e contra apertum censeri debeat commercio atque cunctarum gentium navigationi, tractatores Juris Internationalis in duas sententias abiere: alii enim cum laudato jurisperito Hugone Grotio pro aris et focis contendunt mare esse liberum et tamquam axioma adstruunt *libertatem Oceani;* alii vero cum Seldem asserunt mare esse clausum atque veluti principium inconcussum proclamant *imperium maritimum* (soberanía de los mares).

Nos itaque doctrinae Grotii hodie apud nationes

communiter receptae et in praxim reductae libenter adstipulamur, quia pro hac veritate vindicanda complurima militant rationum momenta, quae obiter insinuabimus: [a]) mare, uti omnes norunt, nec proprie limitari, nec vere occupari, neque stabiliter possideri valet, quae omnia necessario requiruntur ad proprietatem legitime constituendam; [b]) mare exhauriri nequit, adeoque ejus usus nemini nocere potest; [c]) usus maris eadem commoda utilitatesque cunctis populis ac gentibus affert, quin propter suam immensitatem altera natio alteram privare queat facultate usufruendi; [d]) mare demum recte spectandum est ceu via amplissima et medium universale ab ipsa natura praestitutum, ut omnes nationes ac totius orbis gentes mutuam inter sese communicationem ineant.

Quapropter libertatem Oceani agnoscimus atque tuemur cum omnibus legitimis consectariis, quae ex hoc fundamentali principio derivantur, nempe, libertate navigationis, libertate commercii, jure absoluto liberae piscationis, atque omnimoda facultate occupandi et sibi appropriandi quoscumque thesauros, divitias, merces aut res pretiosas in altitudine Oceani demersas.

2.° Quod ad freta spectat secernere oportet ea quae duo maria libera conjungunt, ab iis quae communicationem instituunt inter mare liberum et mare clausum: haec silentio praeterimus, quia introitus ac navigatio interdicta sunt, vel saltem imperio et arbitrio subjecta Status dominio in mare interius seu nationale gaudentis; illa vero prorsus aperta et libera declaramus, atque reapse hodiedum penes cunctas nationes ut talia habentur ac proclamantur.

Et sane, quamvis olim freta Bosphori Thracii et Dardanellarum Pontum Euxinum (Mar Negro) et Mediterraneum conjungentia, necnon aestuaria Sund et Belt maria Atlanticum et Balticum copulantia dissidiis ac reclamationibus Statuum ansam frequentissimam prae-

buere, quia priora propria censebantur Russiae atque Turchiae, quae utpote exclusivum imperium in Ponticum mare exercentes caeteris nationibus navigationem per sua freta vetabant; altera autem Dania sibi adjudicabat, quae titulo dominii navigiis mercatoriis quotam partem pedagium *(peage)* nuncupatam demandabat: attamen hodie utraeque marium fauces, tum euripi Bosphori et Dardanellarum, tum porthmi Sund et Belt, liberi atque aperti commercio et navigationi existimantur, exceptis tantum navibus praelatoriis (buques de guerra), nisi Principes aut Agentes Diplomaticos aliarum gentium secum ducant; etenim vi pactorum vigentium conclamata est libertas Melaponti, atque abolitum quodqumque pedagium, ita ut ipsa Dania, praevia quadam indemnizatione caeterorum Statuum, per pactionem Codaniae (Copenhague) anni 1857 solemniter spopondit nihil tributi vel portorii in posterum imponere.

3.° Occasione aperturae Canalis Suessii (Suez) agitata est quaestio de natura libera vel clausa hujusmodi communicationis mediorum; nihilominus nostris diebus omnes consentiunt in agnoscenda libertate Canalium, licet servata neutralizatione (1); nam, principiis juris gentium rite perpensis, praedictae viae maritimae videntur apertae esse debere navigationi ac commercio cunctarum nationum propter bonum commune ac mutua earumdem commoda.

Diximus *servata neutralizatione*, quia Status communi calculo sese obstringunt revereri atque facere revereri ceu neutrales Canales (uti factum est in apertura Suessii), adeo ut nequeant in eis fieri operationes bellicae, etsi permittatur navibus bellatricibus navigationem facere.

---

(1) Sub hac denominatione intelligitur explicita et absoluta prohibitio praelia in quibusdam territoriis comittendi, vel classica certamina in determinatis maribus ineundi, aut generatim quascumque alias operationes bellicosas exsequendi.

4.° Denique quoad flumina etiam contendimus omnia fluvia *navigabilia*, sive internationalia, sive nationalia, liberae navigationi et cunctarum gentium commercio aperta esse censenda; pro hac assertione tuenda quamplurimae rationes suppetunt, quas brevitatis gratia summatim subjungimus: [a]) mare, res nempe principalis, liberum est, flumina igitur ejus accessorium potiori jure libera putari debent, quippe *accessorium sequitur principale;* [b]) aquae ab ipsa natura inaequaliter supra superficiem terrae distributae sunt, ita ut hinc affluenter, illinc vero parce decurrant; unde si viae fluviatiles interdicerentur, magna incommoda et positiva damna populis et nationibus irrogarentur; [c]) usus aquarum earum copiam ut plurimum non exhaurit, neque ipsarum valorem imminuit, ex quo fit aequora per navigia exterarum gentium sulcari posse, quin jura laedantur Statuum dominium in flumina gaudentium; [d]) sublata vel infitiata libertate fluminea, recte consequeretur quosdam amnes nationales magni momenti, veluti Messisipum unius Status proprium, hodiedum commercio omnium nationum apertos, cum detrimento caeterarum gentium in clausos esse vertendos.

Theoria libertatem navigationis fluviaticae asserens hodiedum apud cultas gentes communiter recepta est, immo vero a Congressu Viennensi 1815 in principium erecta fuit, proclamatum denuo quoad Danubium per Congressum Parisiensem 1856 et Foedus Berolinense 1878, ac postremo in Collatione Africana 1885 iterum recognitum relate ad flumina Niger et Congo appellata.

85. Ad *commercium* internationale quod attinet, illud situm est passim in emendo, vendendo et permutando res ac pecunias inter diversos Status. Hac super re tria generalia principia cum suis consectariis stabilire satis sit.

1[um] Principium: Ipsa natura nationes ordinat at-

que impellit ad mutuum commercium; et hoc quidem propter propriam utilitatem, juvamen et indigentiam.

2.um Principium: Commercium (ob pacificam gentium permixtionem, varietatem et copiam objectorum, inspectionem locorum distantium, juges stimulos, mutuam ingeniorum communicationem, multiplicem usuum et consuetudinum contactum ac collationem) tamquam medium aptissimum et validissimum putandum est incrementa materialia promovendi, scientias amplificandi, artes excolendi, moresque temperandi, summatim, veram culturam socialem augendi atque fovendi.

3.um Principium: Nulla gens adstringitur officio proprie dicto seu *perfecto* ad negotiationes cum altera natione faciendas, sed tantum cogitur ad commercium internationale obligatione mere *imperfecta,* quae tamen, propter extremam alicujus gentis necessitatem, vel propter contractus aut pactiones, *perfecta* devenire posset stricta ratione justitiae.

Ex primo principio sequens corollarium eruitur: quodlibet impedimentum aut injustum cujusve nationis monopolium in materia negotiationis internationalis jus naturae aperte laedit.

Ex secundo principio hoc infertur consectarium: egoismus internationalis seu denegatio aut detrectatio mutui commercii inter diversas gentes conceptui atque evolutioni verae et proprie dictae culturae directe et plane adversatur; etenim omnes philosophi, historici atque politici in eo consentiunt, quod in schala seu ordine culturae nationalis maximum gradum commercium obtinet, medium locum occupat agricultura et artium mechanicarum usus, postremum autem locum tenet rudissimum vitae genus, quod in solo venatu aut pastione consistit.

Ex tertio principio tria consectaria colliguntur: a) nulla natio cogi potest, ut alterius commercium admittat, resque quibus abundat, alteri vendat, nisi haec,

prouti supra iunuimus, magna indigentia et necessitate laboret, aliterque vitam et existentiam servare nequeat; [b]) cum libera sint negotiationes et commercia, integrum est cuique nationi mercium extranearum importationem vel propriarum exportationem aut penitus prohibere, aut debitis vectigalibus coercere, quotiescumque id expostulat utilitas publica seu bonum proprium hujusce gentis; [c]) jus proprie dictum commercium cum alia natione exercendi solummodo acquiritur vi pactionum, quibus determinantur conditiones istarum negotiationum.

86. *Ministeria (servicios)* internationalia nominantur quidam famulatus seu officia quae Status tamquam personae juridicae societatis internationalis sibi praestare solent triplici intuitu mutuas relationes fovendi, negotia communia moderandi, necnon commercium internationale efficacius promovendi augendique.

Ejusmodi minísteria a nationibus in proprium commodum atque mutuum juvamen implenda, ad sex praecipua capita recte revocari queunt, videlicet: circulationem tabellariam *(correos)*, telegraphum *(telégrafos)*, vias ferreas *(ferrocarriles)*, resolutiones salutiferas *(medidas sanitarias)*, uniformitatem ponderis ac mensurae *(uniformidad de pesos y medidas)* atque unitatem nummariam *(unificación de monedas)*.

87. Omnes optime norunt praestantiam atque utilitatem cursus tabellarii internationalis (correo internacional), ut communicatio gentium magis augeatur, et reciprocae Statuum relationes firmius regulentur ac tutius serventur; ex quo factum est, ut recentiori aetate nationes atque gubernia huic speciali ministerio adimplendo et perficiendo sedulam curam impenderunt, pactionesque hac de re inire saepius festinarunt.

Primum habita sunt pacta particularia, veluti Unio veredaria (postal) per Austriam et Borussiam anno 1850 firmata, cui assensi sunt plerique Status Germani-

ci; dein vero gratia inducendi uniformitatem, proponente ac consulente Germania, coacti sunt Bernae anno 1874 vices Statuum gerentes ad constituendam et obsignandam *Unionem veredariam universalem*, ex qua ortum ducit postrema epocha historiae conventionum de hoc argumento pertractantium (1).

88. Supervacaneum prorsus esset ostendere quantum utilitatis cunctis populis afferre telegraphi inventionem ad facilem celerioremque reddendam communicationem inter gentes: hinc ab initio hujus pretiosi inventi nationes cultae nihil intentatum reliquere pro diffundendo atque uniformiter regulando hoc famulatu internationali.

Primi conatus effectus tantum relativos et partiales sortiti sunt, uti Unionem telegraphicam anno 1850 inter Germaniam et Austriam celebratam, cui paulo post subsequuta est Unio inter Galliam et Belgium firmatam, adstipulantibus nonnullis aliis Statibus; sed cum omnes summopere exoptarent quamdam adsociationem generalem, quae limites unius vel alterius nationis transiliret, atque regulas uniformes communicationi telegraphicae cunctarum gentium applicandas complecteretur,

---

(1) La convención de Berna fué un acontecimiento fecundo en ventajas para los servicios postales, puesto que dió por resultado las siguientes mejoras: 1.ª, la libertad absoluta de tránsito de las cartas y de los paquetes postales á través del territorio de las potencias contratantes; 2.ª, la simplificación de las cuentas entre los Estados, á propósito del envío de cartas y de objetos; 3.ª, una baja considerable de las tarifas para el público; 4.ª la supresión de las fronteras en materia postal, formando un solo territorio todos los paises comprendidos en la union; 5.ª, la fijación de las formas diversas bajo las cuales tiene lugar la correspondencia internacional (cartas sencillas, certificadas, abiertas, etc,); 6.ª, la fundación de un órgano general de la Unión postal acordada por el Congreso de Berna, creándose efectivamente en esta ciudad una oficina internacional, cuya misión era recoger y publicar las noticias relativas al servicio internacional, dar su opinión sobre las cuestiones contenciosas que pudieran surgir en las relaciones postales, facilitar la liquidación de cuentas entre los Estados, y desempeñar otras funciones análogas.

tandem anno 1865 convocata es Parisiis Collatio internationalis, in qua pro moderanda administratione telegraphica apud omnes Status instituta fuit *Unio telegraphica universalis*, cujus principia, aucta et explicata per conventiones Viennensem, Romanam, Petropolitanam ac Londinensem, hodiedum ubivis gentium vigent (1).

Recenseri etiam merentur, cum de communicatione telegraphica agitur, duae aliae Collationes internationales rogatu Gubernii Gallici annis 1882 et 1883 Parisiis habitae, quae ansam dedere novae Conventioni per plures Status receptae causa tuendi atque in tuto funes (cables) submarinos ponendi.

89. Res quoque explorata est mutui commercii atque exterarum gentium relationum magni interesse vias ferreas diversorum Statuum inter se connecti, ut, communicatione internationali undequaque intercedente, et negotiationes mercantiles frequentari possint, et cuncti terrae populi mutuum praesidium facillime sibi praestare queant.

Attamen in praesentiarum haud adest aliqua conventio ferroviaria, quae conjunctionem internationalem praescribat vel usum generalem hujusmodi communica-

---

(1) A continuación insertamos las principales disposiciones de la Conferencia de Paris de 1865:

1.ª Todas las potencias que han firmado las convenciones y todas las sociedades particulares explotadoras de telégrafos forman una sola *Unión telegráfica universal.*

2.ª La explotación del monopolio de los telégrafos por los gobiernos está subordinada á reglas uniformes en lo que concierne á la correspondencia telegráfica internacional.

3.ª Se adopta una forma determinada para las comunicaciones telegráficas, según que son oficiales ó privadas.

4.ª Reglas distintas se establecen para el modo de comunicación de los despachos, segun que se refieren al gobierno, al servicio telegráfico ó á los particulares.

5.ª Las tarifas pagadas por el público se reducen en lo posible, y las cuentas entre los Estados, también en lo posible, se simplifican.

Al mismo tiempo se creó como órgano de la Unión con domicilio en Berna la oficina internacional de las administraciones telegráficas.

tionis medii moderetur, ad instar pactionum, quas supra meminimus, Unionem universalem quoad circulationem tabellariam atque telegraphicam statuentium; quamvis enim omnes communi calculo necessitatem hujusce systematis unitarii agnoscunt et fatentur ad peragendam tuto ac oeconomice exportationem vel importationem internationalem mercium, nondum autem in communem decisionem aut generalem normam perventum est. Hac super re gubernia ad summum consensere in exstruendis sumptibus communibus quibusdam viis ferreis magni momenti commercio universali vel Statibus paciscentibus (1).

90. Statibus, quibus demandatum est munus bonum commune societatis tutandi, custodiendi ac promovendi, incumbit praecipua cura saluti publicae prospiciendi, cum populis imminet gravissimum luis periculum; at cum nihil vel parum prosint singulares conatus pro hujusmodi magnis calamitatibus praepediendis, quia, teste experientia, nec strictiores prohibitiones, nec catenae aut obsidiones salutares (cordones sanitarios), neque quadragenarium tempus (cuarentenas) vitando contagio sufficiunt, nisi omnes Status actionem efficacem et collectivam exerceant, hinc exsurgit imperiosa necessitas praescriptiones hygienicas internationales ferendi, ut saluti gentium periclitandi recte consulatur. Age jam, dispositiones editae ad tuendam in casu cujuslibet epidemiae salutem publicam nationum, duplicis generis esse possunt, nimirum *positivae* et *negativae*, prout sibi proponant auxilium praebere concivibus in extera gente residentibus (2), vel pro scopo

---

(1) Vemos, por ejemplo, que Italia y Francia se han asociado para perforar el tunel de Mont-Cenis; é Italia, Suiza y Alemania concluyeron una convención relativa á la construcción á sus expensas de una vía férrea á través del San Gotardo.

(2) Entre las medidas sanitarias *positivas*, segun el texto de las Convenciones internacionales relativas á la materia, merecen mencio-

habeant efficaciter impedire contagii propagationem ex uno in alium Statum (1).

Quod vero Jus Internationale respicit, opera et ductu Napoleonis III habita est Parisiis anno 1850 prima Collatio salutifera internationalis, quae, assentientibus plurimis Potentiis, Conventionem hygienicam 1853 genuit; nihilominus, licet pleraque Europae gubernia ideae atque menti Collationis Parisiensis plenam assentionem praestiterint, paucissima autem Conventionem receperunt. Quamobrem novae Collationes salutares Constantinopoli annis 1859 et 1866 celebratae sunt ad revidendam, amplificandam et sanciendam primaevam Parisiensem, quin meliorem exitum obtinerent; iterumque duae aliae Collationes ejusdem generis congregatae fuere, altera Viennae anno 1874, atque altera Romae anno 1885, quamvis neutra generalem approbationem nacta est propter difficultatem formulam inveniendi, quae commercio quascumque limitationes respuenti ac populis tutam protectionem adversus lues reclamantibus simul responderet.

91. Natura atque praestantia commercii nostris diebus, necnon mirum incrementum et jugis evolutio recentioris industriae maxime postulabant merces ponderandas resque metiendas normae tutae ac aequali regulae accommodari; et quidem post varia experimenta a guberniis tentata pro assequenda et constabilienda uniformitate ponderis ac mensurae, demum apud

---

narse principalmente: 1.ª permitir los Estados vecinos, cada uno á los médicos y á los que ejercen profesiones análogas en el otro, practicar su arte en condiciones de perfecta igualdad con los médicos del país y con los mismos derechos; 2.ª admitir á los súbditos de las potencias contratantes, bajo la base de perfecta igualdad, en los hospitales de los dos paises; 3.ª regular el modo de verificar las inhumaciones.

(1) Se consideran como medidas sanitarias *negativas* todas las disposiciones adoptadas en común por las naciones de Europa contra la invasión de epidemias, tales como el cólera, la peste, la fiebre amarilla importadas generalmente del Oriente.

cunctas nationes adoptata est conventio internationalis *metri.*

Ejusmodi conventio plenam firmitatem ac robur potentissimum sortita est in Collatione Parisiensi anni 1875, in qua Status Europae atque Americae memoratum condictum sanxerunt et obsignarunt (1).

92. Cum relationes internationales novissima aetate adeo excreverint, valde consentaneum esset omnes Status systema monetale ubique uniforme stabilire atque acceptare, ut ita communicationes gentium faciliores redderentur et negotiationes mercantiles expeditiores fierent; verumtamen usquemodo Collationes internationales ea mente ac consilio habitae, ut principium proclamarent unificationis nummariae, nihil vel parum profecerunt.

Hac super re meminisse tantum sufficiat duplicem unionem monetalem, videlicet, latinam et scandinavicam: prima anno 1865 instituta Belgium, Galliam, Italiam, Helvetiam atque Graeciam complectitur, et agnoscit uniforme pondus, eumdem valorem et reciprocum cursum cujuslibet nummi aurei vel argentei; altera anno 1873 fundata ex Svedia, Norvegia et Dania conflatur, atque aurum habet veluti archetypum nummarium (2).

---

(1) Las potencias contratantes convinieron en establecer en París la *Oficina internacional de pesos y medidas*, colocada bajo la dirección é inspección del *Comité internacional de pesos y medidas*, el cual depende á su vez de la *Conferencia general de pesos y medidas*, compuesta de delegados de todos los gobiernos signatarios de la convención.

La oficina creada en París tiene por objeto comparar y examinar los nuevos prototipos del metro y del kilógramo, conservar los prototipos internacionales y reconocer, á petición de los funcionarios ó de los particulares de todos los paises, los instrumentos y objetos de toda especie de medición.

(2) En comprobación de cuán lejos está de realizarse el proyecto de la unidad monetaria internacional, basta citar el siguiente dato: tienen por patrón monetario el oro Alemania, la Gran Bretaña y la Unión Escandinava; la plata Rusia y Austria; reconocen el tipo doble, esto es, el oro y la plata á la vez, España, Rumania y los países de la Unión Latina, á saber, Bélgica, Francia, Italia, Suiza y Grecia.

CAPUT III.

OBLIGATIONES INTERNATIONALES.

ARTICULUS I.

SUMMARIUM.

93. Notio *obligationis*.—94. Obligationes internationales.—95. *Causa efficiens* relationum in Jure gentium seu origo obligationum internationalium.—96. *Foedera publica*.—97. Conditiones essentiales ad validitatem ejusmodi pactionum.—98. Classificatio Foederum.

93. Obligatio in Jure Romano definitur: ***Juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendae, secundum nostrae civitatis jus;*** juxta Codicem Partitarum obligatio nuncupatur: ***Ligamento que es fecho segun ley é segun natura.***

Ex allatis definitionibus recte colligitur in omni obligatione adesse relationem ***(vinculum, ligamento)*** inter duas personas, alteram cui competit jus, alteram autem, cui incumbit officium ferendi exsecutionem juris, quae personae passim denominari solent subjectum activum *(acreedor)* et subjectum passivum ***(deudor).***

Ex praelaudatis etiam verbis Codicis Partitarum *segun ley é segun natura* desumpta est primaria divisio obligationum in mere naturales, civiles et mixtas; ***mere***

naturales quae aequitate tantum nituntur; *civiles* quae vim obligatoriam ex lege civili mutuantur; *mixtae* quae aequitate et juris civilis auctoritate simul fulciuntur.

Demum ex praefata notione eruitur tria elementa essentialia ad veram obligationem constituendam omnino requiri, videlicet, causam, unde oriatur, personam, quae ipsam contrahat, atque rem seu objectum circa quod versetur.

94. His praehabitis obligationes internationales optime dici possunt juxta conceptum Juris Romani: *Juris vincula quibus Status necessitate adstringuntur alicujus rei solvendae, secundum societatis internationalis jus*; vel, si magis arrideat notio Alphonsi X in lege Partitarum: *Ligamento que es fecho* (entre las naciones) *segun ley* (derecho pacticio) *é segun natura* (derecho natural).

95. De Statibus tamquam *subjecto* tum activo tum passivo Juris Internationalis, deque rebus quae hujusmodi Juris *objectum* esse queunt, utpote nationum facultati subjectae ad finem societatis internationalis comparandum, in praecedentibus capitibus summatim egimus, modo jubat aliquid pertingere de *causa efficienti* relationum, quae in Jure gentium oriri et excoli possunt, seu quod idem est, de origine obligationum internationalium.

Et sane, sicut in Jure Privato, uti in nostra *Introductione in Jus Ecclesiasticum* (1) animadvertimus, praeter subjectum seu personas correlative facultate pollentes vel obligatione ligatas, atque etiam praeter res sive objectum circa quod facultas versetur vel in quod ipsa obligatio cadat, ad constituendum jus requiritur positio actus peculiaris, quoddam nempe factum determinatum et specialiter intentum, ex quo tamquam ex *causa* relatio juris oriatur, atque veluti ex vinculo connexio sub-

---

(1) Cap. I, art. I, num. 6.

jectum inter et objectum exsurgat, ita etiam in Jure Internationali nec dari nec concipi valet vera relatio juridica inter Status, ac proinde obligatio internationalis proprie dicta, nisi prius supponantur et habeantur quaedam facta vel actus juridici, ex quibus, recte ac legitime derivetur tum relatio juris tum stricta gentium obligatio.

Nunc vero relationes Juris Internationalis tribus causis tribui possunt, atque idcirco obligationes internationales ex triplici fonte originem ducunt, nempe, ex *pactionibus* seu contractibus (consensu expresso), ex *quasi contractibus* aut actibus licitis (consensu praesumpto) atque ex *delictis* seu actibus illicitis (actione culpabili et imputabili).

96. Contractus in Jure gentium vocantur passim *Foedera publica* (Tratados) et optime definiri queunt: *Pactiones inter duos aut plures Status auctoritate publica et suprema sancitae gratia instituendi, modificandi vel definiendi quamlibet relationem juridicam internationalem.*

Pacta internationalia praeter indolem *propriam* contractus circa multiplicia negotia cunctis Statibus communia versantis, veluti res juridicas, politicas, territoriales, mercantiles, etc., naturam *exceptionalem* seu transitoriam induunt legis internationalis, quousque condatur et promulgetur Codex internationalis mutuas gentium relationes regulans.

Quapropter pro hac novissima Disciplina juridica addiscenda, necnon pro recte solvendis quaestionibus apud nationes obortis ad Foedera publica necessario confugiendum est; hinc prae oculis indesinenter haberi debent tamquam potissimum fundamentum legislationis internationalis positivae sequentes pactiones: Westfaliensis anno 1648 initum ad bellum *triginta annorum* finiendum; Ultrajectensis anno 1713 habita adjudicandi ergo Philippo V dynastiae Borbonicae Coronam Hispaniae; Viennensis anno 1815 celebrata praestantissimo

scopo opus perturbationis et usurpationis a Napoleone consummatum evertendi, libertatem fluvialem stabiliendi, commercium nigritrarum abolendi, aliasque spectatissimas deliberationes evulgandi; Parisiensis anno 1856 sancita pro conclusione belli Orientis, in qua equidem editus fuit Codex maritimus; Francofordiensis post bellum Franco-Borussicum anno 1871 firmata causa Galliam cogendi ad traditionem Alsatiae et Lotharingiae, quae provinciae novo Imperio Germanico essent adnectendae; Berolinensis occasione belli Rusio-Turcici anno 1878 obsignata, in qua proclamata est independentia Serviae, Rhumaniae ac Montis Nigri.

97. Ad firmitatem pactionum inter Status eadem requisita essentialia desiderantur, quae ad validitatem contractuum inter privatos necessaria sunt, nimirum, capacitas paciscentium, libertas consensus et aptitudo materia seu objecti, quae postrema conditio *causa licita* ab aliis denominari solet: de singulis pro re nostra perpauca delibabimus.

1.° *Capacitas paciscendi.* Cum personalitate propria vel genuina repraesentatione tum coram Jure tum coram Societate internationali fruantur non modo Status, verum etiam Supremi Moderatores eorumque Agentes Diplomatici, sub triplici respectu considerare oportet capacitatem contrahendi, scilicet quoad ipsas nationes, rectores gentium atque ministros *plenipotenciarios* nuncupatos.

a) Quod ad nationes spectat, res comperta est Status *supremos* plena capacitate gaudere sese obligandi: si vero de Statibus *compositis* agatur, pro determinanda personalitate juridica et habili ad contrahendum, necesse est attendatur indoles ac natura compositionis; Status compositi per *unionem personalem*, singuli aptitudine pollent paciscendi atque se obstringendi, quoniam nativam independentiam retinent; quod si conjunctio *realis* fuerit, novo Statui ex fusione emergenti tantum

inest facultas negotiationes et pacta cum exteris gentibus ineundi; in *confoederatione* singula membra seu Status, ex quibus adsociatio communis conflatur, legitimo jure potiuntur obligationes internationales contrahendi, quippe unusquisque proprium imperium (soberania) tam internum quam externum asservat; in *foederatione* autem jus pactiones celebrandi et concludendi in potestate centrali per foedus constituta solummodo residet: Status *semi-supremi* idoneitate juridica ad paciscendum ut plurimum carent, cum hujusmodi capacitas Statui, a quo pendent, passim vinculari soleat: Status *protecti* memorata facultate etiam orbantur, quia Protectori incumbit officium eorum jura in ordine exteriori tuendi: populi denique *inculti* et *barbari*, quamvis jus insitum atque recognitum habeant obligationes suscipiendi et foedera cum caeteris nationibus stabiliendi et firmandi, attamen illud exercere nequeunt, nisi quibusdam limitationibus subauditis tum quoad res seu negotia tum quoad modum seu formam; etenim ob defectum civilitatis vel sufficientis culturae plena firmitate de suis actibus internationalibus atque de fideli pactorum observantia minime respondere queunt.

b) Sed cum Status utpote entitas collectiva et moralis per se contrahere nequeat, existere debet in quavis natione aliquod subjectum hujusce facultate praeditum, unde exsurgit necessitas capacitatem Summorum Imperantium definiendi. Haec altissima persona juridica, nomine Status praefata attributione insignita, licet in lege fundamentali (constitución) uniuscujusque nationis explicite designari consuescat, nihilominus recte determinari valet *a priori*, spectata tantum diversa regiminis forma.

In Statibus *absolutis* facultas foedera publica paciscendi atque sanciendi Supremis Moderatoribus competit vel eorum vices gerentibus; in Statibus *democraticis* ejusmodi jus nationi inhaeret, atque ejus loco

Comitiis (Cámaras) Gubernii seu potentiae exsecutivae; in Statibus *repraesentativis* aptitudo et attributiones ad obligationes cum exteris populis contrahendas in utroque elemento reperiuntur, nimirum, in Monarcha et Comitiis.

c) Demum Agentes diplomatici *plenipotentiarii* appellati jure pangendi quoque pollent, dummodo nomine Statuum eorumque Rectorum agant; attamen pactiones per hujusmodi repraesentantes initae, juxta morem apud nationes communiter receptum ratihabitione (ratificación) egent veluti complemento necessario negotiationum atque foederum, quamvis illa in conventione non explicite reservata fuerit.

Dicitur ratihabitio, sanctio atque approbatio a Summis Imperantibus impertita pactis per ministros plenipotentiarios factis et firmatis, ut ita cunctis innotescat mandatarium limites facultatis et extensionem mandati minime esse transgressum, sed mentem mandantis recte assequutum fuisse. Ratihabitio vim obtinet suspendendi exsecutionem conventi, atque valorem retroactivum pactionibus donandi, ita ut vigere ac cogere incipiant a data subscriptionis, non autem a die approbationis.

2.° *Libertas consensus.* Requiritur etiam ad validitatem conventionum, ut consensus per partes praestitus sit plene liberus, adeo ut paciscentes sint sui compotes simulque agant cum deliberatione necessaria ad obligationem moralem ac juridicam inducendam; secus enim non adesset vera voluntas, neque idcirco gigni posset perfecta obligatio.

Libero consensui opponuntur nonnulla vitia, quae pacta internationalia irritant, sicut eadem ratione contractus in jure civili invalidant; quoad jus gentium positivum duo tantum vitia irritantia recenseri merentur, videlicet, error *substantialis* (non mere accidentalis) atque vis seu coactio *physica* (non vero moralis);

error substantialis conventionem nullam reddit, quia tunc deficit fundamentum cujusve contractus, id est, verus consensus, qui in rem prorsus et essentialiter diversam cadit; vis seu coactio physica pactiones internationales irritat, quia in hoc casu non habetur plenus ac perfectus consensus ad contrahendum requisitus; ita scimus Franciscum I Galliae optimo jure rescissionem intendisse pacti cum Carolo V Matriti initi ob defectum libertatis; etenim, cum sub captivitate detineretur, nullo pacto perfectum consensum praestare potuit.

Ex vitiis libertati consensus contrariis eliminavimus tum *laesionem*, licet gravem aut enormem, quia supponi debet Status eorumque repraesentantes plenam conscientiam habere suorum actuum, relationum judicarum, quas ipsi contrahunt, necnon consectariorum, quae ex conventis exsurgere possent; tum errorem *accidentalem*, quoniam cum eo recte consistere ac componi valet consensus prorsus voluntarius circa objectum principale foederis; tum denique coactionem *moralem*, secus enim gravissima incommoda sequerentur; sic ex. gr. si pactiones pacis rejici atque invalidari possent, eo quod natio devicta sub aliqua pressione sit Status victoris seu expugnatoris, logice deveniendum esset ad conditionem exitialem et vere lugendam, nempe, ad bella excidii et eversionis.

3.° *Aptitudo materiae.* Tertia conditio essentialiter requisita ad valorem conventionum internationalium in eo sita est, ut materia, circa quam versatur, sit possibilis physice, moraliter atque juridice: *physice*, quia quod de facto impossibile est, ceu nullum reputatur; *moraliter*, siquidem quodcumque aeternis ac immutabilibus honestatis naturalis principiis reluctatur, intrinsece malum est, omnino illicitum habetur et prorsus irritum aestimatur; *juridice*, quia omne pactum Juri Internationali repugnans semper censeri debet tam-

quam res penitus reprobanda, nec acceptatione digna, neque exsecutioni mandanda.

98. Foedera publica diversimode distingui ac denominari solent; brevitatis gratia heic praecipuas divisiones subjungimus.

Pacta internationalia possunt esse: 1.° *realia* et *personalia; realia* vocantur quae circa materiam determinatam versantur, Status obstringunt et vim cogendi indefinite habent; *personalia* nominantur quae de componendis negotiis inter Monarchas vel inter ipsos atque privatos disserunt, ideoque Summos Imperantes tantum adigunt, vimque obligatoriam pro tempore definito obtinent, nimirum, vivente aut regnante Monarcha; eorum ratio in Jure Internationali non habetur, quia personas solummodo afficiunt, puta celeberrimum pactum stirpis Borbonicae sub Philippo V initum: 2.° *perpetua* et *temporalia*, passim *permanentia* et *transitoria* nuncupata; *perpetua* seu *permanentia* appellantur illa quorum observantia tempore continuo ac successivo perdurat, uti foedus commerciale; *temporalia* aut *transitoria* denominantur ea quorum adimpletio fit unico actu et tempore determinato, velut pactum cessionis territorialis: *aequalia* et *inaequalia*, prout mutuam stipulantur paciscentium obligationem (quo in casu *pacta synallagmatica* recte vocantur), vel unius tantum partis obligationem inducunt (et tunc saepius *conventiones* audiunt): *principalia* et *accessoria; principalia* considerantur quae per se subsistunt; *accesoria* sunt quae ab alio dependent, uti pactiones pignoris et hypothecae in cautionem foederis principalis stipulatae: *nominata* et *innominata;* dicuntur *nominata* ea quae nomen proprium ac singulare in Jure gentium obtinent, ex. gr. pacta confinium, cessionis, extraditionis, aliaque id genus; *innominata* e contra nuncupantur quae denominatione propria in Jure Internationali carent, ideoque designari solent sicut in ordine civili per formulam com-

munem *do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias* ex Jure Romano depromptam: denique *absoluta* et *conditionata; absoluta* putantur quae nulli conditioni subsunt, ac proinde immediato valore pollent; *conditionata* autem censentur quae alicui conditioni subjacent, ex cujus adimpletione pendet validitas vel nullitas conventionis.

De hisce pactis conditionatis duo animadvertere oportet: 1.° conditionem, aeque ac foedus, sub triplici respectu physico, morali ac juridico possibilem esse futuram; 2.° duas praecipue recenseri conditiones, nimirum, suspensivam et resolutoriam; *suspensiva* appellatur quae validitatem pactionis eventui futuro ac incerto annectit; *resolutoria* cognominatur vice-versa illa conditio quae irritationem contractus adimpletioni cujusdam futuri successus devincit.

ARTICULUS II.

SUMMARIUM.

99. Quaenam spectari debeant in publicis Foederibus.—100. Forma.—101. Cautiones (garantías).—102. Interpretatio.—103. Suspensio. 104. Extinctio.—105. Prorogatio.—106. *Quasi-contractus.*—107. An ex quasi-contractibus obligationes internationales oriantur.—108. *Facta illicita.*—109. Utrum actus illiciti obligationes inter gentes gignere queant.

99. Relate ad Foedera publica sex capita sedulo distinguere decet, ut doctrina juridico-internationalis hac super re plane innotescat et simplici obtutu retineatur, nimirum, formam, cautiones, interpretationem, suspensionem, extinctionem atque prorogationem hujusmodi pactorum.

100. Primum, in stipulatione foederum inspicienda est forma, quae quidem sita est in solemnitatibus extrinsecis necessario adimplendis pro ostendenda et comprobanda veritate atque existentia conventionis.

Forma igitur tria complectitur: 1.° *negotiationes*, hoc est, collationes, discussiones, communicationes, caeteraque praevia acta ex utraque parte paciscente habenda, ut ad mutuam intelligentiam deveniatur; 2.° *conventionem praeviam*, in qua concinnantur bases generales seu principia, quibus attemperari debet foedus; 3.° *pactum definitivum* per solemnem scripturam initum atque sancitum.

Pactio definitiva tribus quoque partibus constat, capite, corpore et conclusione: *caput* seu initium, post formulam generalem aut religiosam invocationem *in nomine Dei Omnipotentis* nomina continet partium contrahentium atque agentium diplomaticorum cum explicita declaratione factae exhibitiones documentorum, quibus plenipotentia confertur; *corpus* Foederis in forma articulorum inserit res seu materias, circa quas conventio versatur; *conclusio* demum datam et subscriptionem exhibet omnium repraesentantium, qui suo interventu, concursu aut participatione foederi stipulando vires contulerunt.

101. Omnes juristae communi calculo agnoscunt cautionum (garantías) necessitatem pro urgenda observantia pactionum internationalium, eo ipso quod nondum constitutum sit Tribunal superius internationale facultate munitum gentes adstringendi ad mutuam obligationum adimpletionem.

Ad ejusmodi scopum obtinendum pro varietate temporum diversa media excogitata et adhibita sunt: apud populos antiquos (uti penes Romanos qui ministerio sacerdotum *fecialium* ritus speciales usurpabant) servatae fuere quaedam solemnitates religiosae quae recentiori aetate in desuetudinem prorsus abierunt; medio aevo invaluit juramentum seu invocatio Dei tamquam perjurii ultoris, quod equidem Legati tunc temporis praestabant *in animam principis aut populi*, sed a dimidio saeculi XVIII haud viget; aetate nova media

cautionis frequentius usitata pro roboranda et tutanda observantia pactorum ad triplex genus revocari possunt, scilicet, *obsides* personarum regiae dynastiae vel stirpis spectatissimae, *pignora* rerum praesertim immobilium (ut plurimum militarem occupationem alicujus partis territorialis vel quarumdam arcium ad dominium Status obligati spectantium), atque *fideijussionem* vel unius Status et tunc *simplex* vocatur, vel duorum aut plurium Statuum et tunc *composita* nuncupatur.

Attamen hodiedum apud nationes majori acceptatione gaudet prae omnibus assecurationis mediis supra memoratis arbitratus, in eo positus quod sententiae arbitri vel decisioni tribunalis arbitralis subjiciantur cunctae controversiae ac dissentiones propter executionem et observantiam foederum inter Status obortae. Hinc nonnullae Potentiae, veluti Status Unionis Americanae, Italia, Anglia, aliaeque in suis Comitiis palam proclamarunt necessitatem promissionem aut clausulam arbitralem in omne pactum internationale inducendi.

102. Foedera publica utpote duplici charactere insignita, nempe, vi legis *internationalis* a nationibus paciscentibus servandae, unaque vigore legis *interioris* singulos cives Statuum contrahentium obstringentis, interpretatione quandoque indigent veluti caeterae leges.

Hac super re satis sit in memoriam revocare praecipua interpretationis genera, ac simul inquirere quaenam in Jure Internationali usum et applicationem habere possit.

Quoad diversas interpretationis species operis pretium ducimus heic leviter insinuare tritam divisionem, quam communiter tradunt auctores alias origini interpretationes attendendo, alias vero ejus modum potius spectando: ratione *principii* seu *originis* tribui solet interpretatio in *authenticam*, *usualem*, *judicialem* ac *doctrinalem*, prout a legislatore, consuetudine, judice vel

privatis juristis procedat; ratione *modi* distingui valet in *logicam*, *historicam* atque *grammaticalem*, prout in facienda interpretatione prae oculis habeantur rectae rationis principia, vel peculiaria rerum ac temporum adjuncta, vel proprietas et usus verborum (1).

Age jam omnia interpretationis genera supra relata locum et applicationem obtinere queunt in ordine internationali: *authentica*, quia ipsi Status seu partes paciscentes suam mentem directe ac immediate declarare possunt; *usualis*, quia omissiones et ambiguitates pactorum saepenumero vi consuetudinum suppleri aut enucleari valent; *judicialis*, quoniam clausulae conventionum solent interdum explanari ac definiri in ordine exteriori per tribunalia internationalia, atque in ordine interiori per tribunalia uniuscujusque Status contrahentis; *doctrinalis*, etenim quamplurimi scriptores et egregii jurisperiti huic argumento internationali exponendo sedulam operam navarunt; *logica*, quippe passim antinomiae per recta philosophiae principia recte explicantur; *historica*, nam pro assequendo genuino cujuslibet pactionis sensu, plurimum lucis ac juvaminis praestant peculiaria adjuncta ex negotiationibus praeviis et foedere prolusorio desumpta; *grammaticalis* demum, quandoquidem cunctis patet significationem propriam ac communem verborum, necnon usurpationem vocabulorum in sensu technico atque scientifico non paucas difficultates et dubia in substrata materia solvere.

103. Duae praecipuae causae enumerantur suspensionis foederum internationalium, videlicet, bellum atque inobservantia obligationum: 1.° occassione *belli* suspenduntur inter nationes pacta quae denominantur socialia, uti commercii, navigationis, conventionum

(1) De interpretatione cons. nostrum opus, cui titulus: *Introductio in Jus Ecclesiasticum, tum Generale, tum Hispanicum*, cap. I, art. VI, pág. 64.

pro mercibus inspiciendis (aduaneras) vel communicatione veregaria stabilienda (postales); sed pactiones politicae vigorem penitus amittunt: 2.° inobservantia obligationum internationalium ex parte unius Status alteri Statui paciscenti originem ac facultatem praebet repetendi et urgendi fidelem exsecutionem conventi vel quaecumque media coactiva in Jure gentium recepta adhibendi, vel saltem suspendendi, si vi coercitivae sponte valedixerit, foederis adimpletionem.

104. Foedera publica inter gentes inita multiplici ratione extingui possunt; 1.° per exsecutionem rei conventae, cum agitur de obligatione aliquid determinatum actu vel successive praestandi; 2.° per imposibilitatem executionis, velut si Status sua independentia privetur, vel in alteram nationem fundatur, vel res pacta ipso invito pereat; 3.° per impletionem conditionis resolutoriae, cujus superius meminimus; 4.° per denuntiationem, quando aliqua pars contrahens hoc jus sibi reservaverit; 5.° per renuntiationem, si cuive Statui ejusmodi facultas adesset; 6.° mutuo paciscentium consensu, quoties jus quaesitum tertii Status non laedatur.

105. Pactiones denique apud gentes stipulatae interdum etiam prorogari assolent, quod quidem triplici potissimum pacto fieri potest: 1.° clausula explicita foederis, *tacita reconductione* appellata, in qua partes contrahentes aperte declarant, non intercente denuntiatione quodam tempore, definito, pactum pleno vigore atque vi obligatoria iterum esse donandum; 2.° nova conventione inita, sive ante sive post tempus priori pacto praestitutum, et cum iisdem clausulis vel nonnullis modificationibus inductis; 3.° tacito consensu Statuum, id est, continua exsecutione seu actibus implicitis renovationem aut productionem significantibus; tamen monere oportet foedera internationalia, quae hoc postremo modo protrahuntur, juxta declarationem Tribunalis superioris Galliae ad dirimendam quaestionem

inter quemdam Consulem Americae Septentrionalis et subditos privatos exortam, vigore tantum pollere ac valida proinde censeri quoad publica negotia, minime autem quoad civium particularium res, bona vel jura in pactione contenta.

106. Hactenus summatim explanavimus doctrinam juridicam circa obligationes internationales ex pactione seu contractu, id est, ex mutuo consensu profectas versantem modo autem de aliis obligationibus, quae Statibus absque conventione neque explicito consensu incumbunt, brevissime disseremus: exstant proculdubio tam in Jure civili quam in Jure internationali quaedam facta charactere juridico instructa, ex quibus originem ducunt speciales obligationes tum personas physicas seu individua, tum personas morales seu magnas collectivitates nationes nuncupatas respicientes; si ejusmodi facta legitimitate gaudent, exsurgunt actus liciti, qui *quasi-contractus* vocantur; sin vero facta illegitima fuerint, evadunt actus illiciti, qui in censum *actionum criminalium* referuntur.

Quasi-contractus definiri queunt: *Actus juridici obligationes inducentes vi voluntatis praesumptae, justitia, aequitate vel utilitate fulcitae;* ex praejacta definitione plane colligitur: 1.° discrimen inter contractum et quasi-contractum esse repetendum ex volutate sub diverso respectu sumpta; contractus voluntate *expressa* nititur, quia est conventio duorum vel plurium; hinc si onerosus sit, requiritur ex utraque parte cessio et acceptatio; si gratuitus exstiterit, requiritur cessio ex una parte et acceptatio ex altera; quasi-contractui autem sufficit voluntas *praesumpta*, quin necesse sit eam alteri parti exterius patefieri aliquo signo visibili; 2.° hanc voluntatis praesumptionem solidum fundamentum habere, scilicet, validissima rationum momenta ex justitia, aequitate aut utilitate deprompta; exinde Jurisperiti Romani tamquam firmissima quasi-contractuum principia haecce

effata adstruebant: [a]) *nemo ditescere vult cum alius detrimento*; [b]) *qui antecedens admittit, necessum est etiam admittat consequens*; [c]) *qui commoda sentit, incommoda quoque subire tenetur.*

107. Ex praenotatis pronum est conjicere quasi-contractus internationales recte dici posse: *actus juridici quibus Status vi voluntatis praesumptae obstringuntur ratione justitiae, aequitatis vel utilitatis.*

Definiendi ergo quasi-contractus internationales atque obligationes juridicas, quae ex iisdem proficiscuntur, consentaneum nobis videtur vel leviter insinuare doctrinam Juris civilis hac super re. Juxta Instituta Justiniani, Legem Partitarum; necnon plerosque Codices recentiores Jure Romano innixos, sex praecipuae recensentur quasi-contractus, nimirum: solutio indebiti; procuratio negotiorum alienorum sine mandato; administratio bonorum communium; procuratio atque administratio tutelae alienae; acceptatio haereditatis; ac demum administratio ejusdem haereditatis.

Ex memoratis quasi-contractibus tres priores tantum in Jure Internationali locum obtinent, obligationesque apud gentes gignere possunt, uti ex simplici eorum enuntiatione manifestum fiet: *solutio indebiti* est actus juridicus seu quasi-contractus unilateralis, quo tum privati tum Status praestationem quamlibet aut rem per errorem receptam reddere tenentur cum suis fructibus; *procuratio negotiorum alienorum sine mandato* sita est in actu juridico seu quasi-contractu bilaterali, vi cujus persona quaelibet singularis vel collectiva bona derelicta alterius personae individualis aut socialis administrat absque ejus commissione vel repraesentatione, ex quo exurgit mutua obligatio, personae gerenti munus incumbit bona fideliter custodiendi damnaque praecavendi, et personae beneficiatae officium inest ministeria, sumptus ac expensas procuratori redintegrandi; *adminstratio bonorum communium* in actu juridico seu quasi-contractu

bilaterali etiam consistit, quo Status vel quilibet privatus territorii aut rei pro-indiviso possessae curam gerit; hoc evenit apud privatos cum de bonis nondum divisis agitur, atque olim apud nationes contingebat, quando ob communem expugnationem vel detectionem administratio materialis et oeconomica alicujus territorii pari jure acquisiti peculiari Statui committebatur; ejusmodi quasi-contractus, ut cuique patet, sive administrantem sive committentem reciproce obligat, quippe ille officio tenetur rem seu bona recte curandi, hic vero ad curam gerenti retribuendum et resarciendum aequitate naturali adigitur.

Çaeteros quasi-contractus praetermittimus, quia hodiedum Juri Internationali vix aut ne vix quidem aptari possent; ex quo enim prorsus desierunt cessiones, donationes vel divisiones territoriales ab antiquis Monarchis factae, supervacaneum, immo vero irrisorium esset loqui apud Status politicos de procuratione tutelae alienae, de acceptatione haereditatis, vel de ejusdem administratione.

108. Inter fontes obligationum internationalium postremo loco memoranda veniunt facta illicita seu actiones criminales, sub qua denominatione intelliguntur quicumque actus offensionem, injuriam aut laesionem exteris gentibus inferentes; et sane, sicut in societate civili obvenire potest perturbatio civilis vel criminalis, prout ex errore aut ignorantia inficietur jus, vel plena deliberatione atque prava intentione violetur ordo juridicus, ita etiam in societate internationali duplex perturbatio evenire valet, *civilis*, cum dubium aliquod circa jura Statuum emergit, ex quo ut plurimum contentiones oriantur per media penes gentes recepta dirimendae; atque *criminalis*, quoties jura caeterarum nationum, non utique ob nescientiam aut erroneam interpretationem, in dubium vocantur, sed iniqua mente et nequissima intentione directe impetuntur et aper-

te vulnerantur: inde necessario exsurgit obligatio internationalis ordinem socialem actione culpabili atque imputabili apud gentes deturbatum ac violatum prorsus restaurandi. Igitur facta illicita per Status perpetrata originem infauste frequentissimam praebent existentiae atque adimpletioni obligationum internationalium, si notio justitiae ac principia aequitatis servanda sint.

109. Actus illiciti ab Statu laedente patrati duplex dannum inferre possunt materiale nempe ac morale; illud in parte physica seu ipsa re sensibili versatur, hoc vero dignitatem nationis laesae respicit: hinc actio damnificans vel injuriosa duas etiam obligationes Statui damnificatori aut offensori injungit, nimirum, reparationem materialem atque moralem.

Reparatio *materialis* propter factum illicitum aut injuriam debita fit: [a]) rem *restituendo,* hoc est, reddendo idem territorium, idem vexillum, eadem propugnacula, eosdem milites captos, ut ita nocumentum prorsus auferatur; [b]) damnum in specie *resarciendo,* quia sic postulat recta justitia; [c]) *compensando* quaelibet detrimenta ex positione actus illiciti profecta, etenim ponenti causam imputari debent ejus effectus. Reparatio *moralis* sistitur in praestanda Statui laeso plena satisfactione, simulque in sanciendis mutuis cautionibus, ne in posterum iteretur violatio.

CAPUT IV.

CONTENTIONES INTERNATIONALES.

ARTICULUS I.

SUMMARIUM.

110. Contentiones internationales.—111. Quomodo dirimantur.—112. Media *pacifica (via amicitiae)* dissidia inter gentes componendi.—113. *Negotiationes* directae.—114. *Officia benevolentiae.* —115. *Mediatio.*—116. *Arbitratus.*—117. Discrimen inter mediationem et arbitratum.—118. Natura juridica arbitratus.—119. Tribunal arbitrale.—120. *Congressus* ac *Collationes* internationales.

116. Superioribus capitibus brevitate, quam indoles compendiosa harum praelectionum requirit, praecipuas notiones tradidimus de subjecto atque objecto Juris Internationalis, necnon inquirendam curavimus causam efficientem relationum apud gentes seu originem obligationum internationalium: nunc autem ordo tractationis ab initio hujusmodi Synopsis praestitutus postulat, ut de contentionibus inter Status obortis aliquid delibemus.

Quaestiones apud nationes ex triplici causa oriri possunt: 1.° ex laesione jurium vel transgressione officiorum, quae tum negative tum positive *absoluta* appel-

lantur; 2.° ex violatione foederum vel inobservantia officiorum, quae *hypotetica* denominantur; 3.° ex diversa interpretatione jurium ac obligationum, quae in solemnibus pactionibus stipulantur.

111. Contentiones internationales triplici pacto dirimi queunt, scilicet: 1.° mediis pacificis seu *via amicitiae* (primus gradus processus internationalis); 2.° mediis coercitivis seu *via violentiae* (secundus gradus processus internationalis); 3.° mediis extremis seu *via belli* (postremus gradus processus internationalis).

112. Quamvis processus juridicus internationalis ratione finis ac objecti sit unus, quippe eumdem et communem scopum sibi proponat, solutionem nempe quaestionum, jurium restaurationem vel observantiam officiorum, quibus Status ad invicem devinciuntur; attamen ratione modi diversam formam induit, ex qua orta est quaedam progressio seu juridica gradatio.

Inter recursus, quibus nationes ad suos conflictus solvendos uti valent, primum locum obtinent media *pacifica*, *via amicitiae* passim nuncupata. Age jam, media, quae vigente amicitia, Status in vindicationem suorum jurium et obligationum internationalium adimpletionem adhibere possunt, ad quinque genera optime revocantur, nimirum: negotiationes, officia benevolentiae, mediationem, arbitratum atque congressus vel collationes in eumdem finem habitas; negotiationes diplomaticae ab ipsis Statibus directe geruntur, caetera autem media usurpari nequeunt, nisi accedente interventione aliarum nationum.

113. Primus modus dissentiones vel jura controversa inter Status componendi situs est in procurandis directis *negotiationibus*, quae *diplomaticae* vocantur, ut in mutuam intelligentiam deveniatur.

In primis enim, ejusmodi negotiationes incipiunt nominatione Agentium Diplomaticorum *ad hoc*, vel concessione specialium facultatum Legatis apud exteras

gentes residentibus facta, gratia judicandi ac decidendi litem vel controversiam exortam.

Deinde, pro re, de qua agitur, dilucidanda habentur collationes, sustentantur discussiones, adducuntur probationes, atque exhibentur omnia documenta, quae comprobare valent ex alia parte justitiam exigendi debitam satisfactionem aut adaequatam compensationem, ex alia vero obligationem ineluctabilem easdem plene praestandi.

Postremo, si negotiationes diplomaticae et mutuae gentium explicationes exitum felicem sortitae sint, actum est jam de quaestione, quia causa finiri solet vel vi conciliationis vel virtute transactionis; vi *conciliationis,* cum Status laedens vel dissentiens, rationibus justitiae atque aequitatis per Statum laesum vel reclamantem allatis permotus, ejus jus fatetur et ingenue agnoscit injuriam, si vere adfuerit offensio, vel errorem in aestimatione juridica rei controversae; virtute *transactionis,* quando Status contendentes aliquid sui juris reciproce cedunt pro obtinenda pacifica solutione et gravioribus malis vitandis.

114. Sed evenire poterit, ut aliquando frustrentur diplomaticae negotiationes, et tunc in Jure Internationali adhuc remanet recursus, ad quem commode confugere possunt nationes, quin exerceatur coactio, neque bellum geratur; de interventione loquimur aliorum Statuum, quibus equidem fas erit dissidium componere per quatuor media supra memorata, nempe, bona officia, mediationem, arbitratum vel actionem collectivam in Congressu aut Collatione.

Officia benevolentiae praestantur, quoties pro reconciliandis nationibus decertantibus interponitur tertia alia Potentia, quae recta mente ac nobili scopo altercationem dirimendi, atque interdum sine rogatu partium dissidentium, influxu morali utitur, ut optata concordia restabiliatur. Natura propria hujusce medii

ad pacem asservandam ordinati ponitur, in eo quod recte consistere ac componi queat cum negotiationibus directis, dum e contra caeteri recursus pacifici, interventu internationali fulciti, terminum cujuscumque diplomaticae gestionis necessario implicant et deposcunt.

115. *Mediatio* nihil aliud est quam interventio alius Status in rebus contentiosis aliorum mente ac consilio partibus confligentibus normam proponendi, cui mediante transactione vel contractu assentiri queant. Mediatio characterem mere moralem, non autem juridicum induit, tum quia mediator personam agit haud judicis, sed amici utriusque nationis solutionem offerentis, quin partes disceptantes teneantur ipsam acceptare; tum etiam quia negotium definit juxta aequitatis regulas, minime vero secumdum principia stricti Juris positivi.

Mediatori incumbunt quedam jura et obligationes: ipsi competit plena cognitio rei controversae; hinc jus habet omnes probationes ac documenta exigendi, quae pro recta solutione lucem affundere queunt; jure etiam pollet suam interventionem removendi, si partes contendentes negotiationes abruptas restabilire intendant, in quo equidem mediatio a bonis officiis essentialiter differt: mediator insuper stricta obligatione tenetur in neutram nationem sese inclinandi, quia vinculo amicitiae utrique Statui ligatus absque ullo praejudicio vel studio partium, juxta inconcussa aequitatis et justitiae principia, controversiam dirimere adstringitur. Adduci potest velut novissimum exemplum mediationis solutio a Summo Pontifice Leone XIII Guberniis Germanico atque Hispanico proposita ad finiendam quaestionem circa Insulas Carolinas versantem; quamvis enim ejusmodi Pontificius interventus afferri soleat tamquam casus arbitratus, tamen spectari debet ceu vera mediatio, siquidem non agebatur de sententia ferenda, juxta praescriptiones Juris stricti aut positivi, sed tantum de

proponenda quadam norma aequitati consona, quae libera deliberatione Germaniae et Hispaniae acceptari vel rejici posset.

116. Officiis benevolentiae atque mediationi accensenda est alia nova forma pacificae et amicalis compositionis, ***arbitratus*** nuncupata, sub qua denominatione venit processus juridicus, vi cujus duo Status sententiae tertiae personae physicae vel moralis quaestionem mutuam subjiciunt, ut eam juxta principia stricti juris solvat. Diximus ***subjiciunt***; quia speciali delegatione Statuum confligentium opus est; addidimus ***tertiae personae physicae vel moralis***, etenim hujusmodi delegatio tum nationibus tum Summis Imperantibus, tam individuis quam corporationibus conferri valet; subdimus denique ***sententiae***, quippe personae seu entitati, sive singulari sive collectivae, munere arbitratus fungenti competit vera facultas cognoscendi, judicandi ac dirimendi controversiam internationalem suo judicio subjectam.

117. Arbitratus multiplici pacto a mediatione discriminatur: a) arbitratus est institutio essentialiter juridica, quandoquidem per compromissum juridicum constituitur et naturam veri judicii praesefert, in quo habentur libelli oblatio (demanda), litis-contestatio, probationes et sententia; mediatio autem normam quamdam praebet pro componendo dissidio: b) arbitratus ex stricto jure contentionem dirimit; mediatio vero rem solvit juxta aequitatis regulas: c) arbiter servare tenetur processum seu tramites Jure Internationali praestitutos, ad instar judiciorum civilium ac criminalium, quae in Jure interno cujuslibet Status recensentur; mediator e contra non obstringitur necessitate methodum processalem custodiendi; d) arbiter sententiam fert vi cogendi praeditam; mediator solummodo proponit bases compositionis, quae a partibus discrepantibus recipi vel renui queunt: e) arbitratus in compromisso inito

fundamentum habet; mediatio in voluntate partium tota innititur: [1]) subjectum arbitratus esse possunt tum Status tum aliae personalitates, dum vices mediatorum Status tantum gerere valent.

118. Quod ad naturam juridicam arbitratus spectat, hoc efficacissimum medium pacem internationalem servandi atque tuendi vim suam ex *compromisso* mutuatur, id est, ex pactione solemni inter Status disceptantes habita committendi ergo quaestionis solutionem personis singularibus vel collectivis, quae communi sermone *arbitri* appellantur.

In pacto compromissus stipulantur bases arbitratus, constituitur Tribunal arbitrale, determinatur ejus competentia, definitur ordo processalis sequendus, sancitur obligatio *laudo* seu decisioni arbitrali standi, atque nominantur arbitri, qui desumi valent sive ex Moderatoribus Statuum (Imperatores, Reges vel Praesides Reipublicae) cum facultate delegandi, licet subscriptio sententiae eorum nomine fieri debet; sive ex Caetibus officialibus, uti Tribunali Supremo, Comitiis alicujus nationis; sive ex Corporationibus extraofficialibus, velut Universitate, Facultate Juris aut alia Academia scientifica; sive demum ex privatis atque spectatissimis personis, puta egregiis jurisconsultis aut praeclaris diplomaticis.

119. Quae cum ita sint, plane infertur Tribunal arbitrale ex persona vel personis conflari, quae delegatione Statuum contendentium auctoritate munitae sunt cognoscendi, judicandi atque sententiam ferendi. Ejusmodi Tribunal esse potest unipersonale vel collegiatum, prout una tantum persona coalescat vel variis membris componatur; in Jure autem Internationali ut plurimum praevalent Tribunalia collegiata propter pluralitatem suffragii ac securitatem decisionis.

Designatis judicibus atque constituto tribunali, incipit judicium causae contentiosae internationalis, in

cujus sustantiatione fere servatur methodus valde similis tramitationi pro judicandis causis civilibus usitatae; quamvis enim processus internationalis nondum sit sat definitus, attamen ex quo Institutum Gandavense Juris Internationali anno 1875 edidit praestantissimam disquisitionem, cui titulus—*Proyecto de reglamento para el procedimiento arbitral internacional*—, modus procedendi in hisce nationum litibus optime dividi potest in tres partes seu periodos: 1.° periodum *juridicam*, quae libellum (demanda), litis-contestationem, interdum etiam duplices ac triplices contestationes *(dúplica* y *réplica)* complectitur; 2.° periodum *historicam*, in qua per utrumque Statum, tum demandantem tum demandatum, exhibetur omne genus probationum pro corroborandi factis prolatis et fundamentis juris sanciendis, praesertim vero probatio testimonialis, instrumentalis ac confessoria partium; 3.° periodum *criticam*, qua demum factis et allegationibus rite examinatis, atque omnibus probationibus accurate perpensis pronuntiatur sententia, sita in vero judicio, nempe in declaratione seu applicatione juris ad factum.

Sententia per tribunal arbitrale lata pro damnando vel absolvendo aliquo Statu litiganti, ex Jure gentium, praxi communiter recepta et generali consuetudine, vim habet nationes cogendi, quae idcirco eam acceptare tenentur; sed licet decisio arbitralis adimpletur, nonnunquam ejusmodi sententia vitio nullitatis laborat, ideoque irritari potest, quin Status compromissum in pactione firmatum infringant. Declaratur irrita in quatuor praecipuis casibus: 1.° quando desit suffragium alicujus arbitri; 2.° cum tribunal decernit *ultra petita;* 3.° quoties adest vitium essentiale in forma processali; 4.° si quando violentur in ipso *laudo* principia fundamentalia Juris Internationalis.

Denique missio arbitralis desinit: [a]) dictione sententiae; [b]) transactione partium; [c]) defunctione alicujus

ex arbitris tribunal constituentibus. Supervacaneum nobis videtur sermonem protrahere exempla arbitratus in medium proferendo, quippe omnibus notissima sunt sententia Tribunalis Genevensis occasione navigii Alabama dicti anno 1871 contra Angliam lata ob violatam neutralitatem in bello secessionis inter Status Septentrionales atque Australes Unionis Americanae, et recentissima aetate frequentes arbitratus Hispaniae erga Respublicas Hispano- Americanas, praesertim celeberrimae decisiones pro finiendis limitibus inter Colombiam et Venetiolam, necnon pro solvenda quaestione inter Italiam et Colombiam exorta.

120. Inter media pacifica lites internationales componendi postremum locum obtinent *Congressus* ac *Collationes* interdum habita ad ejusmodi scopum attingendum.

Et sane hoc apertissime patet, sive ejusmodi Coetus *theorice* spectentur, sive *historice* inspiciantur.

Sub aspectu *theorico* apud Juris Internationalis peritos res explorata est Congressus Internationales, sicut Comitia nationum, duplici attributione gaudere, legislativa nempe ad regulam juridicam seu legem universalem Statibus injungendam, atque politica pro negotiis moderandis et conflictibus inter gentes solvendis; quoad vero Collationes compertum etiam est hujusmodi Conventus duplici quoque munere fungi, nimirum facultate essentiali seu administrativa ad res internationales ordinis oeconomici communi calculo statuendas, veluti unionem veregariam (postal), unionem telegraphicam, unitatem ponderalem et mensuralem (de pesos y medidas), uniformitatem nummariam (de monedas) aliaque id genus, ac deinde functione judiciali pro dirimendis quaestionibus inter Status obortis, quae quidem functio mere accidentalis seu transitoria censenda est, quippe eatenus Collationibus tribuitur facultas judiciaria, quatenus nondum adest Tribunal internatio-

nale superius vera potestate instructum videndi, judicandi atque finiendi mutuas gentium contentiones.

Historia insuper nostrae assertioni plane suffragatur; etenim prope innumera exempla hujus generis Coetuum adduci possent, ubi concordia gentium firmata est, gravissimae controversiae solutae, vetera dissidia composita, necnon bella atrocissima terminata vel vitata fuere. Speciminis gratia satis sit innuere Congressus Westfaliensem (1648), Pyrenaeum (1659), Ultrajectensem (1713), Aquisgranensem (1748), Parisiensem (1856) et Berolinensem (1878), quorum opera finem habuerunt respective bella triginta annorum, Hispano-Gallicum sub Philippo IV et Ludovico XIV, successionis Coronae Hispaniae sub Philippo V ex dynastia Borbonica, succesionis Throno Austriaco tempore Mariae Theresiae, Crimeae atque Russo-Turcicum; Congressus etiam Viennensem (1815) pro reconstituendis Statibus Europeis eorumque Monarchis dominiis usurpatis reddendis, Aquisgranensem (1818) pro pentarchia seu gubernatione quinque Europae nationum proclamanda, Veronensem (1820) pro deroganda Constitutione Hispanica anni 1820, Parisiensem jam memoratum pro agnoscenda independentia Turchiae, declaranda libertate fluviali Danubii et Ponti Euxini atque Codice maritimo condendo, ac Berolinensem (1878) nuperrime laudatum pro statuenda suprematia Principatuum Serviae, Rhumaniae ac Montis-Nigri, gravissimaque quaestione Orientis componenda; denique Collationes Londinensem (1831) ad sejungendum Belgium ab Hollandia, Genevenses (1864) et (1868) ad edendam *Conventionem* atque acclamandam in casu belli neutralitatem, tum quoad milites morbo aut vulnere laborantes, tum quoad personas aut res ad institutionem *ambulantia* nuncupatam spectantes, Parisiensem (1869) ad solvendam quaestionem Graeco-Turcicam, ac postremo Berolinensem (1885) ad libertatem fluviatilem Niger et Congo in Afri-

ca decernendam, liberum commercium promulgandum atque negotiationem nigritarum abolendam.

ARTICULUS II.

SUMMARIUM.

121. Media *coercitiva (via violentiae)*.—122. *Hostimentum* (represalia). —123. Conditiones necessariae ad ejus licitum usum.—124. Praecipuae species.—125. *Retorsio* (retorsión).—126. *Secuestratio* (embargo).—127. *Obsidio* (bloqueo) commercialis.—128. Quid *critice* de hisce recursibus violentis judicandum sit.

121. Media violenta secundum gradum constituunt processus internationalis ad contentiones Statuum dirimendas, cum modi amicales efficaciter intenti solutioni pacificae concordiae ac mutuae intelligentiae minime suppetunt.

Vocantur media violenta recursus coercitionis seu repressionis, quibus utuntur Nationes confligentes gratia obtinendi restaurationem juris laesi, satisfactionem injuriae illatae vel observantiam obligationum pactarum, quando omnes formae pro re pacifice componenda usitatae vel praescriptae, frustra et irrito conatu tentatae sunt. Dicitur violenta forma hujus gradus processalis, quia natura propria et character essentialis ejusmodi recursus internationalis in coactione seu vi materiali adhibenda sita sunt, quin tamen ad extremum belli confugium perveniatur.

Etsi tam processus violentus quam processus bellicus in actibus vis consistant, nihilominus coactio internationalis a bello difert: [a]) quia actus processus violenti singulares sunt et separati seu sejunctim positi censentur, actus vero processus bellicosi collectivi sunt et coordinati existimantur; [b]) quia in processu coercitivo non effunditur sanguis, nec impetitur vita, sed

tantum violatur proprietas Status inimici, personarumque libertas restringitur; dum e contra in processu bellicoso locum habet cruentatio atque proclamatur jus in vitam.

Ad quatuor genera passim revocantur media violenta, nempe, hostimentum *(represalia)*, retorsionem *(retorsión)*, sequestrationem *(embargo)* at obsidionem *(bloqueo)* commercialem et pacificum, de quibus nonnihil dicemus.

122. *Hostimentum* hispanice *represalia* (a verbo *reprendere* vel *reprimere)* duplici acceptione sumi potest, sensu latiori atque sensu stricto; ejusmodi vocabulum late usurpatum quaecumque media coercitiva exprimit, ideoque in sua generali notione retorsionem, sequestrationem atque obsidionem complectitur, quoniam hac omnes viae violentae naturam clarigationis praeseferunt, et ad instar hostimenti adhibentur; sin vero hujusmodi vox stricte accipiatur, idem sonat ac specialis processus ab Statibus servatus, quo injustitia pro injustitia redditur gratia debitam satisfactionem obtinendi. Exinde duo recte colliguntur: [a]) hanc formam processalem apprime internationalem nuncupari, cum opus sit concursu duorum Statuum, etenim relatio internationalis, sive amicalis, sive violenta, sive bellicosa, solummodo inter gentes intercedere potest: [b]) naturam propriam et essentialem hujusce recursus esse reponendam in devolutione injustitiae pro injustitia, id est, in positione cujuslibet actus injusti ex parte Status laesi, ut ita Status laedens reclamationem interponens suam injustam agendi rationem agnoscat, atque per consequens necessariam satisfactionem praestare vel jus violatum restaurare festinet.

123. Quamquam in Jure Internationali ceu licitum habetur hostimentum ob actualem imperfectionem ac deficientiam societatis internationalis, attamen ut admitti vel potius tolerari et in praxim reduci queat,

quaedam requiruntur conditiones ab ipso Jure praescriptae: 1.ª ut existat vera laesio juridica, et quidem non juris accidentalis, sed juris essentialis et naturalis, vi cujus Status vulneratus usum clarigationis decernere cogatur; 2.ª ut prius tentatae sint quaecumque viae amicae, quae semper praeponi debent utpote justitiae naturali et rectae rationi valde consonae; 3.ª ut praecedat denuntiatio hostimenti, sicut etiam exigitur declaratio belli; 4.ª ut clarigatio ad petendam satisfactionem tantum ordinetur, et statim ac obtineatur reparatio, cesset quodcumque hostimentum.

124. Hostimenta a tractatoribus Juris Internationalis tribui solent: 1.° in positiva et negativa; *positiva* dicuntur quae in aliquid faciendo, hoc est, in positione actus vere injusti sita sunt, uti captio pignorum, retentio territorii, etc.; *negativa* denominantur quae in abstinendo seu non faciendo, id est, in omissione actus ex Jure naturali et positivo alicui Statui debiti consistunt, velut denunciatio pactionum vigentium, recessus vel suppressio favorum ac concessionum, quae Statui laedenti aut ejus subditis impertitae fuerint, etc.: 2.° in generalia et particularia; *generalia* ea sunt quae in personas et res exerceri possunt; *particularia* appellantur quae solum permittuntur seu adhiberi queunt in res, minime autem in personas: 3.° in publica et privata; *publica* putantur quae ipse Status per suos functionarios, navigia praeliaria (buques de guerra) aliaque id genus media exerit; *privata* censentur quae privatis et navibus mercatoriis (buques mercantes) conceduntur, ut in praxim perducere valeant.

125. Inter modos processales apud nationes receptos conflictus solvendi computantur etiam *retorsio* quae juxta vocis etymon (a *retorqueo*) nihil aliud significat quam eamdem rem, argumentum, offensionem, injuriam vel damnum in adversarium, offensorem vel damnificatorem vertere.

Hinc sub nomine retorsionis juridice venit recursus internationali, vi cujus vitio aequitatis unius Status alter Status eadem iniqua agendi ratione respondet perinde ac si unus Status animo hostili ductus merces alterius Status novis vectigalibus gravaret, atque hic optimo et reciproco jure fretus mercibus Status inique agentis eadem tributa imponeret: fundamentum igitur et character proprius retorsionis in aperta aequitatis violatione totus sistitur.

Sed nullo pacto permisceri aut confundi debet retorsio cum hostimento, etenim valde inter se discrepant: [a]) in clarigatione redditur injustitia pro injustitia in retorsione autem culpae aequitatis respondetur cum alio vitio aequitatis; [b]) in hostimento agitur de eo quod debetur ex justitia, in retorsione sermo est de re quam recta et naturalis aequitas postulat; [c]) clarigatio officia perfecta conscientia et jure sancita respicit, retorsio vero ad officia imperfecta potius moralia quam juridica spectat; [d]) denique in retorsione Statui offendenti rependitur eadem injuria, identica agendi ratio, aequale nocumentum in iniquum adversarium vertendum, in hostimento autem Statui laedenti responderi potest actibus diversae naturae, modo injustitia repellatur et jus conculcatum restituatur.

126. Tertius modus cogendi Statum ad reddendam satisfactionem pro injuria alteri nationi illata, damna resarcienda, juraque aliarum gentium reverenda *sequestratio* nuncupatur.

Ejusmodi internationalis processus positus est in capiendis transitorie personis Status laedentis, offendentis aut decertantis, necnon in occupandis et ad tempus retinendis ejus rebus, praecipue vero navibus mercaturam facientibus. Dicitur *transitorie* atque *ad tempus*, quia ex Jure Internationali hanc coactionem exercere dumtaxat licet, donec attingatur damni compensatio, injuriae satisfactio vel juris vulnerati reco-

gnitio; etenim, semel contentione finita et mutua concordia inter Status confligentes restabilita, et personae detentae libertate donantur, et res seu proprietates sequestratae nationi offendenti restituuntur, necnon navigia capta denuo dimittuntur.

127. Postremus recursus processus violenti apud gentes usitati reperitur in *obsidione*, quae generatim sumpta idem est ac corona aut circumcessio alicujus oppidi, arcis vel littoris praepediendi ergo quamlibet cum exteriori communicationem.

Duplex obsidio distingui assolet, pacifica et bellicosa; hac praetermisa, quippe ejus studium ad processum internationalem belli attinet, priorem tantum hoc loco memorare oportet. Obsidio pacifica, commercialis vulgo dicta, vocatur ambitio seu circumfusio arcium, urbium munitarum vel regnorum gratia impediendi omne cum externis gentibus commercium, atque ita Status contendentes cogendi ad mutuam et satisfactoriam solutionem.

Praefata forma processalis est valde recens; novissima enim aetate in Jus Internationale inducta fuit, epocha nempe, qua Anglia, Gallia et Russia occasione belli Graeco-Turcici oras maritimas harum nationum circumclausere ad conflictum finiendum.

128. Delineatis mediis coercitivis, quibus uti valent Status pro suis quaestionibus absque declaratione belli dirimendis, modo inquirere jubat, utrum ejusmodi violenti recursus in Jure Internationali legitimari possint vel potius improbari debeant.

Nunc vero, solutio hujusce quaestionis nobis sat obvia videtur; controversia juridice spectata nullum locum ambigendi relinquit; sine ulla haesitatione asseverari potest recensitas formas coactionis internationalis rectis juris principiis plane contradicere, ideoque absolute loquendo esse reprobandas, triplici potissimum de capite 1.° memorata media violenta actus justitiae

privatae vere constituunt; Status enim eo ipso quod non exstat Tribunal superius potestate insignitum suas dissentiones componendi, atque tentamina amicitiae frustra habita sunt, justitiam sibi vindicant et per seipsos administrant: age jam, ex Jure Naturali et positivo exercitium justitiae privatae sustentari nequit, quia administratio justitiae est quaedam functio essentialiter ac eminenter publica, quae, sicut nulli personae privatae in societate civili competit, ita etiam unicuique nationi in societate internationali tribui nequit, sed tantum adjudicari liceret Statui Supremo, si quando efformaretur magna civitas gentium seu societas vera ethnarchica: 2.° in hisce recursibus violentiae semper detegitur aperta repugnantia seu contradictio juridica; nam primo intuitu cernimus Status vices judicis ac partis simul gerere; et sane, cum oritur aliquod litigium, laesio aut offensio, ipse litigans, laesus aut offensus auctoritate propria de re controversa, de violatione perpetrata vel de injuria illata judicat quod quidem nemo est qui non videat quam absonum esse a recta ratione atque ipsamet juris notione: 3.° omnis forma processalis vi fulcita vitio reciprocitatis scatet, quae profecto in Jure damnata est; etenim nullo pacto fas est cuilibet Statui actioni injustae respondere eadem iniqua agendi ratione, quia nunquam injustitia reparari poterit alia injustitia.

Quamvis vero haec sit doctrina vere juridica, et absolute loquendo omnino tenenda, attamen Jus Internationale, ut supra innuimus, spectata actuali ejus imperfectione ac pro majoribus malis vitandis, coactionem internationalem tamquam supremum recursum agnoscit, atque usum violentiae nationibus permittit, modo in gravissimam perniciem et exitialem belli cladem non perveniant.

ARTICULUS III.

SUMMARIUM.

129. Bellum.—130. Principia hac super re.—131. Notio belli.—132. Ejus divisio.—133. Conditiones necessariae ad bellum legitimum.—134. *Causa justa.*—135. *Vera necessitas.*—136. *Auctoritas publica.* 137. *Intentio pacis.*—138. *Denunciatio publica.*—139. *Modus legitimus.*—140. Media quibus uti queunt bellantes.

129. Postquam media *pacifica* et *coercitiva* quaestiones solvendi praecedentibus articulis explanavimus, ad pleniorem notitiam et completam doctrinam supra contentiones internationales tradendam, modo disserendum est de forma *cruenta* dirimendi controversias apud Status, de bello nempe, institutione penitus antijuridica, praxi vere irrationali, remedio utique barbaro, atque usu penes gentes communiter recepto, sed reprobatione ac stigmate prorsus digno.

Attamen de hoc postremo gradu processus internationalis loqui cogimur, illum tantummodo spectantes tamquam vulnus sociale, imperiosam gentium necessitatem, factum historiae indeclinabile atque supremum recursum temporum tractu inductum et populorum moribus sancitum.

Recta igitur mente ac nobilissimo scopo mitiorem reddendi usum hujus dirae formae atque saevissimi processus, detestandi profecto ac delendi apud cultas gentes, brevissime dicemus de notione, divisione atque legitimitate belli, necnon de juribus et officiis tum bellatorum tum neutralium.

130. Antequam vero potissima capita cum praesenti disquisitione connexa tradamus, consentaneum nobis videtur sequentia adstruere principia:

1.um Origo ac fundamentum belli est turbatio ordinis socialis, quo fruitur una gens, per violentam alterius *aggressionem* aut injustam bonorum vel personarum il-

lius gentis *laesionem,* unde natio laesa naturalem facultatem habet, sicut individuae personae, media efficacia adhibendi sive ad *sese defendendum,* sive ad injuriam *ulciscendam* seu sua jura *repetenda.*

2.um Jus belli nationibus competit, quia hoc evincit et postulat, tum *jus securitatis* (secum implicans jus indemnitatis, defensionis et praecautionis), tum *defectus judicis* auctoritatis coactiva in litigantes vel contendentes praediti.

3.um Abolitio belli *absolute* loquendo impossibilis est; *relative* loquendo possibilis, sed valde difficilis censenda est.

Impossibilem nuncupavimus abolitionem belli in thesi generali et sensu absoluto ob duas rationes in principio secundo adductas; *possibilem* appellavimus abrogationem belli relative sumptam, quia optime fieri posset, ut in aliqua societate internationali (ex. gr. apud Europae gentes) in hunc communem finem atque optatam solutionem perveniretur sive ad hoc constituto arbitratu internationali, sive proclamata pace perpetua, sive verificata dearmatione (desarme) generali, sive alio quocumque medio adhibito per Status communi calculo recepto; *valde difficilem* demum denominavimus suppressionem belli tum propter ambitionem Principum, dominatum gentium atque egoismum populorum, tum praecipue ob defectum efficaciae et communis acceptationis mediorum, quae hactenus tentata sunt, teste recentissima Collatione *pacis* vocata et Hagae Comitis (Haya) die 18 Maii 1899 ductu Autocratoris Russiae habita, gratia proponendi Statibus Europae atque vi actionis diplomaticae ac collectivae in praxim traducendi generalem dearmationem; age jam, omnes norunt ex hoc internationali coetu et injuriose exclusam fuisse (singularis contradictio et rara incohaerentia!) legitimam ac supremam potestatem veram pacem in hoc mundo repraesentantem, Romanum scilicet Pontificem,

Vicarium Christi *qui pacem* venit *dare* ac *derelinquere* in terris, et, quod consequens erat, ex hac decantata Collatione *pacis* per antithesim appellata minime profectam esse firmitatem pacis europeae, depositionem armorum et concordiam gentium, sed potius organizationem belli, apparatum armorum, suspiciones Regum atque mutuam nationum diffidentiam.

4.um Bellum justum, genuina et propria ejus notione spectata, semper defensivum est, in hoc situm, ut jus, quod habetur vel repetitur, defendatur arma armis propulsando; quandoquidem nationes, cum necessitas imperat, ad tuenda jura, quibus ordinantur ac constituuntur, facultate pollent adhibendi vim et arma adversus nefarios conatus aliarum gentium, quae propria earum jura laedere aut injusta vi lacessere nituntur.

5.um Civilitas belli, si quando hoc nullo pacto vitari nequit, juri naturae, populorum culturae et publico nationum bono consentanea est; ideoque summopere exoptari et comendari debet.

131. Egregius jurisconsultus Grotius bellum definit: *Status per vim certantium, qua tales sunt* (1); huic definitioni minime adstipulamur, quia conceptum formalem belli non exprimit, sed tantum materialem, cum ab ejus justitia vel injustitia praescindit, atque idcirco certamini privato et injustae aggressioni aeque accommodari potest; jam vero, bellum, si Juris Naturalis principiis standum sit, debet esse, juxta Taparellium (2), *ordinis violenta defensio.*

Nobis magis arridet notio belli a praeclaro P. Liberatore tradita, qui illud ita definit: *Status nationum, tuendi juris gratia, per vim concertantium.* In hac definitione reperiuntur omnia requisita, quae in bellum concurrere debent, ut Juris Naturalis praescriptionibus

(1) *De jure belli et pacis,* lib. I, cap. 1, num. 2.
(2) *Saggio teoretico di natural diritto,* Diss. VI, c. 4, a. I.

plane consonum habeatur: per verbum *status* innuitur natura propria belli, ut a *praelio* distinguatur, quod actualem conflictum bellantium tantum denotat, dum bellum durationem quamdam includit, tempus nempe pugnam praecedens aut sequens; vocabulo *nationum* significatur subjectum atque terminus belli, etenim contentio inter privatos, etiamsi per vim fiat, bellum appellari nequit, quia privati cum natione legitime constituta auctoritate propria dimicantes potius nuncupandi rebelles quam bellatores; additur *juris tuendi gratia* ad praefiniendum finem proprium et adaequatum belli, ut legitimum existat et naturae consentaneum; usurpantur demum verba *per vim concertantium*, ut secernatur bellum a contentione non violenta quae disceptando fit.

132. Praetermissis tritis divisionibus belli in justum et injustum, legale atque illegale, publicum et privatum vel intestinum, utpote solido fundamento destitutis, quia bellum injustum violatio Juris Naturalis est, illegale conculcatio Juris gentium, privatum vel civile aut intestinum negatio veri conceptus bellici, pro re nostra satis erit bellum tribuere: 1.° in *defensivum* ac *offensivum*, prout vis opponatur ad invasionem hostium repellendam vel ad injuriam jam receptam ulciscendam; etenim qui arma suscipit ad se tuendum ab hoste, qui ipsum vi aggrediatur, bellum defensivum gerit; qui vero contra ad injuriam ulciscendam aut jus proprium repetendum aliam nationem prior aggreditur, quacum ante pacem alebat, bellum gerit offensivum: 2.° in *solemne* ac minus *solemne; solemne* dicitur illud in quo servantur solemnitates et ritus, quos non modo natura requirit, verum etiam cultarum gentium consuetudo induxit; minus *solemne* appellatur quod aliquo ritu Jure Naturali vel Internationali praescripto, veluti praevia denuntiatione, ob urgentem necessitatem destituitur: 3.° in *terrestre* seu continentale atque *maritimum*; *terrestre* specialem mentionem meretur, quia in eo neutralitas per-

fecte asservatur, proprietas privata religiose colitur et generaliter praevalet systema aequilibrii politici; in *maritimo* autem limitationes neutralitati apponuntur, proprietas privata seu naves et merces civium privatorum non adeo religiose reveretur (an jure, necne postea videbimus) atque passim dominantur nationes imperio maritimo potentiores.

133. Ad bellum legitimum constituendum, juxta praeclariores Juris Internationalis expositores, sex conditiones omnino desiderantur, videlicet: *causa justa, gravissima* et *certa; vera necessitas; auctoritas publica; intentio pacis; publica denunciatio; legitimus modus* gerendi bellum. De singulis hisce essentialibus requisitis ordine ac concissione pro more nostro aliquid delibabimus.

134. Requiritur primum pro bello legitime gerendo ut adsit *causa,* et quidam *justa,* quatenus jus pro ea parte militet, quae bellum movet; *gravissima,* quia, cum tot mala et calamitates secum ferat bellum, ut merito *flagellum nationum* nuncupetur, non quaevis causa tuendi juris ad belligerandum sufficit, sed adesse debet praestantissima ratio boni communis, quae excusare possit tot caedes et aerumnas, quot bellum sive per se sive militum licentia gignere solet; *certa,* id est, justitia certa innixa, non vero dubia aut probabili, secus enim nec exsurgeret jus certum, nec exstaret facultas inferendi atque sustinendi mala certa, quae bellum importat. Ex dictis consequitur bella expugnationis vel commercii, quae pro dilatando imperio vel propria utilitate procuranda suscipiuntur, esse mera latrocinia *(gloriosum scelus,* juxta graphicam Senecae phrasim), atque eos omnes, qui hujusmodi victoriis inclarescunt vel ditescunt, esse censendos tamquam veros praedones punitione internationali plectendos et universali contemptu prosequendos.

Quod si in concreto a nobis sciscitetur quaenam

causae justae existimari possint ad bellum indicendum, illas ad triplex genus commode revocabimus: 1.° violationem jurium, quae naturalia, innata seu absoluta vocantur et cunctis Statibus competunt, uti jus existentiae, aequalitatis, libertatis, etc.; 2.° laesionem jurium, quae hypotetica seu legitime acquisita dicuntur, utpote in pactionibus recognita et sancita; 3.° conculcationem jurium communium ac positivorum, quae in societate internationali jam recepta sunt et unanimi gentium consensione muniuntur, puta libertas navigationis, abolitio commercii nigritarum, etc.

135. Requiritur secundo ut concurrat vera *necessitas*, hoc est, ut omnia media pacifica ad litigium finiendum prius tentata sint, nec ulla alia supersit via pro jure tuendo aut repetendo. Cum enim bellum sit remedium extremum, periculis plenum et maxime invisum, ad ejusmodi supremum recursum confugere non licet, nisi ejus usum omnino postulet urgens atque ineluctabilis necessitas: et tunc etiam, quamvis nationes, sicut individui homines, jus habeant sese ab injusta aggressione tuendi vim vi repellendo, usque ad aggressoris necem, si id necesse fuerit, custodiendum est principium, quo regulatur justa defensio, nimirum, *servato moderamine inculpatae tutelae.*

136. Requiritur tertio ut bellum *auctoritate publica* geratur, id est, jussu atque nomine supremae potestatis nationi praepositae; et hoc quidem triplici ratione: [a]) quia bellum est actus socialis, ac proinde ab eo procedere debet, cui competit regimen societatis, ejusque salus et tutela; [b]) quia bellum est etiam institutio internationalis, et cum Status subjectum Juris gentium proprie constituant, illi soli facultate gaudent hujusmodi supremum recursum adhibendi ac prosequendi; [c]) quia bellum legitimum versatur tantum in solvendis quaestionibus juris publici; nam quaestiones privatae distincto processu hodiedum dirimuntur; hinc bella vel

potius pugnae privatae aut inter particulares, adeo frequentiores aetate media, omni jurae damnatae habentur, et novissimis temporibus prorsus desiere; age jam, forma processalis, utut extrema et valde violenta, contentiones juris publici finiendi ab auctoritate suprema et publica tantum determinari ac praescribi potest.

137. Requiritur etiam ut semper affulgeat *intentio pacis;* et sane rectus ordo postulat ut homo intentioni naturae respondeat, et obtemperet, quae proculdubio homines genuit non ad bellum sed ad pacem mutuo servandam, et eatenus societati humanae sinit usum bellici confugii, quatenus hic recursus adeo violentus omnino necessarius sit ad restituendam debitam gentium concordiam.

In hac veritate asserenda et propugnanda mirifice conspirant philosophi tam christiani quam ethnici; etenim Maximus Doctor S. Augustinus apposite ad rem ajebat: *Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas, ut liberet Deus a necessitate et conservet in pace. Non enim pax quaeritur, ut bellum geratur; sed bellum geritur, ut pax acquiratur. Esto ergo bellando pacificus, ut eos, quos expugnas, ad pacis unitatem vincendo perducas* (1): et Princeps oratorum Cicero scribebat: "Sic bellum suscipiatur, ut nihil alius quam pax quaesita videatur„.

138. Requiritur insuper ut bellum praecedat *publica denunciatio*, quae ex Jure Naturali et Internationali necessario fieri debet tum Statibus belligerantibus, apud quos cessare debent leges pacis et vigere incipit jus belli; tum Statibus neutralibus plurimis restrictionibus, de quibus postea loquemur, in exercitio suorum jurium obnoxiis; tum etiam civibus privatis, qui propter exceptionalem rerum conditionem ex recursu adeo violento ortam aliquam molestiam, detrimentum vel laesionem fortasse subire cogentur.

(1) *Epist. 1 ad Bonifacium.*

Declaratio belli, quamvis generaliter significari potest per arcessionem vel dimissionem agentium diplomaticorum, per remissionem notae abruptionem relationum denunciantis vel terminum praefinientis, ordinario tamen et juxta praxim internationalem communiter receptam fit speciali forma, nempe, vi solemnis documenti diplomatici *ultimatum* appellati, quia existimatur tamquam postremum verbum in testimonium pacis prolatum; unde fas est colligere *ultimatum* nihil aliud esse quam "documentum internationale in quo adducuntur rationes pro jure controverso militantes, repetitur definitiva recognitio ejusdem juris, atque statuitur terminus peremptorius ad exhibendam satisfactionem, quo transacto et hac non intercedente, *ipso facto* reputatur bellum jam indictum".

Denunciatio belli peculiares effectus gignit in ordine tum internationali tum nationali; in ordine *internationali* notabiles modificationes inducit in relationes et jura Statuum belligerantium, neutralium et foederatorum: quoad nationes *bellantes,* [a]) desinunt omnino cuncta foedera pacis et amicitiae; [b]) suspenduntur pacta naturae socialis et oeconomicae; [c]) valorem retinent pactiones indolis civilis; [d]) vigere incipiunt conventiones pro casu belli initae; [e]) dimittuntur ex territorio agentes diplomatici: quoad Status *neutrales,* [a]) restringitur libertas commercii per prohibitionem quarumdam mercium bellicarum (contrabando de guerra); [b]) coarctatur libertas navigationis per jus inspectionis (visita), quo nationes belligerantes in alto mare gaudent etiam in navigia gentium neutralium; [c]) modus praefinitur libertati communicationis per interdictionem in portus ac oras maritimas obsidione circumseptos (bloqueados), ingrediendi: quoad nationes foedere conjunctas (aliadas), surgunt speciales obligationes erga Status bellum gerentes juxta pacta offensiva vel defensiva inter sese inita.

Sub respectu etiam *nationali* indictio belli, jus publicum gentium afficit; ex quo enim fit denuntiatio belli in Statibus belligerantibus promulgatur lex exceptionalis que *Lex Martialis* dicitur, vi cujus in locum juris communis, jurisdictionis ordinariae atque processus consueti subrogatur jus speciale, jurisdictio militaris ac processus summarissimus ad facta judicanda cum Statu exceptionali belli connexa.

139. Requiritur demum ad liceitatem belli ut in illo gerendo servetur *modus legitimus*, tum quoad arma, tum quoad caetera belli praesidia. Usque ad recentiora tempora universim praevaluit erronea persuasio; apud omnes enim existimabatur declarationem belli secum implicare ac naturaliter deposcere inimici extinctionem atque destructionem gentium, adeo ut ipse Grotius asserere ausus fuerit caedem etiam mulierum ac puerorum ad jus belli attinere; sed fauste novissima aetate haec cruenta et vere lugenda forma conflictus internationales solvendi quadam civilitate donata est, cum fere omnes fateantur finem belli non esse reponendum in destructione inimicorum et eversione populorum, sed praecipuum, immo vero unicum ejus scopum, situm iri in fragenda praepotentia nationis decertantis atque in reddendo inutiles et impotentes hostes, donec obtineatur, parta victoria, injuriae satisfactio, damni compensatio vel juris laesi aut inficiati recognitio.

Diximus *quamdam civilitatem* in materia bellica esse inductam; quia licet quotidie cernimus undequaque augeri arma destructionis, apparatus bellicosos crescere et novas ballistarias machinas adinveniri, in dubium revocari nequit quin aliqua media tentata sint, et nonnullae regulae epocha recentissima praescriptae fuerint ad humaniorem vertendum ejusmodi processum internationalem adeo violentum ac saevissimum.

Et re quidem vera, anno 1863 occassione belli secessionis inter Status Septentrionales et Australes Unio-

nis Americanae editae sunt *Instructiones pro exercitibus bellum gerentibus;* anno 1864 habita fuit Collatio Genevensis ad neutralitatem pro militibus vulneratis aut aegris et pro personis officiis charitatis intentis sanciendam in bellis terrestribus, quae Conventio postea anno 1868 etiam bellis maritimis applicata est: anno 1874 convocata est Bruxellae alia Collatio, ubi opera et Studio Gubernii Russici, quod Coetui proposuit singulare *specimen* sub denominatione—*Proyecto de convenio internacional relativo á las leyes y costumbres de la guerra*—, latae sunt leges usum belli regulantes, quibus cuncti Status Europae suum assensum ac approbationem praestitere; denique anno 1885 Institutum Internationale Gandavense alias laudatum praestantissimam lucubrationem evulgavit cui titulus: *Manual de las leyes de la guerra terrestre.*

140. Sed ad praefiniendum modum legitimum bella gerendi nihil potius confert quam enucleate exponere atque summatim tradere media quibus nationes bellantes uti valent; quod, ut recte conficiamus, media bellandi in *illicita* et *licita* distinguemus.

Reprobata in Jure Internationali habentur tamquam illicita sequentia media: a) arma venenata aut damnum inutile inferentia ex Conventione Petropolitana anni 1868 et Collatione Bruxellae anni 1874; b) globi (proyectiles) ictus incurabiles aut dolores intensissimos producentes juxta memoratam prohibitionem Petropolis et Bruxellae a Statibus receptam; c) glandes (balas) explosivae ponderis minoris 400 gramis, necnon glandes *catenae* dictae in bellis terrestribus atque *rubrae* in bellis navalibus; d) veneno inficere fluenta aquarum vel annonas, unde pestilentiae et gravissima mala gigni solent, quae pluribus vel plus nocent, quam necesse sit; e) occissio hostis inermis, indefensi et dediti; f) abusus vexilli inimicum alloquendi causa adhibiti (parlamentaria); g) usus vexilli vel insignium hostium; h) violatio fidei pro-

missae; [i]) quaelibet proditio vel secreta intelligentia cum adversario; [j]) speculatus (espionaje) utpote Juri Internationali contrarius et severissima poena punitus.

Inter media *licita* ut plurimum recenseri solent: [a]) circumjectus (cerco) ad tollendam communicationem alicujus oppidi vel castri cum externa gente; si fiat per terram, obsessio (sitio, asedio) nominatur; si locum habeat per mare, obsidio (bloqueo) appellatur; [b]) ignearum glandum jactus (bombardeo), sed tantum in urbes munitas atque arces, ubi copiae continentur, minime autem in civitaculas, populos, vicos, vel etiam magnas civitates *apertas* nuncupatas, quia propugnaculis et munitionibus carent (videtur tamen hoc medium tot damna tamque ingentem perniciem inferens esse abolendum vel nonnisi rarissime adhibendum); [c]) insidiae aut caeterae simulationes strategicae (estratagemas) apud gentes cultas ex consuetudine receptae aut permissae; [b]) occupatio militaris territorii ad tempus, donec pax firmetur, atque impleantur conditiones pactae; [e]) itineris duces (guias) in Jure gentium recogniti et legibus belli, sicut caeteri bellatores, subjecti.

ARTICULUS IV.

SUMMARIUM.

141. Jura et officia belligerantium —142. Jura et officia bellantium erga *personas* Status hostiles.—143. Jura et officia bellatorum quoad *res* inimicorum.—144. An in bello maritimo servari debeat proprietas privata.—145. Quid de organizatione armata navium ad praedarum capturam (armamento en *corso)* censendum sit.

141. Fuit equidem tempus non valde remotum, quo scriptores Juris Internationalis passim docebant omnia in bellis licere contra hostes, destructionem gentium, ut alibi animadvertimus, proclamentes, et jus

vitae ac mortis in subditos Status inimici indiscriminatim adstruentes; at, cum recentiori aetate humaniora principia et mitiores mores vigere coeperint in materia belli, prout ferebat indoles societatis atque natura provectioris civilitatis, juristae praesenti aevo inquirendis ac determinandis juribus ac officiis, quae Statibus bellum gerentibus et exercitibus certantibus incumbere possunt, singularem operam navarunt.

Hinc tritam distinctionem inter *personas* et *res* inimicorum communiter receptam sequuti, de juribus ac obligationibus belligerantium erga hostes et res hostium levissime pertractabimus.

142. Definiendi ergo primum jura et officia relate ad hostes, personas Statuum bellantium in quatuor classes tribuere oportet, nimirum: hostes *activos,* inimicos *passivos,* adversarios neutralibus assimilatos *(neutralizados)* et cives *pacificos* seu *inoffensivos:* hostes *activi* dicuntur qui arma gerentes bello directe participant, et hujusmodi censentur dum praeliantur; etenim statim ac manus dedunt et arma deponunt, desinunt esse adversarii; inimici *passivi* vocantur qui exercitui dimicanti auxilium praebentes bello indirecte participant, veluti omnes in administrationem militarem cooptati vel alia similia ministeria praestantes; adversarii *neutralizati* appellantur qui in actuali conflictu armorum functiones beneficentiae et humanitatis exercent, puta medici, pharmacopolae, lecticarii (camilleros), capellani, sorores charitatis, etc.; cives *pacifici* sunt, uti ipsum nomen exprimit, illi qui nullo pacto in certamine interveniunt, atque juxta principia Juris Internationalis hodiedum vigentis minime spectantur tamquam hostes.

His praejactis, pronum est inferre belligerantibus inesse quoad personas duo jura etiamque duo officia; quae memoratae classificationi adamussim respondent.

1.° Bellatoribus competit quoad hostes *activos* jus

legitimae defensionis, olim jus in vitam nuncupatum, quod a praeclaris Juris Naturalis expositoribus in dubium revocatur, quippe decertatio per vim non videtur accensenda inter casus legitimae defensionis; etsi vero ejusmodi jus agnosceretur ceu legitimum, cessat cum adversarius se dedit vel paciscitur, quia tunc cessat aggresio ac proinde ratio defeusionis.

2.° Debellantibus quoque adscribendum est jus captivitatis tum quoad hostes *activos*, tum quoad inimicos *passivos*, gratia frangendi vires ac minuendi copias adversarii. Age jam, juxta pacta internationalia et mores apud gentes receptos, ex facto captivitatis enascuntur peculiaria jura et obligationes inter captivum belli et Statum captivantem: captivus jus habet ad considerationem suae hierarchiae vel gradui militari debitam, ad alimoniam, ad vestem et ad exemptionem a laboribus coactis (trabajos forzados); vicissim autem ipse obligatione adstringitur arma et munitiones tradendi, nomen, cognomen, gradum, conditionem, caeterasque notitias declarandi, quae per ducem contrarium ab eo forte repetantur. Servata igitur correlatione, jura captivorum officia Status capientis constituunt, et vice versa obligationes captivorum jura determinant ac imponunt nationi et exercitui captivanti.

Captivitas quatuor praecipuis modis concludere potest: 1.° pactione pacis; etenim absoluto bello, desunt inimici, ideoque necesse non est eorum vires imminuere ac subducere, in quo sistitur unica ratio et fulcimentum capturae; 2.° permutatione (canje) captivorum, quae fit enumeratis personis, spectatis gradibus, vel computatis individuis juxta praestantiam hierarchicam graduum; 3.° pretio redemptionis (rescate), forma hodie passim obsoleta, quia libertas nequit esse objectum contractus; 4.° sub fide promissa (palabra de honor) captivorum vel Status eorum nomine sese obligantium non amplius in posterum active vel passive bello participare.

3.° Belligerantes inspicere ac revereri tenentur velut *neutralizatos* milites vulneratos aut aegros, necnon quascumque personas ministerio sanitatis dicatas, ex dispositione duplicis Conventionis Genevensis 1864 et 1868, ubi, assentientibus cunctis Statibus, explicite ac solemniter sancita est neutralitas quoad praefatos milites et laudatas personas in utroque bello, terrestri aut maritimo.

4.° Bellum gerentes denique officio adiguntur honore ac reverentia prosequendi cives *pacificos* seu *inoffensivos* partis adversae, qui ex Jure naturae et gentium absoluta inviolabilitate gaudent, atque idcirco nec captivitati, neque ullo actui violentiae obnoxii esse queunt.

143. Deinde inquirendum remanet quaenam sint jura et officia bellatorum relate ad *res* inimicorum, pro recta et obvia hujus quaestionis solutione res seu bona hostium in triplex genus distinguere decet, videlicet, res *privativas* Statuum, res *communes* nationum atque res *proprias* privatorum.

1.° Quoad res publicas quae *privativae* Status dicuntur, triplici jure frui possunt bellantes, jure *proprietatis*, jure *usufructus* et *administrationis* ac jure *destructionis:* jus *proprietatis* habent praeliatores in res mobiles Status inimici usibus belli deservientes, uti arma, munitiones, tormenta muralia (cañones), glandes igniferas (bombas), naves bellatrices, aliaque similia; jure *usufructus* et *administrationis* potiuntur decertantes in res mobiles vel immobiles quae utroque fini pacifico et bellicoso prodesse queunt, donec firmetur pactio pacis et cesset occupatio militaris mere transitoria; jus *destructionis* pugnantibus competit in proprietates seu bona immobilia, quae bello sustinendo et prosequendo directe ac exclusive dicata sunt, velut castra, arces, propugnacula, militum hospitium (cuarteles), caeteraque aedificia vel praesidia defensioni Status hostilis erecta aut dedicata.

2.° Quoad res etiam *publicas* inter bona *communia* nationum recensitas, eo quod usui communi et ministerio publico inserviunt, dimicantes sacratissimo tenentur officio reverentiae ac conservationis; etenim ex Jure gentium proprietas nationalis, quamplurimis praediis ac aedibus peculiari finì religioso, morali, scientifico, artistico vel litterario dicatis conflata, prorsus inviolabilis habetur et declaratur: hinc in ejusmodi aedificiis, puta templis, nosocomiis, hospitiis, museis, gymnasiis, bibliothecis, etc. erigi solent vexilla albi coloris, ut a tormenti jactibus (cañonazos) et igniferis glandibus (bombas) immunes serventur.

3.° Quoad *bona* civium *particularium* seu proprietatem *privatam*; praestabilienda est necessaria distinctio inter jura et officia certantium, prout bellum terrestre vel maritimum gerant; de violatione aut inviolabilitate proprietatis privatae in bellis maritimis sermo opportunus mox instituetur; nunc vero de hac quaestione, sub aspectu continentali inspecta, tantum agemus.

De proprietate privata, cum bellum terrestre conficitur, duplex sententia apud juristas viget: nonnulli, ducibus Grotio, Bynkershoek, aliisque tractatoribus, contendunt bona civium pacificorum occupationi et recentioni subjici pro debitis satisfaciendis, sumptibus belli sufragandis vel inimicis ad pacem petendam cogendis; plerique autem Juris Internationalis scriptores, quibus libenter adstipulamur, asserunt atque tuentur res seu bona privatorum nullatenus objectum esse posse capturae, occupationis vel retentionis, sed vera et proprie dicta inviolabilitate pollere, licet quasdam restrictiones ex statu exceptionali belli necessario derivatas admittant.

Juxta praxim apud gentes communiter receptam bona privatorum in bellis continentalibus, salvo semper ac recognito principio inviolabilitatis, triplici limitationi seu gravamini subsunt, nempe, tributo, requisitioni

(requisa) et detrimento: [a]) *contributioni* proportionali et aequitativae, quae a populis inoffensivis et civibus pacificis exigi potest vice antiqui et barbari juris, seu potius abusus vastationis et direptionis (saqueo) nuncupati; [b]) *requisitioni*, id est, expropiationi coactae aequorum, vestium, annonae, caeterarumque rerum, quibus excercitus indigent, dummodo praefata requisitio a praefecto militum vel nomine Status decernatur, modo aequitativo et proportionali fiat, intercedat auctoritas localis, atque debita cautio praestetur vel tradatur authenticum documentum ad compensationem, inita pace, obtinendam; [c]) *detrimento,* etenim damna ex conflictu bellorum directe ac inmediate sequuta ut plurimum officere solent bona immobilia civium privatorum, qui, licet inviti et a pugna prorsus alieni, subire coguntur consectaria certamini inhaerentia.

Agnoscitur demum bella terrestria gerentibus facultas exuvias (botin) sui juris faciendi: sed hodiedum solummodo fas est capere ac retinere manubias sensu strictiori sumptas, nimirum, res omnes ad excercitum inimicum attinentes ex usibus belli directe deservientes.

144. Cum vero de bellis maritimis agitur, oritur controversia magni momenti; quaeri enim assolet utrum captare liceat proprietatem privatam, hoc est, naves et merces civium pacificorum: solutio hujus quaestionis haud exiguis difficultatibus scatet, quippe Jus Naturale atque Jus Positivum Internationale hac super re aperte dissentiant. Perspicuitatis gratia quaestionem *practicam* a quaestione *juridica* distinguemus.

Ad *factum* quod spectat, juxta principia Juris positivi gentium hodiedum vigentia, captura navium mercatoriarum earumque onerum in rem judicatam transiit, ita ut ipsarum apprehensio praedam maritimam constituat, et *practice* valida et legitima censeatur, uti fit cum navigiis praeliaribus (de guerra) et praedatoriis (corsarios) nuncupatis.

Sin vero res *juridice* spectetur, tres sententiae apud Juris gentium studiosos discriminari queunt: alii cum Grotio rentur licitam esse apprehensionem occupationemque proprietatis privatae in utroque bello, id est, tam in mari quam in terra; alii autem vestigia Heffter (1), Lorimer (2), Martens (3) et Ortolan (4) prementes capturam proprietatis privatae in bello terrestri rejiciunt ceu verum latrocinium, sed jus praedarum adstruunt atque propugnant quoad proprietatem pacificam in bello navali: plures vero scriptores principiis Juris Naturalis fulciti rectius docent atque defendunt tam illegitimum et notioni justitiae repugnans esse proprietatem privatam violare in bello continentali, bona immobilia subditorum inermium capiendo et sibi arrogando, quam proprietatem privatam in bello maritimo impetere, naves mercatrices civium inoffensorum earumdemque onus subripiendo et sibi vindicando.

Et sane, quidquid hac de re effutierit Ortolan ejusque asseclae, principia naturalia semper eadem sunt, atque perpetua firmitate, aeterna immutabilitate et omnimoda universalitate gaudent; injustitia jugiter injustitia erit, et nunquam in rem justam verti poterit quod de se injustum est. Si igitur diffiteri aut vulnerare jus proprietatis relate ad cives pacificos Status inimici subditos habetur et reputatur, secundum rectam rationem et naturalem aequitatem, veluti res illicita et iniqua, pari modo inficiari aut laedere jus proprietatis

---

(1) *Derecho internacional público de Europa.* Traducción de G. Lizárraga. Madrid, 1875.

(2) *Principios de Derecho internacional,* traducidos al francés y extractados por E. Nys. Versión castellana de López Coterilla. Madrid, 1888.

(3) *Traité de Droit international,* traduit du russe par Leo. París, 1883.

(4) *Des moyens d'acquerir le domaine international.* París, 1851.

quoad navigia privatorum pacificum commercium agentia, censendum erit tamquam illegitimum ac injustum, ideoque praxis et theoria circa *praedas maritimas* privatorum ex usibus, pactis et legibus internationalibus optimo jure delenda erit.

145. Denominantur navigia praedatoria (corsarios) naves mercatoriae armatae quae tempore belli maritimi auctoritate publica munitae et vexilium suae gentes ostendentes maria circumnavigant gratia nationis inimicae rates corbitasque captandi.

Licet navigia piratica cum navibus praedatoriis permisceri ac confundi solent, quia istae sicut illa scopum communem, praedationem nempe, sibi praestituunt ob magnam partem, quam ex praedis factis repetere possunt; attamen piratica (la piratería) atque praedatio armata (el corso) valde inter se differunt: a) piratica ab omnibus Statibus damnata est velut delictum contra Jus gentium, organizatio armata navium ad capturam praedae maritimae nonnullos patronos inter Juris Internationalis tractatores habet atque per Status adhuc nostris diebus usurpatur; b) piratica tempore pacis et belli fit, praedatio armata vero duntaxat peragitur orto bello et facta ejus denuntiatione; c) piratica est actus peculiaris a praedonibus, latrocinio maritimo deditis, positus, organizatio praedatoria e contra est exercitium publicum facultatis a Statu belligerante impertitae et authentica sanctione (patente de corso) munitae, ut ita ratio hostilis, fracto ejus commercio, pacem postulare cogatur.

Sed cum hoc systema praedatorium (corsaría) tot damna commercio gentium inferat, et in totalem perniciem ac destructionem proprietatis privatae civium inermium mercaturam exercentium directe ducat, tentata sunt varia experimenta eliminandi ergo ex usibus belli hanc exitialem formam naves mercatorias captandi; et quamquam cunctae Potentiae maritimae in communem

conventionem nondum pervenerint, fatendum est tamen theoriam internationalem organizationem armatam navium propugnantem gravissimum vulnus subiisse, ex quo edita et sancita fuit in Congressu Parisiensi anni 1856 praestantissima declaratio articulo 1.° contenta: *El Corso queda abolido*. Huic declarationi adstipulati sunt fere omnes Status, Europae et Americae, dissentientibus tantum Hispania, Mexico et Unione Americana, eo quod praeter abolitionem praedationis armatae repetebant, ceu necessarium complementum, solemnem proclamationem inviolabilitatis quoad proprietatem privatam hostium, necnon plenam abrogationem juris capturae seu praedae maritimae.

ARTICULUS V.

SUMMARIUM.

146. Neutralitas.—147. Variae ejus species.—148. Jura Statuum neutralium.—149. Restrictiones juris *commerciis* ac *navigationis*.—150. Officia neutralium.—151. Violatio neutralitatis.—152. *Praedae maritimae*.—153. *Tribunal Praedarum*.—154. Terminus belli.

146. Notio neutralitatis penes populos antiquitatis prorsus ignota fuit; etenim gentes illius remotissimae aetatis amicae vel inimicae erant; jus itaque neutralitatis apud nationes proprie vigere ac regulari coepit saeculo XVIII exeunte; quamvis enim Grotius in suo celeberrimo opere *De jure belli et pacis* atque Bynkersoek in sua de *Jure Publico* tractatione hujus relationis juridicae seu indifferentiae internationalis coram Statibus decertantibus meminerint, nihilominus ejusmodi controversia praecipue agitata est, cum Washington, primus Praeses Reipublicae Septentrionalis Americae, principia neutralitatis ex ipso Jure Naturali deprompta quoad nationes pacificas in praestantissima ejus proclamatione die 22 Aprilis anni 1793 edita solemniter decla-

ravit. Ex tunc temporis prope innumera opera prodiere de hoc argumento pertractantia.

Neutralitas passim definitur; *plena et absoluta abstentio a quacumque participatione, directa vel indirecta, bello inter duos Status orto, ita ut neutri parti bellantium faveatur, séd utriusque amicitia aeque colatur*. De diversis neutralitatis speciebus, de juribus gentibus neutralibus competentibus eorumque restrictionibus, necnon de officiis neutralium atque violatione neutralitatis summis labiis aliquid delibabimus.

147. Juristae neutralitatem communiter dividere consuescunt in naturalem et conventionalem, perfectam aut imperfectam, atque armatam vel perpetuam: *naturalis* dicitur neutralitas qua fruuntur Status ratione propriae independentiae Jure naturae fulcitae, quin aliquid faciant aut declarent pro una vel alia natione belligeranti; *conventionalis* nominatur quae speciali pacto sancita est sive ad agnoscendam quoad gentes neutrales ipsam naturalem neutralitatem, sive ad restringendam quoad Status debellantes extensionem belli, eam territorio determinato circumscribendo; *perfecta* appellatur quae definitioni supra allatae plane cohaeret, et sita est in totali ac completa abstentione a quovis auxilio Statibus dimicantibus praestando; *imperfecta* vero consistit in auxilio utroque belligeranti aeque praebendo; hujusmodi neutralitatem *imparcialem* etiam nuncupatam rejiciendan ducimus, quippe genuino neutralitatis conceptui plane adversatur, quae per se necessario importat plenam et absolutam a quacumque cooperatione abstentionem; *armata* denominatur quae jura inviolabilitatis, libertatis atque independentiae Statuum neutralium propria vi armorum tuetur; *perpetua* est ea qua jugiter fruuntur quidam Status, ita ut publicum nationum certamen coadjuvare nunquam teneantur: hoc neutralitate gaudent in Europa Belgium ex Conventione Londinensi 1831, Helvetia ex Congressu Viennensi 1815,

Insulae Jonicae ex Pactione 1863, Luxemburgum ex Foedere 1837; in Africa autem Status liber Congo appellatus ex Collatione Berolinensi 1885, Africanista vulgo dicta.

148. Status neutrales quibusdam juribus pollent et correlative peculiaribus officio adstringuntur: utraque breviter recensebimus.

Quatuor jura Statibus neutralibus praecipue competunt: 1.° jus *inviolabilitatis* quoad territorium, hoc est, vetandi ne bellum aut quaevis operatio praeliaris intra suos fines, colonias, mare jurisdictionale, caeterasque ditiones fiat; hoc jus secum implicat facultatem armis rejiciendi bellatores limites transilire aggredientes, copias territorium invadentes exarmandi et captivandi, libertatem donandi captivos apud ipsas detentos, necnon exuvias et praedas antiquis dominis restituendi: 2.° jus *asyli* in mari et in terra; in *mari* recipiendo ac protegendo navigia ab inimicis insectata et ad portus se tuto confugientia, modo non dimittantur, nec ad praeliandum denuo redeant; in *terra* transitum per sua confinia sinendo militaribus manipulis (cuerpos de ejército) ab hostibus persequutis et fugam capientibus, dummodo milites armis exuantur, eorumque duces sub data fide bellum deserere promittant; minime autem confundi debet jus asyli cum jure *refugii*, quo gaudent naves in discrimine ob procellam positae ad portum salutis quaerendum: 3.° jus *defensionis*, id est, personas et proprietates suorum subditorum tuendi: 4.° jus *commercii* et *navigationis* licet necessariis limitationibus obnoxium ex ipso belli statu profectis, videlicet, prohibitioni mercium bellicarum (contrabando de guerra), inspectioni (visita) atque obsidioni (bloqueo), de quibus statim, ac contextim loquemur.

In dubium revocari nequit quin Status neutrales libera facultate potiuntur commercium etiam cum belligerantibus agendi, quandoquidem pacem et concordiam

cum omnibus nationibus, vel quidem certantibus, servant, ex quo recte eruuntur duo consectaria juridico-internationalia per declarationem in Congressu Parisiensi 1756 editam expresse ac solemniter sancita: [a]) mercem inimicam sub vexillo navali Status neutralis esse colendam, quod nostra vernácula lingua duplici graphica formula exprimi solet—*Nave libre, carga libre —el pabellón cubre la mercancía*—; [b]) onus neutrale sub hostili signo objectum capturae esse non posse: hinc hodiedum etiam ex sententia eorum qui apprehensionem proprietatis privatae in bellis navalibus propugnant, jus capturae applicationem valde restrictam habet; etenim, excepto triplici casu modo exponendo infractionis quoad prohibitionem mercium, violationis quoad obsidionem atque denegationis quoad inspectionem, dumtaxat capi potest proprietas inimica sub vexillo navali hostium ducta.

149. Postremum jus *commercii* ac *navigationis* Statibus neutralibus competens ipso facto belli quibusdam restrictionibus coarctatur; nationes enim praefatum jus non eadem libertate exercere possunt tempore belli, ac tempore pacis: hinc non vacat aliquid levissime pertingere de triplici modificatione cui, bello exorto, subjacet tum commercium neutralium, tum eorum navigatio, tum utrumque simul, commercium nempe ac navigatio, ex quo exsurgunt tres limitationes libertati commerciali et navali Statuum amicitiam et pacem custodientium appositae.

Limitatio commercii. In primis enim commercium neutralium praescriptione restringitur non transvehendi merces bellicas prohibitas (contrabando de guerra); quod si quaeratur quaenam sint mercimonia quorum negotiatio sub respectu bellicoso vel propter connexionem cum praeliis Statibus neutralibus vetatur, supervacaneum nobis videtur tempus terere in tot tamque diversis rerum speciebus determinandis, cum ipsimet

juristae inter se dissentiant, atque pacta internationalia Jus conventionale constituentia maxime discrepent.

Eapropter via expeditior atque medium efficacius aliquid super hac complexa et inextricabili materia definiendi profecto erit sequens generale principium stabilire: "merces nationibus neutralibus occasione belli interdictae existimandae sunt quaecumque res usibus belli sive continentalis sive maritimi directe ac immediate deservientes".

Limitatio navigationis. Praeterea libertas circumnavigandi; qua fruuntur Status neutrales, visitationi subjacet navium bellum gerentium, ut nationes dimicantes certiores fiant de observantia neutralitalis. Hujusmodi recognitio nihil aliud est quam actus jurisdictionalis in gentes neutrales unicuique bellatori exceptionaliter competens.

Jus inspectionis tantum exerceri potest per navigia praeliaria vel praedatoria (post declarationem Congressus Parisiensis 1856 praedatio armata (corso) vix adhibetur) Statuum belligerantium, nunquam vero per naves mercatorias.

Praedictam inquisitionem subire tenentur rates neutrales praedationi vel mercaturae deditae, minime autem navigia bellatoria, pro quibus sufficit formalis declaratio a duce facta merces prohibitas non asportandi.

In facienda ejusmodi recognitione, juxta foedera internationalia et praxim gentium, nonnullae servandae sunt solemnitates, praesertim vero: a) detinere navigium, de quo suspicio habeatur, praevia tormenti displosione (cañonazo), quae monitum dicitur *(el aviso)*; b) scrutari documenta navalia (de a bordo), ut comprobetur neutralitas ejusque observantia, quod nuncupatur probatio *documentalis;* c) recurrere, quando ex recognitione documentorum nihil certi eruatur, ad secundam probationem *testimonialem* vocatam, a nautarum turba

(tripulación) inquirendo quidquid ad comparandam certitudinem neutralitatis et liceitatem oneris recte ducat; [d]) sin vero neutrum medium ad scopum attingendum sufficiat, adhuc remanet recursus explorationis, hoc est, exercitium juris, quod appellatur indagationis (de pesquisa).

Age jam, si navis neutralis detenta et requisita merces prohibitas non ferat, dimittitur, ut suum cursum prosequatur; quod si commonefacta per signum apud gentes conventum monitum contempserit et in fugam se conjecerit, vel solemnitatibus supradictis recognita neutralitatem violaverit, a navigio Status belligerantis capitur atque ad aliquem ex suis portubus adducitur, ut congrua poena plectatur; captura vero in confiscationem seu bonam praedam vertitur, cum Tribunal Praedarum, re cognita et probationibus rite perpensis, capturam legitimam declarat, sententiam de violata neutralitate ferendo.

Limitatio commercii et navigationis. Demum libertas negotiandi et navigandi Statibus neutralibus inhaerens obsidione coarctatur, sub quo nomine usuvenit jus Statui laeso aut bellum gerenti competens circumvallandi urbes munitas, arces vel zonam maritimam nationis laedentis aut belligerantis: uti ex definitione colligitur, triplex obsidio accurate distinguenda est; obsidio *pacifica* seu *commercialis* dicta quae inter Status confligentes locum habet, gratia obtinendi quaestionis solutionem vel injuriae illatae satisfactionem; obsidio contra *bellantes* tamquam medium licitum citius in pacem perveniendi absque sanguinis effusione; atque obsidio relate ad *neutrales*, quibus commercium et navigatio per loca circumclausa praepeditur. De hac postrema obsidione heic tantum loquimur.

Jam vero, ut ejusmodi obsidio vere existat et vi coactiva apud gentes polleat, juxta pacta et declarationes internationales, requiruntur quatuor conditiones:

1.ª realitas effectiva obsidionis, secundum Declarationem Parisiensem 1856, ita ut adsint navigia numero ac proximitate sufficientia impediendis per maria circumsepta mercaturae et navigationi; 2.ª denuntiatio obsidionis, sive generalis (a Statu obsidente cunctis Statibus neutralibus facta), sive specialis (per navigia obsidentia navibus neutralibus in loca circumventa gradientibus facta); haec notificatio prorsus necessaria est, sicut declaratio belli, secus enim rates maria clausa sulcantes irresponsabiles omnino essent; 3.ª auctoritas competens ad obsidendum, nempe, Status vera independentia et imperio proprie dicto insigniti; 4.ª loca obsidioni apta et a Jure Internationali determinata, cujusmodi habentur portus et oppida maritima, ostium atque exitus fluminum nationalium, zona maritima alicujus Status; sed nequeunt esse obsidionis objectum ortus et exitus fluviorum internationalium, canales vel maris angustiae, quibus maria libera communicantur.

150. Juribus nuper recensitis atque ex neutralitate legitime derivatis respondent specialia officia per Status neutrales adimplenda, et quamvis omnia in principio seu generali prohibitione contineantur quodcumque praesidium seu adjutorium belligerantibus suppeditandi, attamen operis pretium ducimus eadem singillatim dinumerare.

Ad quatuor etiam revocantur praecipuae obligationes, quibus Status neutrales erga nationes decertantes devinciuntur; ideoque tenentur: 1.° officio non opitulandi suis copiis vel navigiis praeliaribus Status dimicantes; 2.° officio nullatenus in suis portubus consentiendi constructionem, instructionem vel apparatum navium usui belligerantium, de quo exstat sententia internationalis die 14 Septembris anni 1871 lata per Tribunal Genevense, vi foederis Washington die 8 Maii ejusdem anni initi constitutum (1); 3.° officio haud si-

(1) A continuación insertamos las principales resoluciones dicta-

nendi transitum per suum territorium exercitibus praeliantibus; quoad vero bella navalia, navigiis praeliaribus et classibus bellantibus permittitur transitio per aquas jurisdictionales Statuum neutralium, dummodo pacifice fiat; 4.° officio minime struendi seu organizandi directe et per seipsum legiones voluntarias (cuerpos francos) vel turbas praedatorias militum (tripulaciones corsarias) ad opem uni ex Statibus contendentibus ferendam; sed animadvertendum est neutralitatem non violari, cum subditi Status neutralis sponte ac sejunctim nomen exercitui belligeranti dant, quin Gubernium ipsos conscribant.

151. Ex praejactis pronum est conjicere neutralitatem directe vel indirecte, titulo oneroso vel gratuito violari posse, quotiescumque officia superius recensita explicite aut implicite infringantur; sed ut plurimum violatio duplici pacto perpetrari solet: a) *personaliter*, copias subministrando et exercitus bellantium augendo; b) *realiter*, arma, munitiones, aequos, provisiones ad praelium vel quascumque res militares ex armamentariis desumptas Statibus certantibus praestando; attamen

---

das sobre este punto por el Tribunal arbitral de Ginebra con motivo de la célebre cuestión del buque Alabama.

1.ª Todo Estado neutral está obligado á ejercer la debida vigilancia para evitar que en sus puertos se construyan, armen ó equipen buques de guerra destinados á uno de los beligerantes; y por este mismo artículo primero de la sentencia se dispone que también el Estado neutral está obligado á impedir que buques armados salgan de sus puertos y de sus aguas jurisdiccionales, siempre que tengan motivos fundados para sospechar que van destinados á uno de los beligerantes en perjuicio del otro.

2.ª Todo Estado neutral está obligado á impedir que en sus puertos y aguas jurisdiccionales entren buques de los beligerantes con el fin de pertrecharse, y debe evitarse también que sirvan esas mismas aguas y puertos de base de operaciones.

3.ª Todo Estado neutral está igualmente obligado á ejercer la debida vigilancia en sus puertos y aguas jurisdiccionales para impedir que cualquiera de sus ciudadanos verifique las operaciones antes indicadas ó viole las obligaciones ya expresadas.

annonas seu cibaria utrique belligeranti aeque suppeditare non aestimatur velut neutralitatis violatio.

Quod vero ad restaurationem violatae neutralitatis spectat, si violatio dolo ac malitiae Status neutralis aperte imputari possit, hic vel ad amittenda jura neutralitatis, vel ad compensationem reddendam, uti contigit in praelaudata quaestione navigii *Alabama* dicti, vel ad plenam satisfactionem exhibenda plectitur; sin autem violatio neutralitatis contra voluntatem Status neutralis locum habeat, qui copiis et viribus caret ad rejiciendam aggressionem vel invasionem exercitus belligerantis in suum territorium, tunc caeterae nationes causam agere debent Status neutralis ejus jura positive defendendo, non autem vanam et inutilem protestationem publicando, ut passim fit.

152. Cum de praedis maritimis saepenumero loquuti simus, abs re non erit brevissimum sermonem de hoc argumento cum bellis navalibus intime conjuncto instituere.

Praedae maritimae nuncupantur "naves quae in bello maritimo capiuntur tum nationi inimicae, tum etiam interdum Statibus neutralibus ob violationem neutralitatis hostiliter sese gerentibus", ex allata notione infertur duplex genus esse praedarum, prout navigia ad nationes contrarias vel ad gentes neutras attineant.

Quoad primum genus praedarum, apprehendi possunt naves bellatrices et praedatoriae hostium; sed, uti alias animadvertimus, quidquid sit de praxi internationali communiter recepta, rates mercatoriae pacifice maria sulcantes a captura exemptae spectandae sunt; etenim, juxta recta Juris Naturalis principia, proprietas privata civium inermium et pacificorum eadem reverentia prosequenda et colenda est in bellis continentalibus ac in bellis navalibus.

Capi vero nequeunt, si jurisprudentiae internationali et mori universali gentium standum sit, sequentes

naves: navigia tabellaria (correos), classes expeditionibus scientificis dicatae, carinae in nosocomium conversae (hospitales), rates naufragium passae, atque scaphae (lanchas de pescar).

Quoad secundum genus praedarum navigia neutralium capturae obnoxia remanent, statim ac neutralitatem violent; desinunt autem officia Statibus neutris, quos repraesentant, injuncta servare in triplici praesertim casu: [a]) cum merces in bello prohibitas vehunt; [b]) quando recognitionem detrectant, jus visitationis diffitentes; [c]) quoties obsidionem legaliter constitutam perrumpunt. Apprehensioni igitur subsunt propter inobservantiam obligationum neutralium rates vectoriae, navigia praedatoria et per exceptionem naves bellatrices, si quando uni ex bellatoribus faveant, atque aperte hostiles erga alterum belligerantem se ostendant.

153. In praedis maritimis tres actus optime distingui queunt: 1.° factum *materiale* seu captura praedae; 2.° factum *formale* seu judicium de praeda; 3.° factum *decretorium*, terminus juridicus seu confiscatio praedae. Dum navis apprehensa in prima capturae periodo reperitur, non adest praeda proprie dicta; etenim ad eam legitimam declarandam opus est sententia definitiva, ordine processali servato, et per tribunal speciale jurisdictione instructum lata.

Ejusmodi tribunal cui committitur munus judicandi de legitimitate vel illegitimitate capturae vulgo appellatur *Tribunal* aut *Consilium Praedarum Maritimarum*. Circa exercitium jurisdictionis pro dirimendis quaestionibus praedaticiis magna viget inter tractatores discrepantia: alii contendunt facultatem hac de re judicandi Statui praedam capienti competere; alii tuentur hujusmodi attributionem nationi, cujus est praeda capta, esse deferendam; nonnulli vero, quorum sententiae ultro assentimur, rectius tenent hoc jus tribui oportere cuidam auctoritati cunctis Statibus superiori, ut ita

sine partium studio sententia feratur: hinc maximopere urget institutio Tribunalis Internationalis potestate suprema instructi ad cognoscendas finiendasque contentiones juridicas penes gentes obortas occasione capturae praedatitiae.

Tribunal praedarum in tramitatione causae methodum processalem servare tenetur, in qua, sicut in quolibet alio processu, tres periodi recte distingui valent, nempe, periodus *allegationum*, periodus *probationum* atque periodus *sententiae*, qua prolata, si favorabilis sit, bona seu legitima declaratur praeda, et in proprietatem Status captantis devenit: sin vero adversa fuerit, captura illegitima pronunciatur, atque navigium apprehendens restitutioni praedae, damnorum compensationi et impensis processus damnatur.

Quoad modum procedendi in hisce litigiis praedatiiis adest quaedam norma internationalis, quam anno 1887 tradidit Institutum Gandavense sub titulo—*Reglamento internacional de presas marítimas*—, cui ut plurimum attemperari solent Status Europae atque Americae pro instruendis ac concludendis hac de re judiciis.

154. Coronidis gratia de termino belli nonnihil dicemus, de conclusione nempe hujus violentissimae, antijuridicae atque irrationalis formae, ad quam velut supremum recursum confugere solent Status pro suis contentionibus dirimendis.

Enimvero necesse omnino est finem habeat bellum, ut status jure et facto adeo anomalus atque exceptionalis cesset; ut obcurratur gravissimis incommodis et quamplurimis damnis, quae personis ac rebus, nationi et civibus privatis, belligerantibus et neutralibus passim inferuntur; ut perturbatio et negatio juris e medio tollatur; ut pax inter gentes, quae ex ipsa natura esse debet regula generalis et conditio socialis hominum, iterum renascatur; summatim ut mutuae Statuum relationes denuo restabiliantur.

Age jam, finiendi ergo sensu formali ac juridico bellum haud sufficiunt induciae seu cessatio hostilitatum, neque submissio unius alteri bellatori, quia hac ratione ad summum vitaretur actualis conflictus armorum, sed remaneret absque debita solutione quaestio juridica vel contentio certamini originem praebens; ad bellum igitur de facto et de jure absolvendum nullum aliud medium adaequatum superest quam solemnis stipulatio pacis.

Pacificatio autem duplici pactorum genere obtinetur, conventione proemiali, in qua statuitur pacis praeludium, hoc est, determinantur praecipui articuli seu bases generales mutuae intelligentiae et futurae concordiae; deinde ac praesertim foedere decretorio seu pactione definitiva, quae conditiones tum generales tum speciales complectitur.

Pacta definitiva pacis sequentes continent generales conditiones: 1.° mutuam in posterum amicitiae et concordiae promissionem, ita ut ex tunc cesset status et jus belli atque vigere incipiat status et jus pacis; 2.° libertatem captivorum; 3.° amnistiam omnium qui complicitatem vel responsabilitatem in bello habuerint; 4.° derelictionem territorii. Praeter has conditiones generales foedera pacis pluribus clausulis specialibus constare solent, relate ad recognitionem juris controversi, ad compensationem damnorum et sumptuum belli, ad cessionem territorii, ad continuationem *statu quo*, sive hoc conveniatur *ante bellum*, id est, res et territorium praesertim in eum statum reddendo, quem habebant, antequam bellum oriretur; sive stipulatio *post bellum* fiat, nempe, servato statu et rerum mutatione, quae ex ipso bello sequuta sit, cum suspenduntur hostilitates.

Cum de pace ineunda agimus, circumstantiam praestantissimam annotare consentaneum nobis videtur, nimirum, jus *postliminii* apud Romanos vigens, situm in quadam fictione, vi cujus cives romani captivi,

cum libertatem recuperarent, in exercitium ac possesionem suorum jurium redibant veluti si nunquam in captivitate exstitissent, usum et applicationem in Jure Internationali obtinere: hinc semel ac bellum desierit et pax inter belligerantes firmata sit, Statibus, urbibus atque civibus restituuntur omnia jura legitima; etenim *ipso facto* restauratur ordo legalis et relationes juridicae antea praevalentes vigore donantur.

FINIS

VOLUMINIS SECUNDI ET OPERIS.

INDEX VOLUMINIS SECUNDI

ORDO TRACTATIONIS. . . , ... V

PARS SECUNDA

QUAESTIONES SPECIALES DE POTESTATE ECCLESIAE SEU EXAMEN JURIUM PRAECIPUORUM ECCLESIAE.

Pags.

CAPUT I. – QUAESTIONES SPECIALES DE POTESTATE INDEPENDENTE ECCLESIAE 9

ARTICULUS I.—*Summarium.*—1. Ecclesiastica Potestas.—2. Potestas independens Ecclesiae.—3. Jura quae ipsi competunt ratione finis *proprii.*—4. Abusus potestatis civilis recenseantur.—5. Primus abusus: *Retentio Bullarum* seu *Placitum Regium.*—6. Probetur Principes saeculares minime posse in suis statibus promulgationem atque exsecutionem Constitutionum Pontificiarum impedire.—7. Regalistarum objectiones solvantur 9

ARTICULUS II.—*Summarium.*—8. Secundus abusus potestatis saecularis: *Nominatio regia* jure *regaliae.*—9. Ostendatur Principibus nullum esse jus proprium vel repraesentativum pro instituendis aut designandis Ecclesiae Ministris.—10. An Status ab Episcopis exigere possit speciale juramentum fidelitatis.—11. Adversariorum objectiones refellantur. 17

ARTICULUS III.—*Summarium.*—12. Tertius abusus auctoritatis civilis: *Apellationes ab abusu* (*Recursos de fuerza*).—13. Origo *historica* hujusmodi abusus in Hispania.—14. Judicium *criticum* de diversa Recursuum specie.—15. Aspectus *juridi-*

Pags.

cus hujusce quaestionis. — 16. Errores Gallicanorum ac Regalistarum hac super re. — 17. Ostendatur Principibus et saecularibus magistratibus minime competere jus recipiendi appellationes *ab abusu* 24

Articulus IV.—*Summarium.* —18. Apellationes de sententia *ex informata conscientia.*—19. Modus procedendi ex jure Decretalium contra clericos criminales ordinari vel promoveri petentes. - 20. Decretum Tridentinum. — 21. An facultas *extrajudicialis* Jure Novissimo Episcopis concessa valida sit. — 22. Utrum legitima existat. — 23. Quomodo interpretanda sit.—24. Conclusio practica. 38

Articulus V.—*Summarium.*—25. Quartus abusus adversus Ecclesiae independentiam: *Violatio Immunitatis Ecclesiasticae.* —26. Notio atque divisio immunitatum.—27. Principia certa hac super re.—28. Opiniones circa originem *juridicam* Immunitatum —29. Refutatio sententiae extremae Regalistarum originem *civilem* propugnantium 47

Articulus VI.—*Summarium.*—30. Sententia extrema Juristarum catholicorum *divinam* originem tuentium expendatur.— 31. Opinio *ecclesiasticam* originem sustentans.—32. Quaenam sententia tenenda sit.—33. Origo *historica* Immunitatum.—34. Jus *asyli.*—35. Evolutio hujus specialis immunitatis localis.—36. Ratio agendi Ecclesiae in materia Immunitatis 58

CAPUT II.—Quaestiones speciales de potestate directa Ecclesiae 73

Articulus I. - *Summarium*.—37. Potestas *directa* Ecclesiae.— 38. Jura quae ipsi competunt ratione finis *proximi.*—39. Jus Ecclesiae quoad *Fidem* seu doctrinam.—40. Potestas Ecclesiae fidem tum infidelibus, tum acatholicis praedicandi.— 41. Jus Ecclesiae doctrinam catholicam fidelibus proponendi.—42. Jus Ecclesiae fideles instituendi ac conservandi in fide christiana 73

Articulus II.—*Summarium.*—43 Interventio Ecclesiae in scholis: praecipua earumdem divisio.—44. Principia juridico-catholica quae hac de re supponi et praevalere debent.— 45. Jus *negativum* et *positivum* Ecclesiae in scholas fidelium.—46. Potestas Ecclesiae in scholas *primarias* et *privatas.* — 47. Quanam auctoritate gaudeat supra scholas *populares publicas.*—48. Quid juris competat in scholas elementares privatas, sed publicis *assimilatas.* - 49. Qua facultate polleat erga scholas *secundarias.*—50. Utrum in *superioribus* intervenire possit ac debeat 79

Articulus III. — *Summarium.* — 51. Jus Ecclesiae quoad *Sacramenta.* — 52. Potestas Ecclesiae quoad *Sacramentalia.* — 53. Jus exclusivum Ecclesiae quoad *Cultum Publicum* seu

Pags.

Sacram Liturgiam ratione *loci* sacris peragendis *specialiter dicati*.—54. Facultas Ecclesiae actus religiosos in *locis publicis* exercendi.—55. Jus Ecclesiae relate ad cultum ratione *temporis*.—56. Ejusdem competentia ratione *modi* . . 93

ARTICULUS IV.—*Summarium*.—57. *Adsociationes Piae*.—58. Quanam facultate polleat Ecclesia erga societates *pias*.—59. Quisnam collegia seu personas *fictitias* instituere possit.—60. *Opera Pia*.—61. Quaenam potestas Ecclesiae competat in ejusmodi operas.—62. Quid de institutione pii operis apud catholicos jure naturali sentiendum sit.—63. Quaenam juris positivi praescriptiones hac super re habeantur . . 106

ARTICULUS V. — *Summarium*. — 64. *Ordines* et *Congregationes* Religiosae.—65. Aspectus *juridicus* hujus quaestionis.—66. Jus Ecclesiae vota religionis publice agnoscendi et socialiter moderandi.—67. Quaenam auctoritas ipsi competat supra Societates Religiosas.—68 Officium Status catholici leges Ecclesiae hac de re latas civiliter recognoscendi.—69. Obligatio societati civili incumbens erga personalitatem juridicam et naturam hierarchicam Ordinum atque Congregationum 114

ARTICULUS VI.—*Summarium*.—70. Jus Ecclesiae quoad *cadavera* fidelium atque religiosam *sepulturam*.—71. Honor et reverentia erga defunctorum corpora.—72. An loca in quibus haec requiescunt sint religiosa.—73. Ratio agendi Ecclesiae juxta diversas sepulturae christianae epochas.—74. Quid de sepulcris in ipsis Ecclesiis censendum sit.—75. Modus curandi cadavera.—76. *Humatio* et *Crematio* historice spectatae.—77. Rationes pro crematione adductae expendantur.—78. Ritus humationis apud christianos usitatus vindicetur.—79. Utrum Ecclesia obtemperare teneretur legibus civilibus, si quando crematio praescriberetur . 124

CAPUT III.—QUAESTIONES SPECIALES DE POTESTATE PLENA ECCLESIAE 139

ARTICULUS I.—*Summarium*.—80. Potestas *plena* Ecclesiae.—81. Jura quae ipsi competunt ratione finis *necessarii*.—82. Disciplina Ecclesiastica.—83. Jus Ecclesiae ad suam *Disciplinam* statuendam atque moderandam.—84. Probetur institutionem et ordinationem Disciplinae *externae* appellatae Ecclesiae tantum, minime vero Principibus competere 139

ARTICULUS II.—*Summarium*.—85. Jus Ecclesiae ad suam *Organizationem*. 86. Quid et quotuplex sit ecclesiastica organizatio.—87. Jus Ecclesiae ad organizationem *territorialem*. 88 Quid nomine Ecclesiae in substrata materia veniat.—89. Competentia exclusiva Ecclesiae statuendi ac moderandi organizationem *personalem* seu *hierarchicam*.—90. Potestas Ecclesiae organizationem *mixtam* stabiliendi atque

Pags.

i· pertiendi Religiosis. — 91. Jus Summorum Pontificum concedendi exemptiones 147

ARTICULUS III. —*Summarium.*—92. Jus Ecclesiae *acquirendi* et *possidendi* bona temporalia.—93. Argumentum *juridicum.*— 94. Probatio *historica.*—95. An Princeps vel potestas saecularis *limites* ponere queat acquisitionibus Ecclesiae.— 96. *Desamortizatio.*—97. Desamortizatio *activa.*—98. Desamortizatio *passiva* 161

ARTICULUS IV.—*Summarium.*—99. *Amortizatio.*—100. Leges *amortizationis* —101. Ostendatur hujusmodi leges esse omnino improbandas.—102. An bona Ecclesiae, quae vulgo nuncupantur *manuum mortuarum*, reputari possint commercio nociva.—103. Utrum industriae vere officiant.— 104. Num indefinitae Ecclesiae acquisitiones Principibus saecularibus detrimentum inferre valeant.—105. An Rempublicam aut civilem societatem laedere queant . . . 171

ARTICULUS V.—*Summarium.*—106. Jus Ecclesiae res suas libere *administrandi.*—107. Cuinam competat dominium bonorum ecclesiasticorum.—108. Jus Ecclesiae *subsidia exigendi* vel *tributa imponendi.*—109. Ratio hujusmodi exactionis vel impositionis.—110. Quid de hodierna Cultus et Cleri sustentatione judicandum sit.—111. Oblationes et tributa in favorem Apostolicae Sedis.—112. Jus Ecclesiae *acquirendi jurisdictionis* 182

ARTICULUS VI.—*Summarium.*—113. Dominium temporale Sanctae Sedis.—114. 1.ª Thesis: *Principatus civilis Romanorum Pontificum tum* «materialiter» *tum* «formaliter» *sumptus diverso tempore atque multiplici ex causa ortum habuit.*—115. Origo *Dominationis temporalis* —116.—Praecipuae causae hujus eventus.—117. Origo *principatus civilis.*—118. Quibusnam causis tribuenda sit Monarchia politica Romanorum Pontificum 197

ARTICULUS VII.—*Summarium.*—119. 2.ª Thesis: *Dominium temporale succesoribus B. Petri vinculatum omnimoda et perfecta legitimitate gaudet.*—120. Argumentum *philosophicum.*—121. Argumentum *historicum.*—122. An Patriciatus Romanus Pipino ejusque filiis collatus, vel Dignitas Imperialis Carolo Magno concessa jus Summorum Pontificum imminuerit.— 123. Argumentum *juridicum.*—124. Argumentum *theologicum.*—125. Argumentum *ad hominem* 209

ARTICULUS VIII.—*Summarium.*—126. 3.ª Thesis: *Principatus civilis Romanorum Pontificum in praesenti societatis conditione necessarius est ad plenam et evidentem Sanctae Sedis libertatem.*—127. Praenotanda.—128. Rationum momenta quae pro thesi enuntiata militant.—129. Testimonium historicum. —130. Jus ecclesiasticum.—131. Sensus traditionalis.—132. Praestantissima corollaria 223

Pagæ.

Articulus IX.—*Summarium.* — 133. Perpetuitas Principatus civilis Sanctae Sedis.—134. Quaenam in hac perpetuitaté distinguere oporteat.—135. Amissio *temporalis dominationis.* —136. Firmitas *principatus politici*; 4.ª Thesis: *Principatus civilis speciali Dei providentia Petri Succesoribus collatuš adhuc viget et permanet.*—137. Perpendantur argumenta adversariorum.—138. Ratio *historica.*—139. Ratio *juridica.*—140. Ratio *politica.*—141. Ratio *internationalis* . . . 234

Articulus X.—*Summarium.*—142. 5.ª et postrema, Thesis: *Restauratio temporalis Sanctae Sedis dominii religionis, justitiae atque ordinis socialis magni interest; ideoque optandum est quam cito Romano Pontifici restitui patrimonium S. Petri.*—143. Probationes ex *religione* sumptae pro necessitate instaurationis adducantur.—144. Argumenta *juridica* exponantur.—145. Prima pars thesis observationibus ordinis *internationalis* confirmetur.—146. Utrum votum atque fiducia, quorum in secunda propositionis parte mentio fit, sint tantum inutile desiderium et vana spes 244

CAPUT IV.—Quaestiones speciales de potestate indirecta Ecclesiae 255

Articulus I.—*Summarium.*—147. Potestas *indirecta* Ecclesiae. —148. Jura quae ipsi competunt vel competere possunt ratione finis *ultimi* — 149. Jus *defensionis* in ordine *sociali.* — 150. Jus *imperii* in ordine *politico.*—151. Jus *irritationis* in ordine *legali.*—152 Jus *cognitionis* in ordine *juridico.*—153. Elenchus praecipuarum causarum de quibus cognoscere potest Ecclesia vi potestatis indirectae, seu propter specialem relationem ad ordinem spiritualem 255

Articulus II.—*Summarium.*—154. Jura potestatis indirectae in ordine *regali.*—155. Probetur Ecclesiam judicare ac corrigere posse, atque reipsa aliquando Principes saeculares punivisse.—156. Modus servatus in exercitio hujus potestatis.—157. An Romani Pontifices eadem usi fuerint jure *divino, publico* vel *feudali* 266

Articulus III.—*Summarium.*—158. Jus Ecclesiae quoad depositionem Principum.—159. Differentia inter declarationem juris et privationem regni.—160. Ostendatur Romanos Pontifices nonnullos Imperatores medii aevi Ecclesiae hostiles pleno ac optimo jure poena depositionis mulctasse.—161. Origo *Sacri Imperii Romani*—162. Natura Imperii in Occidente restaurati.—163. Connexio dignitatis Imperialis cum regnis Germanico et Italico.—164. Causae justae depositionis 275

Articulus IV.—*Summarium.*—165. Depositio Regum —166. Demonstrettur Romanos Pontifices juxta jus publicum medii aevi legitime potuisse Reges Sanctae Sedi *tributarios* deponere.—167. Idem evincatur quoad Principes *liberos.*—168.

Pags.

Quid de hoc Pontificio jure aetate media vigente *critice* censendum sit.—169. Quaestio *juridica* de potestate Summorum Pontificum in Reges exponatur.—170. Sententiae *extremae* rejiciantur.—171. Sententia *media* generatim recepta propugnetur.—172. An Pontifices Maximi Principes Ecclesiae ac religioni adversantes usque ad depositionem punire valeant 284

Articulus V.—*Summarium.*—173. Concessio regnorum, terrarum atque exclusivi commercii a Summis Pontificibus facta. 174. Ditiones *antiquae.*—175. Regiones *novae.*—176. Accusationes hac de causa adversus Ecclesiam Summosque Pontifices latae —177. 1.ª Thesis: *Romani Pontifices legitime egerunt, regna, territoria vel titulum regium Principibus concedendo.*—178. Probetur legitimitas concessionis Pontificiae quoad regiones jam *notas.*—179. Idem ostendatur quoad terras *noviter* detectas 295

Articulus VI.—*Summarium.*—180. 2.ª Thesis: *Christi Vicarii terras detectas seu nova dominia quibusdam Regibus adjudicarunt, quin jura populorum laederent.*—181. Probetur concessiones Romanorum Pontificum jus populorum nullo pacto violasse.—182. 3.ª Thesis: *Petri Successores non arbitrarie, sed justis causis suffulti exclusivum commercium cum indigenis novi orbis aliquibus Principibus tribuerunt.*—183. Ostendatur Summos Pontifices juste egisse aliis gentibus christianis permittendo, aliis vero interdicendo commercium cum populis noviter detectis.—184. An omnia facta historica, in quibus apparet interventus vel decisio potestatis Pontificiae ex jure mere divino sufficienter explicari possint. . . . 306

Articulus VII.—*Summarium.*—185. Jus Ecclesiae Romanorumque Pontificum in ordine *internationali.*—186. Societas ethnarchica.—187. An, si quando efformaretur, aequalis vel inaequalis esset.—188. Ethnarchia christiana seu *Christianitas* mediae aetatis.—189. Potestas ethnarchica Summi Pontificis.—190. Quonam titulo eam exercuerint Petri Successores.—191. Ratio fundamentalis juris internationalis pontificii.—192. Utilitates pro statibus catholicis.—193. Paulatina defectio atque exitialis dissolutio *Christianitatis* . . . 316

SYNOPSIS

JURIS INTERNATIONALIS PUBLICI

Notiones generales.—§ I.—*Summarium.*—1. Jus Gentium.—2. Duplex acceptio.—3. Juris Internationalis *Positivi* distinctio.—4. In quo differat Jus Internationale *Publicum* a Jure *Privato.*—5. Juris Publici variae denominationes.—6. Prae-

Pagg.

cipuae divisiones.—7. Natura.—8. Fontes.—9. Adjumenta tum *interna* tum *externa* Juris Internationalis Publici . . 313

§ II.—*Summarium.*—10. Quid in Jure Publico Internationali ad genuinam ejus notionem dignoscendam spectari oporteat. —11. Quaestio *critica*.—12. An sit vere Jus Internationale. 13. Utrum sit perfectum.—14. Num aliquando devenire poterit perfectum. — 15. Quaestio *historica*. — 16. Quaenam relationes et principia apud gentes exstiterint antiquis temporibus.—17. Quaenam medio aevo emicuerint. -18. Quaenam viguerint epocha recentiori. — 19. Quaenam aetate novissima praevaluerint 340

§ III.—*Summarium.* –20. Quaestio *scientifica:* an Jus Internationale Publicum scientiae nomine insigniri valeat.—21. Historia scientiae Juris Internationalis.—22. Origo atque evolutio hujus novae Disciplinae.–23. Scholae Hispanica et Italica saeculi XVI.—24. Scholae quae floruere saeculo XVII, XVIII ac XIX.—25. Praecipua systemata pro tradenda scientia juridico internationali adhibita.—26. Recensio bibliographica.—27. Ordo tractationis 349

CAPUT I.—SUBJECTUM JURIS INTERNATIONALIS . . . 357

ARTICULUS I.—*Summarium.*—28. Subjectum seu personae juridicae Juris Internationalis — 29. Conceptus *Nationis.* — 30. Notio *Status.*—31. Discrimen inter Nationem atque Statum. - 32. Principium *nationalitatis.*—33. Diversae sententiae circa elementa constitutiva nationis.—34. Personalitas Statuum.—35. Classificatio Statuum 357

ARTICULUS II.—*Summarium.*—36. Subjectum *activum.*—37. Jura Statuum.—38. Jus *existentiae*: Recognitio internationalis. — 39. Jus *conservationis.* — 40. Modificationes Statuum, earumque effectus. - 41. Jus *aequalitatis.*—42. Notio aequalitatis.—43. Dignitas, tituli ac praelationes Statuum . . 366

ARTICULUS III.—*Summarium.*—44. Jus *autonomiae.*—45. Jus *independentiae.*—46. Interventio.—47. Judicium criticum circa evulgatum et perniciosum principium de *non-interventu.*—48. Quaenam sententia hac super re praeponenda sit . 374

ARTICULUS IV.—*Summarium.*—49. Subjectum *passivum.*—50. Officia Statuum.—51. Praecipuae divisiones.—52. Officia *negativa*·—53. Recta eorumdem expositio.—54. Officia *positiva.*—55. Officia *imperfecta.*—56. Quaenam praesertim recenseri mereantur.—57. Utrum Status tamquam personae juridicae societatis internationalis semper respondere teneantur de damnis nationibus vel alienigenis illatis . . 382

ARTICULUS V.—*Summarium.*—58. Subjectum *repraesentativum* —59. Repraesentatio Statuum.—60. Jus *diplomaticum.*—61. Quot sint organa repraesentationis internationalis.—62.

Pagin.

Summi Imperantes: eorum praerogativae.—63. An aliquando cessent.—64. In quo differant Reges atque Praesides Statuum.—65. Agentes *Diplomatici*.—66. Legationes. · 67. Classificatio Legatorum.—68. Eorum jura, privilegia et munera.—69. Agentes *Consulares*.—70. Ipsorum gradatio. —71. Attributiones et jura —72. Congressus ac Collationes internationales. —73. Discrimen inter ejusmodi Coetus. . 390

CAPUT II.—Objectum juris internationalis 405

Articulus I.—*Summarium*.—74. Objectum seu res circa quas versatur Jus Internationale. - 75. *Proprietas* internationalis. - 76. *Bona* Statuum. —77. *Territorium* ejusque extensio. 78. *Limites* territoriales.—79. Acquisitio territorii. - 80. Modi *originarii*. - 81. Modi *derivativi*.—82. Amissio territorii . 405

Articulus II.—*Summarium*. - 83. *Servitutes* internationales.— 84. Principia communiter recepta inter gentes super *Navigatione*. -- 85. *Commercium* internationale. - 86. *Ministeria* (*servicios*) internationalia. — 87. Circulatio tabellaria (correos). - 88. Telegraphum.—89. Viae ferreae.—90. Praescripciones hygienicae.—91. Uniformitas ponderis ac mensurae.—92. Unitas monetalis 414

CAPUT III.—Obligationes internationales 427

Articulus I.—*Summarium*.—93. Notio *obligationis*.—94. Obligationes internationales.—95. *Causa efficiens* relationum in Jure gentium seu origo obligationum internationalium.—96. *Foedera publica*—97. Conditiones essentiales ad validitatem ejusmodi pactionum.—98. Classificatio Foederum . . 427

Articulus II.—*Summarium*.—99. Quaenam spectari debeant in publicis Foederibus. - 100. Forma.—101. Cautiones (garantías).—102. Interpretatio.—103. Suspensio.—104. Extinctio.—105. Prorogatio.—106. *Quasi-contractus*.—107. An ex quasi-contractibus obligationes internationales oriantur. —108. *Facta illicita*.—109. Utrum actus illiciti obligationes inter gentes gignere queant 431

CAPUT IV.—Contentio internationales 445

Articulus I.—*Summarium*.—110. Contentiones internationales. —111. Quomodo dirimantur.—112. Media *pacifica (viae amicitiae)* dissidia inter gentes componendi.—113. *Negotiationes* directae.—114. *Officia benevolentiae*.—115. *Mediatio*.—116. *Arbitratus*.—117. Discrimen inter mediationem et arbitratum.—118. Natura juridica arbitratus.—119. Tribunal arbitrale.—120. *Congressus* ac *Collationes* internationales. . 445

Articulus II.—*Summarium*.—121. Media *coercitiva* (*via violentiae*).—122. *Hostimentum* (represalia).—123. Conditiones necessariae ad ejus licitum usum.—124. Praecipuae species.—

	Pags.
125. *Retorsio* (retorsión).—126. *Secuestratio* (embargo). - 127. *Obsidio* (bloqueo) commercialis.—128. Quid *critice* de hisce recursibus violentis judicandum sit	454
Articulus III. — *Summarium.* — 129. Bellum.—130. Principia hac super re.—131. Notio belli.—132. Ejus divisio.—133. Conditiones necessariae ad bellum legitimum.—134. *Causa justa.*—135. *Vera necessitas* —136 *Auctoritas publica.*—137. *Intentio pacis.*—138 *Denunciatio publica.*—139. *Modus legitimus.*—140. Media quibus uti queunt bellantes . . .	460
Articulus IV.—*Summarium.*—141. Jura et officia belligerantium —142. Jura et officia bellantium erga *personas* Status hostiles.—143. Jura et officia bellatorum quoad *res* inimicorum.—144. An in bello maritimo servari debeat proprietas privata.—145. Quid de organizatione armata navium ad praedarum capturam (armamento en *corso*) censendum sit .	470
Articulus V.— *Summarium.* — 146. Neutralitas. — 147. Variae ejus species.—148. Jura Statuum neutralium.—149. Restrictiones juris *commercii* ac *navigationis.*—150. Officia neutralium.—151. Violatio neutralitatis.—152. *Praedae maritimae.*—153. *Tribunal Praedarum.*—154. Terminus belli. .	478

ADDENDA

AD TOM. I PÁG. 376, ANTE VERBUM *Historice:*

Quoad Jus Publicum *Externum*, J. Febronius tres praecipuos errores propugnavit: 1.º Principes saeculares Canonum custodes ac vindices esse etiam adversus Romanum Pontificem; 2.º ipsos insuper sua auctoritate Concilium generale indicere posse; 3.º ad Reges vel Summos Imperantes spectare totam externam Disciplinam Ecclesiae, prouti docuerat Puffendorfius, aliique multi juristae ac theologi decantatae Reformationis.